
RESPVB
NAMVI
SI
HANN
e
LVTSI
GEN
Amstelodami Apud


RESPVBLICA
NAMVRCEN-
SIS,
HANNONIÆ
et
LVTSENBVR-
GENSIS.
Amstelodami Apud Ioannem Ianssonium. 1634

I. B.

An

RESP

NAM

In quo bre
bis & C
ſis atque
ſcribunt

C

N

Poſterius
legi ſcribi
tum, Nar
tum, Nar
Namu, Na
manis N
mon ali
pars ſar
certè F
hæſiſſe

I. B. GRAMAYE
Andoverpiensis
RESPVBLICA NAMVRCENSIS.

In quo breviter Antiquitates Vrbis & Comitatus Namurcensis atque Reipublicæ ratio describuntur.

CAPVT I.
Nomen.

NOMEN huius vrbis primò Sedroch à conditore, mox Nemetocennam à Nemetũ ad Sabin colonia, denique Namurcum fuisse volunt. Posterius quod remanet nomen variè legi scribiq́ue veteribus observo: Namulum, Namucum, Neumurciam, Namurtum, Namurram, Namurcum, & Gallis Namu, Namur, Teutonibus Namen, Germanis Nhemen. Originationem & etymon aliter alii deducunt. Scriptorum pars sanior restauratæ per Romanos aut certè Francos arci à novo muro nomen hæsisse credit. Memoriæ aliquot inde dictam

dictam volunt, quòd iuxta Mosam Sabin accipiat. Nec desunt qui à Naymone Duce nuncupatum, aut idolis Nam & Murcia. Annales à silentio Deastri Nam, Namuti appellationem induisse opinantur. Ego in tanta antiquitate nihil definio, satis habens scripta & ficta ab aliis recensere, & Lectori iudicium suum relinquere.

CAPVT II.
Origo.

ANte vrbem castrum fuit, sive illud ab Aganippo Belgarum Rege, sive à Burdegale Gallorum Duce, sive à Cambrone Tongrorum Principe, sive à Claudio aut Caio Romanorum Cæsaribus, sive ab Anthonino Augusto, sive ab Alberone Clodii Criniti Francorum Principe, sive à Naymone Bavarorum Duce (omnia enim hæc scribuntur) factum, refectum, perfectúmve.

Cum autem legamus *Pipini Ducis victoria apud Arcem Namurci*, Abbatiam Broniensem *in vicinia castri Namurcensis* sitam scribi, discimus castri appellationem ferè vsque ad annum 1000. in vsu & ore fuisse. An autem castrum tamdiu solum fuerit, an castri nomine, quod frequens, vrbs etiam intelligatur, non definio. Annales vrbem volunt sub tempora natalis Dominici latè se vltra montem Campiliæ & vsque ad vallem nemoris Marlaniæ, loco

loco qui hodièque veterum mænium nomen servat, se extendisse.

CAPVT III.

Incrementum primum.

Cautem Caligulam aut Claudium Cæsares oportuniori loco in proximam & subiacentem rupi vallem oppidum transtulisse an. Chr. 39. Secutos Comites & Principes etsi non dubitem aut muniisse aut auxisse aut destructam vrbem reparasse, tamen quia certi nihil apud scriptores invenio, rem in medio relinquam. Et statuam primum vrbis ambitum intra Sabin & Mosam ad radices rupis, in qua castrum. Portarum extant monumenta quæ erant pontis Sabini, pontis Mosani, Burdealensis & Heremi.

1 Aquis deiecta, demum reparata est; anno 1410.
2 Fornicato opere renovata legitur, anno 1364.
3 Similiter speciosiore modo refecta anno 1409.
4 Locus adhuc cernitur.

CAPVT IV.

Incrementum alterum.

PRoducta deinde Pomæria vltra Sabin ab Alberto primo, quod arbitror, sub annum 1000. ita vt mænibus concluderentur Hosdaniæ, Oultremontii, Seranii Toparcharum domicilia & locus S. Re-

migii. In cuius aditu porta de *Caius* appellata & juxta fossa de *Flous* extant adhuc murorum reliquiæ. Inque fossis nunc hospitiũ Domini Desclay & ædificia nova circa Hallam extructa sunt frumentariam, & occupabant medietatem vici Vivorum vsque ad molendina Sabis. Portæ erant imò sunt adhuc *Hoyolensis* à rivulo & loco suburbano dicta, quæ renovari cœpta an. 1314. perfecta iterum anno 1393. Saynealensis correspondens Sansonensi quæ novo opere refecta anno 1393. S. Albani quæ retro ædem illius Divi (quã alii ab Alberto II. volunt inclusum mænibus an. 1064.) impetu aquarũ dejecta pulchriori pegmate restituta an. 1409. Cæterùm quãdo præcisè cœpta & perfecta hæc oppidi augmẽtatio, necdum scire mihi contigit: certus sub Alberto II. anno 1213. cœpisse & perfectam fuisse. Non quòd asseram tum mænia perfecta, sed fossas duntaxat cum portis, cùm legam, muros ductos à ponte Mosæ ad portam Iambensem anno 1364. A Turri de Mirvoart ad Hoyolensem anno 1385. Et inde vsque ad fanum Divæ Virginis anno 1386. Denique circa D. Virginis & Saynealensem anno 1393.

CAPVT V.

Vltimum incrementum.

VLtimum oppidi incrementum cœpit aucto mirum in modum incolarum numero, conclusa mænibus, quam iam

inde Comites libertate & privilegiis donaverant, nova vrbe. Cuius portæ *D. Nicolai* à parochia vicina, turri altiori ornata elevataque anno 1417. & 1423. *Sansonensis* à castro ad quod ducit similiter excelsiori scæmate adornatæ anno 1413. *Entrieuxensis* à cavitatibus dicta etjam sub idem tempus exaltata anno 1418. & 1425. Cœptum quidem erat partim aquis partim bello deformatas veterum murorum partes reficere antea anno 1410. Sed novo consilio reperi cœptũ fodi ad producendum pomeria anno 1414. Et quidem inter secundam & tertiam portas factos muros anno 1417. A tertia usque ad turrim Monetariam, & sic deinceps anno 1439. Ita ut omnia facta refectaq; fuerint ad annum 1470. Porta autem versus gryseas Sorores posterior est à Theodorico Hannon Consule renovata anno 1579.

CAPUT VI.

Ornatus exterior.

Dictus Hannon propugnacula plura quæ hodieq; conspiciuntur, ad portas aliquot aut fecit aut refecit. Illud quod maius vocant factum anno 1505. Ad decus vrbis faciunt turres, pontes non contemnendi. Quorum hi præcipui: Pons Sabis ab Alberto instructus, post inundationem refectus anno 1409. Pons Mosæ ut ajunt à Burgalo illo fabuloso structus an. 1409. aliquoties reparatus an.

1409. 1452. 1505. Pons ad Herbattas refectus anno 1505. Lapideus iuxta D. Virginis anno 1461. Qui ad portas S. Albani & Hoyolensem anno 1393. Turris S. Servatii erigi cœpta anno 1385. Vicina portæ Hoyolensi anno 1386. Quæ retro domos d'Acosse & Sallet anno 1393. Quæ nunc cis domum Croyacam anno 1409. D. Ioannis sive Magna ad Sabin anno 1447. Quæ supra Mosam cœpta anno 1405. Haitteriensis & Mohoiensis deiecta anno 1430. Maslaniensis & Dodanensis perfectæ anno 1425. S. Georgii apud Hoyolensem anno 1475. Quæ iuxta portam Bouletensem, anno 1456. Et aliæ sub idem tempus. Omnibus in numerum venientibus, licèt vulgo 7. habere dicatur portas, tamen minoribus non omissis portas habere dinoscitur 6. turrès in mænibus undecunque 34. plateas. . . . . fora rerũ venaliũ 5. pontes 4.

CAPVT VII.

Castrum.

PRæcipua eius opera hæc sunt. Castrum quod magnis & diversis gloriatur authoribus, in edita rupe loco naturæ genio admodum munito structum, turrim habet in editiori montis cacumine, quã Burdegalensem vocant, & alteram habuit pronuper sub & à Carolo V. destructam Gayettæ nomine anno 1533. Et volunt illam Burdegalis, de quo dixi in historia, hanc Caii Cæsaris esse opus &

monu-

monumentum. Qualiter auctum munitumque fuerit castrum apparet, tum ex stagno quod in ejus altiori parte conspicitur, demũ ex muris qui tempore Maximiliani facti monstrantur. Propugnacula 2. maiora per Senescallum Hannoniæ tum Præfectum perfecta anno 1542. quæ cum murorum parte ruinam minitantia, Dynasta Barlemontanus reficienda curavit anno 1555. Horologium quod in castro est factum cum campana barmali anno 1423. In castro hoc Namurci Principes inaugurari antiquitus, habitare, Comitia celebrare, legatos excipere solent.

CAPVT VIII.

Opera Vrbis.

AD vsus opidi publica ædificia sunt. Curia vbi Senatorum tribunal: Quod antiquitus iu castro opinor fuisse, postea ad annum 1213. capitulum D. Albani *ad petitionem villici & Scabinorum Namurcensium concessit, vt super allodium suum quod est iuxta sanctum Remigium appentitium quoddam facerent, sub quo propter iniurias aëris planta sua quietius agere possint.* Sed cum crescente incolarum numero minus capax hic locus videretur, domum ampliorem in foro maximo ab Archimandritta Broniensi coëmerunt anno 1552. quam pulchro opere extruxerunt anno 1578. & nuper domos eius prospectum inpedientes amoverunt.

Halla frumentaria vetus per Christo-

phorum Geiffier refecta anno 1560. Macellū ſuperbo opere ad ripas fluminis ornatum anno 1580. Curia Provincialis Conſilii ex ædibus Domini de Waiguy Prætoris Urbani erecta an. 1353. Palatium ex clauſtrorum D. Albani parte ſub Burgundiæ Principibus conſtitutum anno 1364. Præcipuæ in oppido viæ publicæ lapidibus ſtratæ. Viridaria ſunt ad ambulationes opportuna duo maxima, quę Herbattas vocant. Sunt denique hoſpitia præcipuarum in vicino Abbatiarum magnifica. Deniq; nobilium primæ notæ domus ſunt. Ita invenio Croyacam, Davrianam, Spontinenſem, Marbaſienſem, Crupetenſem, Eſculyenſem, Vitſlebiem, Outremontanam, Duyenſem, Divianam nominari.

CAPUT IX.

Calamitates.

A *Peſte* damnum ſenſit Urbs notabile, cum tanta luis contages fuit, ut ſchola Mariana in cœmeterium converteretur anno 1400. Iterumque cùm abſumpta ſcribantur 2400. non parvo multitudinis civium argumento anno 1455. Denique poſt cladem Gemblacenſem laboratum. *Ab aquis.* Cùm pons Moſæ disjiceretur anno 1578. Cùm molendinum Sabis cum ſacello dejectum anno 1175. Cùm exundans Hoyola pontem ſuum excuſſit an. 1410. Cùm intumeſcens flumen ad medium oppidi uſque pervaſit magno ci-

vium

vium malo an. 1505. *Ab igne* qui fortuitò plus 100. domos absumpsit anno 1147. Et iterum in arce magno damno fuit anno 1509.

CAPVT X.
Seditiones.

AB hoste domestico de seditionibus malum obvenit. Aliquoties tempore Henrici Cæci contra Balduinum Hanoniæ Comitem, post annum 1180. Denique cùm irritati contra Martham Imperatricem Henricum Lucenburgensem advocarunt, & eam ejecerunt anno 1256. Iterum cum ob gravamina solito maiorá quidam novis rebus studentes, junctis sibi 4. Paribus provinciæ, de alio Comite eligendo consilium inierunt, sed mox authoribus mulctatis sedatur per Comitem tumultus anno 1293. Amplius an. 1313. cùm eadem propter exasperati cives, absente Comite arcē & in ea liberos ejus obsidere non vererentur, Comes ab Hoyensibus Spontinum tum obsidentibus opē petit, sed negatam: quam impetrat à Lossensi Regulo. Qui semel iterumque vrbem oppugnans metu anxios coēgit Comiti ad pedes accidere. Arbitri Comes Lossensis, Ioannes Bellemontii, Ioannes Crepicordii, Gerardus Sottegemii, Iustinus Ligniaci dynastæ in rebelles animadverterunt, & iussa civitas ingentem pecuniæ summam péndere. Deinceps, anno 1352. factiosi quidam contra jus

iusComitis quædam Anachinati similiter in ordinem redacti sunt. Nec multo pòst ad an.1371.iunctis capitibus quidam novarum rerum cupidi, nescio quid molientes, Roberto Bellefortensi Domino se credentes, Comiti sunt conciliati.

Controversias etiam vrbs habuit cum cænobio Salzinensi, cuius fundum sibi arrogabat, sed compositæ res an. 1280.

CAPVT XI.

Oppugnationes.

AB hoste extremo, Vrbi malè fuit. Cùm oppugnata Arx à Gestemaro, a Pipino recuperata sub an. 700. Cùm à Barbaris Normannisque tentata Gerardo Comite resistente anno 886. Cùm obsessa Vrbs & capta cum castro à Balduino Hannone, ius sibi in Comitatu debitum negari indignante an. 1188. Cùm alter Balduinus Imperator à sorore detentum expugnaret anno 1237. Cùm advocatus à civibus Henricus Luceburgensis Marthæ Imperatrici frustra se opponenti castrum eripuit an. 1256. Sed mox Guidoni Flandriæ Regulo traditum. Cùm illud Toparcha Ravesteinii capto apud Brugas Maxæmiliano Cęsare occupavit, sed cedere & redderecoactus ab ordinibus provinciæ, qui de repente Valhainii Dinastā Balivum suū advocantes cū exercitu obsederunt, & ad deditionē compulerunt an. 1488. festo Assumptæ Virginis. Tentatū à Martino Rossemio, sed à Gubernatore insigniter mu-

nitum

nitum defensumque an. 1542. Deditum Ioanni Austriaco Belgium tum procuranti, qui hinc militem suum in Brabantiam eduxit anno 1577. vigilia D. Iacobi.

CAPVT XII.

Rara quadam.

RAra quæ Namurci evenerunt sunt. Cùm panis sub cinere coctus sanguinem stillaret anno 1095. Cùm femina infantem bicipitem peperit an. 1118. Cùm altera vno partu 7. masculos edidit, quorum 6. supervixerunt an. 1217. Cùm cervus pulcher per medium forum in ædem D. Virginis venit anno 1360.

CAPVT XIII.

Domini Majores & Directi Namurcensium.

AD civitatem & rempublicam gradum facio. Et quidem inter Dominos primum facio Cæsarem. Cuius beneficiarios fuisse veteres Comites, etsi non dubitem, tamen quia nihil certi hac dexe traditum, ordiar à Balduino, qui beneficio Henrici V. primus Marchio fuit an. 1188. Secuti eum Comites apud Cæsarem non sunt professi, clientelam. Gulielmus videtur morem revexisse, qui Carolo Quarto Cæsari iuramentum præstans, nova quædam ab eo consecutus est previlegia an. 1362. Nec invenio post eum vllos Imperatori iuramentum dixisse. Secundũ pono Frãciæ Regem, cujus fiduciarii clientes fuerunt

runt Comites vsque ad tempora Caroli Magni. Tertiò LotharingiæDucem,cuius postea subditi fuerunt, cùm legamus Gerardũ Namurcensem inter Comites Lotharingiæ,Suentebaldo rebellare, deinde videamus Albertũ I. vocari *Lotharienſem* absolutè.Denique cùm legamus Henricũ Loth.& Brabantiæ DucemCæsari Balduinũ Marchionẽ appellanti restitisse, quòd diceret non licere intra limites Ducatus sui novam erigere dignitatem, se invito. Quartò pono Comites Hannoniæ & Flãdriæ, quorum Feudatarii fuerunt Comites,ex lege quam Philippo minorenni filio præscripsit Balduinus pater. Factũ id quidem tum à Philippo, qui Comitatum suum è fratris Balduini manu suscepit. sed an à successoribus servatum, dubito. Certus Iohannem Auesnensem Hannoniæ Comitem,eo quòd Balduinus Imperator beneficium tempori professus non esset, à Gulielmo R. Romanorum per sẽtentiam obtinuisse Namurcum an.1245. Amplius tituli & sententiæ huius vigore idem Comes Namurcum oppugnaturus, convenit cum Luceburgensi,contentus si is clientelam profiteretur, anno 1258. Successor hujus Guido recusavit,licèt iussus à Cæsare, Namurcum ab Hannone, quem se(erat enim Flandriæ insuper Comes) inferiorem iudicabat relevare an. 1283. Filius tamen Guidonis à Guilielmo Hannone Comitatum suscepit, idque vt à successoribus fieret decrevit anno 1307.

Sed

Sed an factum ignoro. Certè non à Gulielmo Comite factũ, qui Cæsarem agnovit, eique sacramentum dixit anno 1362. Quinto loco sint Duces Namurcenses, cuius generis duas reperi in gestis Comitum Hanaviensium. Sed opinor vocari Duces, quia aut in bello aut alibi Ducis dignitatem habentes Namurco præfuerunt.

CAPVT XIV.

Principes Namurci.

SExtò Marchiones statuo. Qui licèt vulgo scribantur Namurcum tenuisse à tempore Naymonis, vsque ad Ermengardis Lotharingicæ cum Namurcensi Principe matrimonium, tamen inchoare libet eos ab ævo Balduini Hannonis, qui ab Henrico V. *Marchio Namuci & Princeps Imperii* est renuntiatus an. 1188. Quẽ titulum solũ successores vsurparũt, ferè, nisi quòd Balduinus Imperator Comitis titulum subinde inveniatur adjecisse. Post Guidonem autẽ video vulgariter omissum Marchionis nomen, nisi cùm præsente Cæsare res auctæ sunt. Septimi sint Comites, quo nomine solo ab omni antiquitate vsos invenio Namurci Principes, & post Guidonis, ut dixi, ævum resumpsisse video, post-habito Marchionis vocabulo. Omitto hîc Flamines, Dominos, Præfectos, & Pretores Namurci ferè fabulosos, de quibus in Historia. Comites fuere primùm è Romanis, usque ad annum

nũm 400. Demum è Francis Alberone natis vſque ad annum 600. poſtea è Durbutenſium Dynaſtarum ſtirpe vſque ad annum 700. Tum ex Ardennæ & Moſellanis Dominis vſque ad annum 780. Denique è Bavaris aut veriùs Francis, uſque ad annum 1188. Tandem ex Hanoniæ Comitibus vſque ad annum 1258. Mox è Flandriæ Regulis vſque ad annum 1429. Tandem ex Burgundiæ Ducibus, vſque ad annum 1478. Ad extremum ex Auſtriæ Archiducibus.

CAPVT XV.

Palatinæ Dignitates.

POſt & infra Comitem conſtituo triplici ſerie officiarios Comitis, Comitatus, opidi. In prima erunt *Magiſtri Palatii*, qua dignitate functos invenio Marbaſios an. 1226. & neſcio an eadem ſit cũ munere *Comitis ſtabuli*, quo etiãnum Marbaſii gloriantur. *Mariſcallus & Seneſcallus*: quales fuit Clarebaldus Alterinenſis. *Dapifer*: quo titulo gaudent Balaſtriæ Toparchæ. *Dapifer ſuperior*: qualis fuit Philippus de Fumale an. 1420. *Camerarius*: qualis Ioannes de Goſue anno 1421. nunc Dominus de Scence. *Magnus venator*, quo titulo vſi Auriani an. 1392. nunc gubernator iure gaudet. *Signifer provinciæ*, qualis fuit in bello Brabantico Ioannes Oultremontius anno 1188. *Archicapellanus*, qui eſt Præpoſitus S. Petri iam inde à Philippo Comitis ævo. *Archi-*con-

NAMVRCEN

...feſſor, iam inde à Godef...
Comitis, Abbas *Floreffienſis*...
...pontis Moſæ dignitas g...
& Riſſantiæ, inſtituta ann...
...porta Palatina, muni...
inſtitutum anno 1246. à
...m Theodorico Foſſenſi...
...ter, munus gentis à S. ...
...nuncupatæ. Æſtiva pluri...
Golinia, Hyberna Namur...
mitis Marlania.

CAPVT X...

Gubernatores & B...

INter Comitatus Præfe...
bernatorem, quem ...
Duces foris occupati & ...
tuerunt. Et eſt ſemper è ...
Principum Belgii, Comi...
eſt quinque diſtinctoru...
lium, quibus tam per ...
ſidet. Succedit Balivi ...
torem provinciæ dica...
olim abſolute *Balivu...*
mitatus, ſub Gu done...
duino Imperatore ...
ræ Namurcenſis, poſ...
ſupremus. Ejus ...
Ioannem Colon ...
tore anno 1282. ...
Spontin poſt eum ...
de la Natoye, Io...
Balduinus de B...

confessor, jam inde à Godefridi tempore Comitis, Abbas *Floreffiensis*. *M. Vinagiarius* pontis Mosæ dignitas gentis Itteriæ & Rifflartiæ, instituta anno 1410. *Præfectus portæ Palatinæ*, munus à Balduino institutum anno 1246. à Guidone datum Theodorico Fossensi *Magnus apparitor*, munus gentis à S. Martino olim nuncupatæ. Æstiva plurium Comitum Gossiniæ, Hyberna Namurci, Nemus Comitis Marlania.

CVPVT XVI.
Gubernatores & Bajulivi.

INter Comitatus Præfectos repono Gubernatorem, quem primi Burgundiæ Duces foris occupati & agentes constituerunt. Et est semper è prima nobilitate Principum Belgii, Comitis Vicarius. Et est quinque distinctorum caput tribunalium, quibus tam per se quàm suos præsidet. Succedit Balivi supremi, quem Prætorem provinciæ dicas, munus, qui dictus olim absolutè *Balivus*, postea *Balivus Comitatus*, sub Guidone, *M. Bailivus* sub Balduino Imperatore *Balivus Præcipuus terræ Namurcensis*, postea *Balivus superior* aut *supremus*. Ejus generis fuisse invenio Ioannem Colon sub Balduino Imperatore anno 1282. Musardus, Henricus Spontin post eum, anno 1340. Lambertus de la Natoye, Ioannes Libines ann. 1347. Balduinus de Blehem anno 1363. Ioan-

nes Rideau an. 1369. Godefridus de Vil, eques anno 1386. VVarnerus de Davel, anno 1390. Henricus de Boulau anno 1395. Ioannes de Selles eques anno 1412. Henricus de Dongelbiert anno 1418. Postea sub Philippo Bono Henricus de Longchamp anno 1429, Guido de Tarpin eques Camerarius Ducis anno 1438; Balduinus de Humieres eques etiam Camerarius anno 1442. Cumque Dominus de Hornes D. Galbecæ anno 1466 fuisset Capitaneus generalis constitutus provinciæ anno 1471, abdicante Hugone de Humieres, annexa Gubernatoris dignitati hæc dignitas. Quam obierunt Guide de Brimen Humbricurtii Dominus anno 1471. Ioannes de Longchamp D. de VVines anno 1477, Philippus de Burgundia D. de Bevera anno 1478, Ioannes Chalonius Princeps Aurangiæ an. 1481: Godefridus D. Eve tanquam Vicarius dicti Principis a. 1483, Iohannes de Bergis D. de VValhain an. 1486, Gulielmus de Croy D. Serviæ an. 1503, Ioannes de Bergis D. de VValhain an. 1509; Anthonius Marchio Bergarum ad Scaldim an. 1528, Theodorus Baro de Brandenborch ad tempus an. 1541, Petrus de VVerchia Senescallus Hannoniæ anno 1542, Petrus Ernestus Comes Mansfeldiæ anno 1545, Henricus de VVirtham D. de Bersel an. 1552. Philippus de Senselles Vice comes d'Aublaii ad tempus anno 1554, Carolus postea Comes de Barlaymont eques aurei velleris.

leris, Præfectus ærarii anno 1555, I
nes de Burgundia D. Fromontii a
dinibus statutus anno 1576. Adrian
Croy Comes Rodiensis anno 157
rolus Comes Barlamontii iteru, &
eum Ægidius filius anno 1578, &
tius Barlamonti Comes, & insup
noii Princeps frater Ægidii, anno
Nunc dignitatem obit Carolus
Princeps, Egmondæ Comes, cui
Frisiæ Regibus, nomen à felici
strictu Bataviæ, Maiores Gelriæ D
Hollandiæ Comites, alibi Princ
Dynastæ. Cui ab infantia indole
ritia erud tio, à iuventute virtu
à virili ætate rerum usu acquisi
tia. Vir inter nostri ævi Princip
ni Heroicarum virtutum laud
dus.

CAPVT XVII.

Pares & Consilium Provin

Balivis ab antiquo assistere s
alii 12 *Pares castri Namurce*
non dubito à tempore Alber
constat non eosdem, qui nu
bus habentur, fuisse. Vnde
Falisiam, Sorinas, Asseclam
Sclinium, Ohayam, Ligni
maniam legis Dominos h
Namurcenses, cum tamen
tum numerentur Toparch
deuarde, Obbais, Avelois

leris, Præfectus ærarii anno 1555, Ioannes de Burgundia D. Fromontii ab ordinibus ſtatutus anno 1576. Adrianus de Croy Comes Rodienſis anno 1577; Carolus Comes Barlamontii iterũ, & poſt eum Ægidius filius anno 1578, & Florẽtius Barlamonti Comes, & inſuper Spinoii Princeps frater Ægidii, anno 1579. Nunc dignitatem obit Carolus Gaveræ Princeps, Egmondæ Comes, cui genus à Friſiæ Regibus, nomen à felicioris diſtrictu Bataviæ, Maiores Gelriæ Duces, in Hollandia Comites, alibi Principes aut Dynaſtæ. C ii ab infantia indoles, à pueritia erud tio, à iuventute virtus bellica, à virili ætate rerum vſu acquiſita prudẽtia. Vir inter noſtri ævi Principes ab omni Heroicarum virtutum laude cenſendus.

CAPVT XVII.

Pares & Conſilium Provinciæ.

BAlivis ab antiquo aſſiſtere ſolẽt 10, vt alii 12 *Pares caſtri Namurcenſis*. Hos non dubito à tempore Alberti fuiſſe, ſed conſtat non eoſdem, qui nunc pro talibus habentur, fuiſſe. Vnde Pollinacam, Faliſiam, Sorinas, Aſſeclam, Yvvaniam, Siclinium, Ohayam, Ligniacum, Fallemaniam legis Dominos habuiſſe Pares Namurcenſes, cùm tamen modo hi tantùm numerentur Toparchæ de Syes, Andenarde, Obbais, Avelois, Hanii, Faulx,

Bossuti, Zetrudi, VVangæ, Bregnilerii. Hi solent antiquitus iudiciis præsidere, ad hos omnes Comitatus causæ devolvebantur, donec institutum consilium Provinciale sub Burgundis. Ioannes de Berghis Balivus à consiliis habuit anno 1491. 4. Ecclesiasticos, 6. seculares, (nunc posteriores manēt) & nomine sigilloque suis, quibuscum pro tribunali sedit. Regina autem Hungariç Prçsidi & Consiliariis 4. stipendia consignans, anno 1551. authoritatem dedit cognoscendi de omnibus via apellationis controversiis, quod servatur Gubernatore causas parium castri, feudorum, & allodiorum, & personales nobilium provinciæ solum cognoscente. Præsidem nunc agit Petrus vanden Bossche, vir prudentiæ singularis. Huc etiam referendæ dignitates Receptoris generalis, qui sub se 4. chartalarios Namurci, Sansonis, Flæruci, & Bovinii, & ab annis 400. *Receptor Comitatus* dicebatur, eratq; secundus à Balivo. Eius est peculium Principis curare, & subest Camerç rationum Insulensi. Habet ad promovendum ius Principis Procuratorem generalem, atque hoc à Principum Burgundorum ævo.

CAPVT XVIII.

Præfecti & Senatus opidi.

ARci præesse solet ab antiquo Castellanus, jus habens inter paucos 12. Securife-

rerū. Dignitatem nunc obit idem qui
Gubernator est, & Vicarium habet cun-
demque Præfectum præsidii Castrensis,
quod munus sub Carolo V. institutū &
non nisi peritissimis quibusq; commen
dari solitum invenimus. Nunc eo fungi
tur Everardus Syverii Eques raræ vir ex
perientiæ, quique Principi ætatem totam
consecrans post obita primæ notæ in be
lis munia huc translatus est. Invenio a
tiquitus dignitatem *Ducis civium Nam*
censium, similiter *Signiferi urbani:* De
de lego fuisse tres Horoscopos, du
Præcones villæ, quatuor Clericos,
munerum nomina nunc in dissuetu
abierunt. Et duplex est Senatus, vete
novæ urbis; uterq; Prætore suo & 7
binis constans. Novam libertate & p
legiis donavit a. 1284. Iolēdis Comi
Confirmarunt secuti Comites. Guido
an. 1323. Veterē ab antiquo inveni
nario numero Senatum habuisse, cu
dim cum Prætore jus claviū oppidi d
datum & jurisdictio intra primū a
lapidem Magistratus hic annuus e
taxat, & constituitur destituiturq
Gubernatorem provinciæ in pe
D. Andreæ. Sunt insuper peculiu
di procurantes, Quæstores 2. quo
les vocant, & olim Electi vocaba
quòd alter à populo alter à Bali
mo eligeretur. Dignitate horu
ria fungitur per annos plures
vir prudentiæ experientiæque

riferorũ. Dignitatem nunc obit idem qui Gubernator eſt, & Vicarium habet eundemque Præfectum præſidii Caſtrenſis, quod munus ſub Carolo V. inſtitutũ & non niſi peritiſſimis quibuſq; commendari ſolitum invenimus. Nunc eo fungitur Everardus Syverii Eques raræ vir experientiæ, quique Principi ætatem totam conſecrans poſt obita primæ notæ in bellis munia huc tranſlatus eſt. Invenio antiquitus dignitatem *Ducis civium Namurcenſium*, ſimiliter *Signiferi urbani:* Deinde lego fuiſſe tres Horoſcopos, duos Præcones villæ, quatuor Clericos, quæ munerum nomina nunc in diſſuetudinẽ abierunt. Et duplex eſt Senatus, veteris & novæ urbis; uterq; Prætore ſuo & 7. Scabinis conſtans. Novam libertate & privilegiis donavit a. 1284. Iolẽdis Comitiſſa. *Confirmarunt ſecuti* Comites. Guido auxit an. 1323. Veterẽ ab antiquo inveni ſeptenario numero Senatum habuiſſe, cui junctim cum Prætore jus claviũ oppidi demãdatum & juriſdictio intra primũ ab urbe lapidem Magiſtratus hic annuus eſt duntaxat, & conſtituitur deſtituiturque per Gubernatorem provinciæ in pervigilio D. Andreæ. Sunt inſuper peculium oppidi procurantes, Quæſtores 2. quos Cõſules vocant, & olim Electi vocabantur, eo quòd alter à populo alter à Balivo ſupremo eligeretur. Dignitate horum primaria fungitur per annos plures I. Minetius vir prudentiæ experientiæque maximæ.

Sunt & iurati 4, & Referendarius, quem Prætorem fabrorum vocant; cuius est ad Senatum referre sententiam populi.

CAPVT XIX.
Plebeius Ordo.

INter cives invenio veteres aliquot familias vrbanas olim in Senatū cooptari frequēter solitas, & sunt vel dicti à loco, ut Pontini, VVarisolienses, Pontilachienses, Martinenses, Spinetenses, Banduelenses, Assonullenses, Coriolenses, VVartanienses; vel ab evētu habitùve dicti Longini, Brachiati, Colliones, Macri, Farti, Strenii, Cōfessi, Honorati, Sagittarii, Collectores, Mercatores, Turrarii. Lectior autē pars civium nomina dare solet aut Collegio Sagittariorū per Guidonē Comitem instituto, an. 1266. aut Gladiatorū per Albertum Archiducem confirmato, aut Bombardariorū aut Rhetorū tempore Caroli V. institutis collegiis, an. 1524. Vilior in certa opificū Collegia, è quorum singulis 4 eligi solent. Vnde Comes *assensu Matris, Scabinorum, Iuratorum, & Bonorum hominum 4 opificiorum ait se leges* præscribere mercatoribus.

CAPVT XX.
Monetaria.

MOnetam ab antiquo Namurci fuisse disco ex donationibus antiquis, vbi frequens mentio denarii Namurcensis. Guido Comes Monetariis primus amplissi-

ma dedit privilegia ad exemplum [illegible] Insulensium, anno 1297 Quæ restringit aliquantisper Gulielmus successor, anno 1312. confirmante idipsum Gulielmo altero. Philippus autem Bonus nov[am] cudere monetā consensu Ioannis Comitis cœpit anno 1374. Ante & circa nuperas Belgici turbas moneta ærea adhuc Namurci confecta, & certè sunt ad hoc obligatæ ad cudendum certæ familiæ.

CAPVT XXI.
Namurcensium Genius.

CIves olim re lanaria quæstum facie[bant]. Vulgari joco describuntur rud[es] sed cordiales, vt sic exprimam. Rei bel[li]cæ & virtutis opinionem apud exte[ros] meruere. In cultu modesti, in victu f[ruga]les, laboriosi, staturæ & formæ me[dio]cres. Opes possident non contemn[en]d[as] & pro opibus sunt liberales, nec [...] geniū defraudaturi. A litteris al[ien]i[ores] eos non nemo notat, & ingenii m[agis] mechanici, quod equidem non ob[stinate] verum esse. Fateor quidem non fuisse olim doctorum copiam, qu[...] sed vna suo defectum illum in vrb[e] abundè suppleri, in qua ex popu[lo] numeravi nunc superstites & hab[...] vltra 25 Iurisconsulti titulo dona[tos] bilitate etiam forensi, quæ ferè demias & bonarum literarum n[...] ablegatur.

plissima dedit privilegia ad exemplum Parisiensium, anno 1297 Quæ restrinxit aliquantisper Gulielmus successor, anno 1312. confirmante idipsum Gulielmo altero. Philippus autem Bonus novum cudere monetã consensu Ioannis Comitis cœpit anno 1374. Ante & circa nuperas Belgici turbas moneta ærea adhuc Namurci confecta, & certè sunt ad hoc obligatæ ad cudendum certæ familiæ.

CAPVT XXI.
Namurcensium Genius.

CIves olim re lanaria quæstum faciebant. Vulgari ioco describuntur rudes sed cordiales, vt sic exprimam. Rei bellicæ & virtutis opinionem apud exteros meruere. In cultu modesti, in victu faciles, laboriosi, staturæ & formæ mediocres. Opes possident non contemnendas, & pro opibus sunt liberales, nec facilè geniũ defraudaturi. A litteris alieniores eos non nemo notat, & ingenii magis mechenici, quod equidem non observo verum esse. Fateor quidem non eam fuisse olim doctorum copiam, quæ alibi, sed vna suo defectum illum in vrbe iam abundè suppleri, in qua ex popularibus numeravi nunc superstites & habitantes vltra 25 Iurisconsulti titulo donatos, Nobilitate etiam forensi, quæ ferè ad Academias & bonarum literarum mercatum ablegatur.

CAPVT XXII.
Dies ſolennes Namurci.

Libet hîc dies auſpiciales adjicere, quibus excepti ritu ſolenni aut inaugurati Comites, aut aliud cum pompa actum. A. 1188. in Octob. Balduino Nobilium homagia in Herbattis excipiente. In Majo anno 1196. aut 1197. cum Henrico Cęco juſta fierent. Kal. Februarii an. 1196. Philippo in D. Albani inaugurato. Feſto S. Dionyſii anno 1212. cum ei juſta fierent. Anno 1212. cum Iolenthis in urbem reciperetur. In Majo anno 1267. Guidone Flandro Namurcum veniente. Anno 1297. in Decembri, cùm Iohannes inveſtiretur à Patre. Anno 1330. Martis poſt *Invocavit*, cùm alter Iohannes à civibus reciperetur Guidone in Comitē aſſumpto anno 1335. 2. Maii. Cui eidem juſta ſolverentur anno 1336. 12. Martii. Philippo ex Norvvegia reduce anno 1336. 8. Novemb. Gulielmo in D. Albani jurante anno 1338. 8. Octobris, & juramentum renovante anno 1342. Cùm ejus cadaver ſepulchro inferretur anno 1391. 3. Octobris. Gulielmo filio in loco ſurrogato 1. Octobris anno 1392. Cùm ejus defuncti exequiæ celebratæ 15. Februarii anno 1418. Ioanne in Comitem aſſumpto 11. Ianua. eodem. Duce Anthonio cum uxore in urbem venientibus anno 1412. Philippo Burgundiæ Duce recepto anno 1431. Ipſo cum vxore Namurcum delatis

delatis anno 1439. Delphino Franciæ eo dem veniente anno 1457. Cùm inaugu rati Carolus pugnax an. 1468. Maxem lianus anno 1478. Philippus anno 14 Carolus V. anno 1515. Philippus ſecund anno 1558. Albertus Archidux an. 15

CAPVT XXIII.
Leges Namurcenſes.

LEges Vrbis volunt ex veteribus re Lotharienſis eſſe, redactas in ordi ab Alberto II. anno 1357. à Guidone ſtas, à Gulielmo emendatas. Conſu dines per Philippum Regem reno anno 1564. Nundinæ annuæ celebr triduo ante natalitium Baptiſtæ, o ante ferias Dionyſii & Clement durant dies 17. Fora hebdomadatim diebus Saturni, Veneris, & Mercuri

CAPVT XXIV.
Res ſacra.

QVo ad rem ſacram gaudeat me murcum primitiis religionis C ræ; quam prima vrbium Belgici a ante D. Materno Apoſtolorum diſcipulo ſuſcepit, adeoque per N Comitis ſui filium 7. Tungrenſe pū late per Haſbaniam propa Idolatræ erant antea his locis, & Murciamq; Deam profano ſac re venerabantur. Nam ego num eſſe, ſic dictum à ſorbe glutiendo; Murtia Dianæ c

delatis anno 1439. Delphino Franciæ eòdem veniènte anno 1457. Cùm inaugurati Carolus pugnax an. 1468. Maxemilianus anno 1478. Philippus anno 1483. Carolus V. anno 1515. Philippus secundus anno 1558. Albertus Archidux an. 1599.

CAPVT XXIII.
Leges Namurcenses.

LEges Vrbis volunt ex veteribus regni Lotharienfis esse, redactas in ordinem ab Alberto II. anno 1357. à Guidone auctas, à Gulielmo emendatas. Consuetudines per Philippum Regem renovatæ anno 1564. Nundinæ annuæ celebrantur triduo ante natalitium Baptistæ, octiduo ante ferias Dionysii & Clementis, & durant dies 17. Fora hebdomadatim sunt diebus Saturni, Veneris, & Mercurii.

CAPVT XXIV.
Res sacra.

QVo ad rem sacram gaudeat meritò Namurcum primitiis religionis Christianæ, quam prima vrbium Belgici annunciante D. Materno Apostolorum Principis discipulo suscepit, adeoque per Martinum Comitis sui filium 7. Tungrensem Episcopũ latè per Hasbaniam propagavit. Idololatræ erant antea his locis, & Nam Deũ Murciamq; Deam profano sacrificii genere venerabantur. Nam ego reor Neptunum esse, sic dictum à sorbendo sive deglutiendo; Murtia Dianæ cognomentum

eſt. Et bene loco huic inter ſylvas iuxta aquas hæc numina dedit Gentilitas. Quæ poſtquam extirpata eſt, nullis hæreſeon offuſcata perverſitatibus, fides penes Namurcenſes perſeveravit. Quorum Comites ad vnum omnes pietatem ſuam poſteris teſtatam reliquerunt, in opprimendis alibi ſchiſmatibus ſæpe occupati.

CAPVT XXV.

Cathedralis Namurci.

CAthedralis Eccleſia Namurci eſt à Paulo 4 erecta an. 1559. cuius Epiſcopo, exceptis paucis, incuria vt puto, prætexitis pagis, paret tota Namurcenſis provincia & Brabãtia Gallicana; Vrbes nimirũ octo, Pagi 164 in Brabantia, 183 in Namurceſio præter appẽdices. Cœnobia Benedictina 12, Ciſtertienſia 14, Præmonſtratenſia 5, Regularium Canonicorum 3, Scholarium 1, D. Franciſci 3, Carmelitarum 1, Capucinorum 1, S. Trinitatis 2, S. Ioannis Ieroſol. Commendariæ 2, Cruciferorum 1, Reginarum 3, Collegia Canonicorum 9, Canonicarum nobilium 3, Hoſpitalia & Noſocomia 40. Venientibus in numerum etiam iis quæ nuper incorporata ſunt, aut etiam nunc propter iniuriam temporum deſierunt habere Congregationem religioſorũ. Epiſcoporum primus Antonius Havechius S.T. Doctor, ordinis D. Dominici, qui obiit an. 1578. ſepultus in choro Eccleſiæ, ubi Synodum primam dioceſanam celebravit an. 1570.

2. Fran-

2. Franciſcus de VVallon-capelle ex religioſa D. Franciſci, vir pietatis merito ſummis imiſque acceptus, obiit an. 1592. ibidẽ ſepultus. 3. Ioannes Dave ex Conſiliario Mechlinienſi vir prudens & eruditus, mortuus an. 1595. ibidem ſepultus. 4. Iacobus Blaſæus, ordinis D. Franciſci, qui Audomaropolin ad Epiſcopatum alterum abiit, an. 1601. ſurrogatus eſt Franciſcus Buyſeret Montenſis. I.V. Doct. ex Decano Metropolitanæ Cameracenſis & electo ibidem Antiſtite, bono dioceſeos & religionis huc tranſlatus. Qui inauguratus Montibus, anno 1602. Secundo Epiſcopatus ſui anno Synodum dioceſanam indixit, vbi multa bene & prudenter ductu Spiritus S. reformata, & inſtitutum Nivellis auſpiciis eiuſdem Seminarium dioceſanum. Deus ei longam & felicem vitam det. Huius de qua dixi Cathedralis Namurcenſis exordium tale eſt. Oratorium erat inter illa naſcentis Eccleſiæ primordia, quod tradita per manus fides credit à Cornelio Papa dedicatum, Kalendis Septembribus. Fama habet fuiſſe antiquitus Virgines in vicino ſacra peragentes, ſed fama tantùm. Etſi enim tradunt quædam chronica, aſſerunt nonnulli antiquitatum inveſtigatores fuiſſe in Eccleſia ſarcophagum, qui titulum Abbatiſſæ ſancti Albani præferret, tamen ego nõ ſum facilis vt credam. Monachos & nigros, i. Benedictinos fuiſſe certum eſt. Quorum cùm diſciplina monaſticæ tepeſce-

pefceret,& Proventus injuria temporum deficerent,Albeitus fecundus *dirutam Ecclefiolam an.1047. reftruit*, & loco Monachorũ Canonicos fubftituit 12. quibus & ipfe & vxorDecimas aliofque proventus affignavit.*Atq; hæ fũt præbendæ vnius inftitutionis S. quinque aliæ funt alterius*, (credo ab aliquo fucceffore Alberti adjectæ.) *quia autem inter 5. illas vna erat cæteris opibus & dignitate præftantior,eam Balduinus Imperator dividens ex vna duas fecit*.Philippus autem Balduini fucceffor addito novo choroEcclefiã augens & totã reficiens,numerũ Canonicorũ ufque ad 20. fupplevit, & addidit 20.Vicarios. Ecclefia dedicata per Guidonẽ Card. Legatum fanctę Sedis an.1211. Altaria & facella ferè Comites fundarunt certatim, nolentes Ecclefiã hanc fuæ munificentiæ expertem.Godefridus an.1116. Henricus an.1216.Iolendis an. 1216 .Gulielmus an. 1336. Luduvicus ejus F.anno 1370.altaria quifque fundavit & dotavit. Vita horum Canonicorum ab ipfo fundationis exordio regularis fuit, quod docent clauftrũ, dormitorium, & alia arctioris difciplinæ loca,quæ adhuc confpiciuntur. Cùm autem fervor ille primitiuus tepefceret,bellorũ, ut fit, injuriis fub Henrico Cæco licentiorem vitã inducentibus, Guido Legatus Apoftolicus & Antiftes Præneftinus affenfu Leodienfis Epifcopi & Philippi Comitis anno 1204.aliquatenus repreffit noxiam Canonicorum libertatem, & leges

ges vivendi posuit, aut veriùs repcsuit. Quæ servatæ aliquamdiu in desuetudinē ierunt, maximè temporè bellorū sub Balduino Imperatore. In hac Ecclesiā octo Comites sepulturæ locū adepti sunt, nobilesq; plures. Inter alios memoria dignus Nicolaus de Conde, qui obiit anno 1207. Sepultus ante aram D. Nicolai. Eques & Libertus de Egesees magni Ecclesiæ benefactores. Sepultus etiam hîc Ioannes Austriacus, qui post relatam ab Agareno hoste victoriam extinguendo orbis Belgici incendio missus, jàmque recens à triumpho Templutensi diem supremum obiit. Tabulam altaris veterem Gulielmus II. Comes curavit. Altare ex nigro marmore cum Epitaphio Vicarius ad memoriam dicti Ioannis Austriaci substituit. Supplicatio, quam vocant, annua Namurcensis cœpta celebrari anno 1449. Habentque Canonici districtum suum, vt in eo tribunal, minimè Senatus vrbani dominium agnoscens, & constituitur cum Scabinis 7. Prætor, idque ex privilegio Alberti II. confirmato per Henricum Cæcū, Balduinū primum. Auctum per Guidonem & subsequentes Principes. Thesauros habent incomparabiles Pontificū, Cæsarumque dono. Puta Stephani Papæ, (qui & bibliothecam suam reliquisse perhibetur) antequam ad Apostolicæ dignitatis apicē eveheretur, *Scriniolum Hebenum sanctorum reliquiis refertum.* Beneficio Leonis Papæ partem corporis

poris S. Gerardi Trilonienſis Epiſcopi, vnà cum Dalmatica qua Pontifex vtebatur. Dono Liedini Bicharienſis Epiſcopi partim corporum D. Nicolai & Georgii. Miſit & Bizātio Henricus imperator *vas aureum pulcrum & pretioſum, in quo continebatur maxima pars dè ligno Domini in modum crucis auro circumligata & ornata. Inſuper de ſacroſanctis reliquiis Imperialis palatii, de ſpinis corona Domini, de veſte purpurea, de pannis infantia, de linteo quo præcinxit ſe in cæna, de zona B. Mariæ, de capite B. Pauli & Iacobi.* Nivelo etiā Sueſſionum Epiſcopus *pretioſum Chriſti ſanguinem à regia vrbe Conſtantinopoli allatum dedit* an. 1205. VVarnerus inſuper Abbas 3. Albani in Maguntia de capite S. Albani martyris miſit. Habēt præterea ſudarium intinctum ſanguini Protomartyris Stephani. Habent altare minuſculum eleganti forma confectum ad morem priſcum. Habent & inſignes ſalutiferæ Crucis partes, quas diebus Veneris populo præbent exoſculandas. Hæc ſacerrima pignora dum venerabundus aſpexi, & antiquæ pietatis majeſtatem, & Principum nunquam ſatis laudatam munificentiam exoſculatus ſum. Viri clari in hoc Capitulo fuerunt M. Maſius Decanus in conſilio Tridentino celebris. Ioannes Broſius ſimiliter Decanus ab eruditione celebris. Archidiaconum nunc agit I. Davvin I. Licēt. vir pietate & eruditione clarus, cujus humanitate pluries me adiutū fateor.

C. A-

CAPVT XXVI.

Collegiata alia.

SVccedat Collegium Canonicorum D. Virginis vetus illud, & quod de præeminentia longo tempore cum D. Albani Collegio certavit. Monstrant enim altare & locum vbi S. Maternus conversioni infidelium operam dans rem divinam peregit. Clericos habuit à Caroli M. ævo, quos in ordinem redegerũt secuti Leod. Episcopi. Stephanus autem Episcopus constituens 12. Sacellanos, Vicarios & consultores Episcopi, totidem Ecclesiarum D. Virgini inscriptarum. Abbates etiam Namurci 9 constituit clericos; præfecitque vnum Abbatem secularem, qui hospitalitatem curaret. Ex quo tempore sub an. 922. mansit hic Abbatis secularis dignitas, qui & beneficia confert. Numerus autem Canonicorum auctus vsque ad 18. Quis autem dotator aut fundator præcisè sciri nequit. Claustrum etiam & officinas olim habuerunt hi Canonici, & Senatus erat reparare illa, sicut & muros vicinos, vicissim percipiens ratione singulorum sepeliendorum vnum veterẽ grossum. Cui juri ob nimia gravamina Senatus renunciavit anno 1474. Tertium est Canonicorum sancti Petri in castro Collegium. Cujus templum extructum occasione capitis sanctæ Petronellæ istuc delati, an. 1202. 12 canonicos cũ Præposito & Custode à prædecessori-

bus ſuis ſundatos teſtatur Philippus Comes, & ſe addit decimam tertiā Præbendam cum officio Decanatus inſtituiſſe. Hujus collegii etiam meminit dictum Guidonis Legati diploma. Gulielmus Comes altare Deiparæ in eadem Eccleſia inſtituit & dotat an. 1347. Capitulum hoc authoritate Pontificis ſuprà allegata vnitum eſt Albanenſi ad dotandum 9. Præbendas affectas ſive graduatas. Ex quo jam ante aliquot viri inſignes ad famam venerant.

CAPVT XXVII.

Parochiæ.

PArochiales ſive curam animarum habētes Eccleſiæ in vrbe ſunt hæ: *D. Virginis* antiquiſſima & prima oppidi, quæ antiquitus ex Canonicis ſolet habere Paræcum, qui ad diſtinctionem *Canonicus inveſtitus* vocabatur anno 1392. Viſitatio vna Leodicenſis an. 1493. vocat *Plebanum.* Regiſtra alia *Viciarcū. Ioannis Euangeliſtæ* annexa capitulo Albanēſi in communionē munii paſtoralis aſſumpta poſt auctam vrbem. Vbi titulo Virginis matris inſtituta ſacra civium confraternitas à Ioanne Papa 22. an. 1490. & confirmata & indulgentiis ornata, in qua nunc haud pauciores mille confratres numerantur. *Sancti Lupi* parochia, Malonienſi Abbatiæ Canonicorū regularium annexa, ubi ad honorem D. Annæ inſtituta anno 1462. civium ſacra ſodalitas per Leodium

dium Antiſtitem. S. *Ioannis Bapti*
circiter annis in communionem
alis oneris aſſumpta, quæ in du
ſta anno 1501. noviſſime ſodal
ſſiſſimi Sacramenti & indulge
Pium IV. ornata anno 1560. S.
Harbartis fundata & ab Henrico
dicata anno 1153.

CAPVT XXVI

Cænobia Virilia.

NObilioris ſexus cænobia in
Cruciferorum conventus in
veriùs inſtitui ceptus à quod
an. 1249. Coaluit demum in ſ
nobii an. 1412. poſt reforma
thoritate capituli generalis i
Huic cænobio relictum eſt
Cruciferorum Lovaniēſe ab
Volgaia nobili Zelando fund
1491. *Franciſcanorum*, ſi n
certè auſpiciis Comitis inſtit
nobium an. 1432. aut vt alii
religioſi obſervantiæ inſtitu
ſunt an. 1490. hortante M
roli Ducis vidua. In Eccleſ
mites duo, Luduvicus et
& Ballicti D. Guidonis, Io
pi, Gulielmi Comitum fra
fratre conſtitutus Namur
in VVorucano prælio o
hic cum vxore Margar
Comitiſſa de Rouſſii tun
filio naturali Almari
C

dium Antiſtitem. *S. Ioannis Baptiſtæ*, à 200. circiter annis in communionem parochialis oneris aſſumpta, quæ in duplum aucta anno 1501. noviſſime ſodalitio ſanctiſſimi Sacramenti & indulgentiis per Pium IV. ornata anno 1560. *S. Nicolai in Harbattis* fundata, & ab Henrico Antiſtite dicata anno 1153.

CAPVT XXVIII.

Cœnobia Virilia.

NObilioris ſexus cœnobia in vrbe ſunt: *Cruciferorum* conventus inſtitutus aut veriùs inſtitui ceptus à quodam privato an. 1249. Coaluit demum in formam cœnobii an. 1412. poſt reformationem authoritate capituli generalis introductam. Huic cœnobio relictum eſt Collegium Cruciferorum Lovanienſe ab Philippo de Volgaia nobili Zelando fundatum anno 1491. *Franciſcanorum*, ſi non à Comite, certè auſpiciis Comitis inſtitutum eſt cœnobium an. 1432. aût vt alii 1335. Cuius religioſi obſervantiæ inſtitutum amplexi ſunt an. 1490. hortante Margareta Caroli Ducis vidua. In Eccleſia ſepulti Comites duo, Luduvicus etiam Pettegenii & Ballicti D. Guidonis, Ioannis, Philippi, Gulielmi Comitum frater, qui abſente fratre conſtitutus Namurci Gubernator, in VVorucano prælio obiit anno 1371. hic cum vxore Margareta de Haveſche Comitiſſa de Rouſſii tumulum habet cum filio naturali Almarico & Margareta

C nepte.

nepte. Iacent hîc etiam Nobiles multi, qui locum pietatis nomine celebrem sepulturæ suæ elegerunt. Numerum Religiosorum quinquagenario majorẽ fuisse lego. Prodierunt hinc viri à fama & scriptis noti, Fr. VVallon-capelle Episcopus II. Namurcensis, Henricus VVillot, cujus extat Ogdœas sermonum de venerabili Sacramento. Nicolaus Cardin assumptus in Abbatem Broniensem. Capucinorum conventus Senatus & privatorum munificentia construitur, templum dicatum à Reverendiss. moderno anno 1607. Dominica 7. post Pascha.

CAPVT XXIX.
Cœnobia Virginum.

ALterius sexus Monasteria sunt: Beginagium à tenuibus initiis inchoatum, & nuper anno 1591. annexum cœnobio Carmelitico 4. Quod Carmeliticum tali modo propagatum est. Tradux & colonia Brussetensis in Hannonia cœnobii est Dionantense cœnobium, quo per injurias temporum exustæ Virgines Namurcum profugæ obtinuerunt facilè anno 1467. à Carolo Duce & Ludovico Borbonio Episcopo Leodiensi authoritatem construendi monasterium, *in fundo 2. Bonariorum sito prope locum dictum prata parva Harbatta infra securitatem & ultimam Namurci firmaturam.* Quod factum probabat Episcopus Tricassensis, Sedis Apostolicæ Legatus anno

1469.

1469. Capitulũ cum 4. pericyclis claustri & cæmiterio dedicatum an. 1476. Templũ autẽ Virgini matri & Divis Laurentio & Alberto inscriptũ, dicatũ an. 1476. à Dariensi Episcopo ordinis Garmelitarum. Cænobium & situs & structuræ & disciplinæ titulo commendatur. Virgines nuper à Generali ordinis reformatæ an. 1603. præter tres monasticæ religionis vota, claustri etiam perpetui stabilitatem promittunt. Numero sunt 34. lectissimæ virgines & famæ optimæ, Patronumque habent Abbam Villariensem, eo quòd Hospitale S. Calixti, excipiendis Abbatiæ Villariensis Religiosis fundatũ an. 1260. procurante Francone Archimandrita dictarum virginum paupertatem levaturo, incorporatum sit dicto cænobio an. 1478. Vitrea est in templo vna insignis retro aram primariam cum insignibus Burgundicis & figura Ducis cum conjuge & versibus his.

Vt sis propitia, tibi do Virgo Maria
Renenses mille, ut pater voverat antè.
O Regina mater Salvatoris, natum tuum
precare pro nobis.

Beginagium dependens à Capitulo ante annos 300. inchoatum conuenientibus in vnum virginibus aliquot. Gryseæ, quas vocant, tertiam D. Francisci regulam amplexæ Namurcum venerunt an. 1498. quibus coëmpta domus an. 1503. structumque cænobium cum templo, anno 1507. Nosocomiũ oppidi majus ab omni

ſcriptorum memoria fuit ſenſim piorum eleëmoſynis locupletatum. Hoſpitale D. Iacobi ſub Burgundiæ Principibus ad famã venit, aſpirante civiũ aliquot, qui Cõpoſtellam viſerant, munificentia. Beginagium Gryſearum cum ſacello fundatum ſub an. 1315. à Gertrude, relicta Nicolai du Pont; ſed cùm fundationi non fieret ſatis, Boneſſienſi Abbatiæ cum onere annexum eſt, an. 1467. eſtque nunc & fuit Monachorum hoſpitium.

CAPVT XXX.

Sacella.

SAcellum D. Iacobi in Caſtro à Philippo Comite ſtructum, añ. 1205. à Guidone Epiſcopo dicatum, an. 1207. Sacellum in vico Vivorum à Iacobo Branche Receptore Comitis factum, an. 1296.

CAPVT XXXI.

Viri clari Namurcenſes.

NAtales ſuos debent Namurco: Viri ſanctitate & virtute clari præter Comites & Imperatores Græciæ, qui hĩcnati præſumuntur. Martinus VII. Epiſcopus Tongrenſium, an. 277. Ioannes Epiſcopus Braſarenſis, an. 1470. Franco VVeſemalius ex impari matre Baronis VVeſemalii fr. bello ſtrenuus, & inter primos ſui temporis, an. 1256. Theologi, Petrus Broſius Doctor Sorbonicus, an. 1524. Iuriſperiti, Nicolaus Goubletius I.V. Doct. an.

1550.

1550. Historici, Gerardus de Iacea Capellanus & Notarius Capituli S. Albani, qui scripsit gesta Comitum, an. 1525. Anselmus Decanus D. Mariæ & Presbyter Can. Leodiensis, qui Leodicensem historiam scripsit, vixit an. 1400.

CAPVT XXXII.

Suburbanum.

AB vrbe ad suburbanum progredior, & quacunque pedem porta effero, seriam offendo pietatem. Coronant vrbem veteris heremi totidem portis respondẽtes, quæ sunt inscripta D. Barbaræ Virgini, Martino Antistiti, Georgio Martyri, Salutiferæ Cruci, Antonio Anachoretæ, Fiacro Confessori, Huberto Episcopo, Quæ magno plebis concursu tum aliàs tum maximè sacra hebdomade visuntur. Vicinior superioribus S. Adriani à Moderno antistite dedicata est, anno 1605. Remotior S. Hilarii sub Gulielmo II. Comite consecrata. Valetudinarium extra muros cum sacello Henricus Episcopus benedixit, anno 1153. Leprosaria Guido Comes adornavit. Cætera vide in *Præfectura Namurcensis.*

I. B. GRAMAY

HISTOR

NAMVRCE

C 4

I. B. GRAMAYE

HISTORIA

NAMVRCENSIS.

I. B.

HIS

N

CAP

Quæ res ante
gestæ, aut de

COms
rum
ex
qua
vinculo æt
tura, prolix
do, longos
æternitatem
cemur. Ita
gentibus pu
do sibi ipsis
excedere la
& scintilla
in alicujus
quam maj
lios natis
cere debe
mentariis
tem vale
jam inva
quomod
niam m

I. B. GRAMAYE HISTORIA NAMVRCI.

CAPVT PRIMVM.

Quo res ante natalem Dominicum Namurci gestæ, aut de Namurco traditæ, recensentur.

COmmune hominum & historiarum fatum est velle assurgere, & ex tenebris lucem, ex luce laudem quærere: & cum exiguo annorum vinculo ætatem nostram concluserit natura, prolixam majorum seriem digerendo, longos nepotum ordines sperando, æternitatem quodammodo nobis pollicemur. Ita usu venit familiis privatim, & gentibus publice & universim, ut titillando sibi ipsis risum moveant; illæ vero si excedere larem domesticum concedatur, & scintillam in Troiæ cineribus, laciniã in alicujus Regis purpura detur invenire, quam majoribus suis alibi inter terræ filios natis præferunt. Hæ si factis (fictis dicere debebam) Regum rerumque commentariis plurium seculorum antiquitatem valeant usurpare. Hoc malum cùm jam invaluisse videam, & pluribus placere quomodo libet quæsitum hoc decus, veniam merebor, si & ego narratiunculas

has è noſtrate Hiſtoria petitas attexo, vmbram hanc reputans, quæ neceſſariò omnium gentium hiſtorias comitetur. Hæc itaque de veteri Namurcenſium ſtatu invenio. Aganippum Belgarum primi nominis regem, locũ in Arduennæ receſſu, ubi Sabis in Moſam ſe exonerat, munivíſſe, & Neptuno maris Deo ſacraſſe. Quia ſorbendo aut auferendo Name patrio ſermone dicebatur. Cæterùm Arci & ſacrario *flamines* præfeciſſe eundem & ejus ſucceſſoresBelgarum reges traditur.

E quibus *Sicelius* Regis affinis, cujus nomẽ referunt Vicus *Scleii* & *Siclinium*.

Itemque *Mehan* Menapii Regis filius qui flumini nomen reliquit, diciturque ſacerdos Neptuni ad Moſam. Et fortè hinc eſt anonymus ille, qui ex Moſæ provincia in Friſiam legitur veniſſe; & cum Haione Friſonis filio communicaſſe. Anno ante Chr. natum 350 vixit Hayo, teſte Cappido. Atque hæc eſto prima principum Namurci ſeries. Alteram petam à Gallorum Ducibus Cambrone & Burdegale, quorum ille traditur Sabi ſive Sambræ fluvio nomen ſuum communicaſſe, & ad confluvium ejus cum Moſa arcem reſtituiſſe, coërcendis prædiatorum excurſionibus: Hic in rupe edita ad Moſam turrim ſui nominis cum ponte ædificaſſe. factum volunt anno 200. ante Ch. nat. Cujus ſucceſſores præfecti per annos plures arcẽ habitarunt, cujus generis Lernus *Caſtri Moſani Cuſtos*, vnde

ducta

ducta nomen habet Colonia. Tertios in ordine Namurci Principes Tungrenses pono, quorum Rex Sedroch arcem præsidio munitam auctamq; à se nuncupavit, sub Iulio Cæsare. Quartos facio Rheni accolas Nemetes, qui Coloniam huc duxerunt, & Nemetocennam quasi dicas Nemetum ad Cennam sive Sambrem appellarunt, quos vicinos agros imperantes Romani in Gallias delati aut ejecerunt, aut certè in fidem acceperunt.

CAPVT II.

In quo d conjecta, quæ per secula ferè septem de Namurco legimus Romanorum & Francorum tempore.

Libenter ego crederem nomen Nemetocennæ sub Romanis perseverasse, donec à Barbaris diruta arx, à Francis novo muro (unde Namurci nomen hæserit) cincta est, si id fieri possit bona Chronicorum pace. Quæ nominant Divum Maternum fidei nostræ fundamenta apud Sedrochienses jacientē, sub annum 100. & quod oracula deinceps non ederet Deaster Nam, *Namuti* nomen oppido hæsisse, a. Christi 35. Amplius addunt Cajum Imperatorem oppido, quod latè per montana extendebatur, in vallē arci vicinam translato, aliā Namurco speciem indidisse, & Præfectum sive Comitem à Romanis deinceps constitutum. Cujus generis invenio an. 277. septimum Tongrorum Antistitē Martinū Martini Comitis Namurcen-

murcensis filium Hasbaniæ Apostolum. Quicquid tamen ejus sit, hoc probabile, arcem tam oportuno sitam loco, à Romanis non habitam neglectui; hoc certum Romanos passim hic egisse, fidem facientibus variis, quæ alibi afferam, Romana lingua Epitaphiis & monumentis, quæ temporum calamitas in rupibus & saxis nobis reliqua fecit. Declinante autem Romanorũ in Galliis imperio, Clodio Francorum Regi natus, anno 456. Albero, in arce hac refecta, Comites sanguinis affinitate sibi junctos constituit. Cujus generis est ille anonymus socer Reguli Hostiensis & avũculus Encharii Trajectensiũ Episcopi, floruit anno 527. Itẽque alter qui filiã Principi Bavariæ uxorem dedit, matrem factam Theodardi Leodiorum Antistitis. Deficiente autem hac Francicorum Comitum (sive illi temporarii sive hæreditarii fuerint) stirpe, Sigibertus devolutum ad se jure beneficii Comitatum, Glomerico Durbutensi Comiti, operæ fideliter in bellis navatæ præmium, assignavit anno 650. longoque pòst tempore eosdem duæ hæ provinciæ Comites habuerunt. Cùm autem Pipinus Harstallensis Dux noster Gestimarum tyrannum ad arcem Namurci prælio superasset anno 700. probabile ab ejus arbitrio castrum & Comites Namurci stetisse. Cujus generis est forte Odoarius ille Princeps Floreffiæ residens, cujus interventu Pipinus S. Ber-

tuino

tuino 5. villas donavit. Hæc sunt quæ per septem ferè secula de Namurci rebus lego, quo tempore exiguis limitibus circumscriptum opinor Comitatum, Arduennæ partem & magis per aquam & sylvam quàm per agros extensam jurisdictionem, opinor, inquam; nec enim in tam remota temporum caligine certo aut recto tramite versamur, imò quo penitius abyssos istas antiquitatum introspicimus, hoc obscurior oculos mentis captivat nubecula.

CAPVT III.

In quo Series Arduennæ Principum, qui per 300. annos aliquam Namurci, vt nunc est, partem tenuerunt.

NOta est Arduennæ sylvæ amplitudo sub cujus ambitu censebantur olim omnia per Brabantiam, Flandriam, Hannoniam, Namurcesium sylvestria, quæ lapsu temporis ab invicem separata, proprium nomen assumpserunt. Ejus Ardennæ, sed nescio an totius, Dynasta Hidulphus fuit, fortè ex Glomerici dicti posteris, qui Beatrice filia Martino Mosellanorum Duci enupta, in illum, & natos ex illo Mosellæ Duces, Arduennæ transtulit hæreditatem, sub qua potior Namurcensis, ut nunc est, Comitatus censebatur: & hujus Martini, qui alioquin Dux Mosellanus fuit, filia fortassis est illa anonyma, quæ

quæ ſub hoc tempus titulo *Ducissæ Namurcensis* datur uxor quarti Comitis Hanavienſis. obiit anno 770. Martini certè ex filio Lamberto nepos Loherus pulſus ob ſuperbiam Regno Auſtraſiano & Ducatu Moſellano privatus, itemque Comitatu Arduennæ, per Pipinum Regem, poſt hujus mortem ſupplex factus Carolo Magno in gratiam & Ducatum reſtitutus eſt. Et quamvis filius ejus & poſteri Comitis Arduennæ titulo vſi legantur, tamen neutiquam toto, imò ne potiore quidē Comitatus parte fruiti, ea duntaxat potiti ſunt, quæ ulterior circa Luceburgū & Germanias. Altera autē quæ ad diſtinctionem Belgica appellatur, per Pipinū (quod ſuſpicor) aſſignata Adelrico nepoti ſuo ex Simphoriana filia ſecūdis nuptiis juncta Lamberto & proinde Germano Loheri ſupradicti: cujus poſteri citantur Adelhardus & Robertus, vnde aliqui Ducum Lotharienſium ſtemma deducunt. An autem ſub nomine Arduennæ Belgicæ comprehendatur potior Namurci pars vltra Moſam, nolim dubitare, ſed nec aſſerere, quòd caſtrum Namurci fuerit comprehenſum. Quicquid tamen ejus ſit, rediit ad Loheri poſteros pars illa Ardennæ potior ſive Comitatus Namurcenſis ablata, per nuptias filiæ Almarici Comitis cum Raginerio Sadigeri Ducis Moſellani filio, Loheri pronepote, (obiit a. 876.) qui proinde arrogavit ſibi & aſſumpſit defuncto ſocero poti-

potiorē Comitatus Namurcensis partē, potissimùm eam quæ Ardennæ superiori proxima, quam adeò ad hæredes transmisit, donec per nuptias Bonæ ejus ex Ricuino filio neptis, Carolo Lotharingiæ Duci, vt per nuptias Ermingardis Carolo natæ Alberto Namurcensi Comiti idipsum, & quicquid in Comitatum reliquum juris prætendebat, cessit.

Parergon ad excusandum memorias & diaria vetera.

„ CArolo magno imperii occiden-
„ talis clavum tenente varia & di-
„ gnitatum & curarū nomina emer-
„ serunt. Inter alia Marchionis Na-
„ murcensis titulum innotuisse con-
„ tendunt vno ore veteres memoriæ.
„ Ego quāvis nec diplomata nec ex-
„ teros scriptores habeā stabiliendo
„ huic nomini, tamen facilè patiar
„ scribi præfectū aliquē datum Arci
„ huic in confinio duorum fluminum
„ constructæ, qui limitis hujus aut
„ quasi limitis curam gereret, ob id
„ Marchio appellatus. Quos ipsæ ex-
„ dem Schædę volūt, posito Marchio-
„ nis titulo, Comites dictos, cum per
„ nuptias Ermengardis Carolo Lo-
„ tharingo natæ plenum ejus provin-
„ ciæ dominium nacti sunt, cujus ha-
„ ctenus fuerant honorarii admini-
„ stratores. Quid ergo, inquies, cùm
„ Geraldum in Lotharienſi, Beringe-

rum.

rum in Bronienſi, Robertū in Gemblacenſi, alios in Leodienſi Hiſtoriis Comites Namurci vides nominari ante æuum Ermingardis ſupradictæ? plures ſunt viæ experiendi hos labyrinthos. Potuit enim fieri eodem tempore & Comites eſſe & Marchiones eſſe, aut diverſos aut eoſdem etiam, ſed non tota, ſed non tanta, ſed non pacifica gaudentes provincia. Et eſto, fuerint Comites Regni aut Ducatus Lotharici, fuerint Comites Imperii, fuerint in Comitatu Namurcenſi, qui latè olim per Ardennam extendebatur, dominantes, ideoque Comites dicti, nihil tamen vetat etiam Marchiones fuiſſe. Et ſanè vt pacem licèt iniquiſſimam æquiſſimo bello præferendam cenſeo, ita probare à majoribus ſcripta, & ſicubi diſſentire videntur, in gratiam reducere, aut, ſi id minus licet, juſtam erroris cauſam dare, multò malo, quàm aut reijcere, aut damnare, aut caſtigare bonorum veterum labores, contra æui noſtri morem, quod ex ejuſmodi ſtudiis famam venatur. Hoc igitur agam, & quæcunque tam apud exteros quam populares reperi, in chartam conjiciam, addat quiſque ſua & conferat, melioribus ego cedam, doctioribus concedam.

C A-

CAPVT IV.

Annorum ferè 200 gesta & Comites continens, Glomerici posteros, & ferè sanguinis Lotharici.

COmmunis Historicorum & memoriarum consensus est, Carolum magnum Naymoni cuidam arcem Namurcensem & Marchionatum contradidisse. Fuit hic Naimo generalis Dux Bauararum cohortium, regia Boiorum stirpe editus, aut quod verosimilius è posteris Glomerici Comitis aut affinibus Adelrici Dynastę procreatus: Dignitate *Comes regni Austrasiani*, quo titulo eum frater Carolus Imperator dederat vnum ex duodecim advocatis Ecclesię Leodiensis: Itemque ex paribus regni Franciæ qualiter Gasnem proditorem cum Ogero & aliis Comitiis duodecim-viralibus, sine parlamento indicto, condemnat.

Marchio etiam Namurci, vtpote onus habēs defendēdi à pyratis flumina, à prædonibus sylvas, à Barbaris limitem. Quod fecit gnauiter, & loquitur suum authorem aucta Namurci arx, culta Nameschi littora, habitata apud Namynas rupes. Ad extremum dum Magni Cæsaris castra sequitur in pręlio ad Resçidam-vallem commisso glo-

riosa morte obiit, anno 810. aut 812. vt Bellefor. in Aylis campis in cemiterio cum aliis sepultus, & huius fortè filia fuit quæ duodecimo loco inter vxores Comitum Hanauiensium ponitur & titulo Ducissæ Namurcensis, & vixisse colligitur circa hęc tempora.

Cùm historię Leodienses nominent in Synodo illa sub Carolo Magno celebrata (vbi instituti sunt 8. Archidiaconi) inter alios *Arnoldum filium Comitis Namurcensis* & sub annum 815. referant *Pentecostam filiam Radulphi de Pratis 3. Comitis Huyensis elocatam Theodorico Comiti Namurcensi*, facilè credam hos duos Naymonis filios fuisse, & hunc quidem successorem. Maximè cum plerique Indiculi referant, his prætermitis, successisse Naymoni Amalricum non filium (quod pauci volunt) sed nepotem vel ex fratre vel ex sorore. Esto itaque hic secundus Marchio siue Comes, qui & in hastiludio Huyensi decertans anno 819. scutum prætulisse dicitur aureum nigris duabus distinctum fasciis, & nescio an non ab hac nomen seruet castrum in edita rupe extructum ex aduerso VValciodori.

Almaricus in ordine tertius Marchio in dissensione illa nepotum Caroli Magni adhærens Lothario, vtpote Imperatori, ab Luduuico Germanico interfectus est, in cruenta illa & centum milli-

millibus capitum ęstimata pugna, ad Fontenellam in finibus Altiſidorenſium anno 842. ipſo die Paſchatis, tumulo illatus cum aliis in ſepulchreto ingenti, quod hodieque viſitur ſecus fanum Deiparæ. Nominis veſtigium eſt Amynes vicus ad Moſam.

Memorię veteres vt filium ita hęredem Almarici faciunt Beringerum, quem cùm anno 932. vixiſſe ex diplomate Cæſareo diſcam, quę antè apud alios reperi addam. Chronicon vetus m. ſ. refert, Alcmarico duntaxat vnicam fuiſſe filiam, procurante Imperatore (nomen non addunt) elocatam Raginerio Sadigeri Ducis, vt dixi, filio. Quid ergo de reliquo Namurci Comitatu? non exprimunt Chronica. Ego arbitror Affines ſuperiorum Comitum etiam inuito Cæſare ſibi aſſeruiſſe, cùm legam anno 899. in coniuratione Principum Lotharingiæ contra Suentebaldum Arnulphi Cæſaris natura filium recenſeri Gerardum Namurci Comitem, qui Stantii nomen ob id adeptus ſit, quòd Normannis Namurceſium & Andennam in primis vaſtantibus, fortiter arcem tuitus ſit poſt an. 880. An autem hic Stantius idem ſit cum illo beati Gerardi Bronienſis parente non definio. Affinem Beringarii Comitis fuiſſe hunc admodum credo, quoad fęminum latus, ab Hugone Ca-

meracensi Comite descendisse, quoad masculinum testatur historia. Nomen huius perseuerare videtur in sarto Geroldi iuxta Namurcum.

Gerardo subiungam Beringarium, quem perperam, vt seriem suam concinnarent memoriarum collectores, vixisse volunt paulo post annum 800. ego audacter addo paulo post 900. faciunt Almarici filium eadem-propter; historię simpliciter genus trahere asserunt à Glomerico Comite, de quo suprà. Cæterùm quo titulo hic ad Comitatum deuenerit, non mihi liquet, facile fuit tempore turbarum, sub Carolo Simplice concitatarum, fauore alicuius partis fretum, possessionem Comitatus adiisse. Credamus illud dum certiora se offerant, & statuamus, quòd extra controuersiam est Beringarium hunc *Comitem fidelem & amicum*. i. Beneficiarium *Imperatoris* anno 932. extitisse, & ius rogatu tuendum accepisse titulo Aduocati territorium *Broniense*, cum aliis sitis *in pago Lomacensi*, & amplius ab eodem Cęsare arcem Bouinii, quæ Romanis authoribus gloriatur, possidendam fiduciario titulo obtinuisse. Ab hoc fortè dictus palus Beringeri, à quo vsque ad Tarentisiam extendere Ducatum suum contendebat Henricus Dux.

Filium Beringero dant schędæ veteres

res Godefridum, Godefrido Henricum vltimum Marchionem, eo quòd Godefridum Henrico natum putent maritum fuiſſe Ermengardis Lotharingicę, & obliterato Marchionis titulo, cuius ratione viderentur imperio obnoxii, Comitis appellationem induiſſe. Ego cùm nihil apud vicinarum gentium ſcriptores prȩter trium horum Comitum nomina reperiam, his in medio relictis aliò conuertar, & conſtituam ſucceſſorem Beringario, aut, ſi mauis, Godefrido Robertum, cuius geſta & nomen ſuppeditat Chronicon Gemblacenſe. Erat hic ex affine Heribrandi Comitis Bratus-pantii natus. Vnde cum eodem contra recens extructum Gemblaci cœnobium arma mouit, nihil veritus Pontificis Romani fulmina, & Cęſaris interminationes. Vaſtatum Gemblacum, occupata monachorum peculia, nec integrum fuit aut Cæſari foris occupato ſuccurrere, aut religioſis tanto exercitui reſiſtere. Neceſſariò itaque veniendum ad leges pacis, quæ ipſa nec ad effectum deduci potuit anno 960. niſi cum dimidia bonorum iactura. Atque ego arbitror huius victorię pretium aut prȩmium Comiti Namurcęo manſiſſe, Comitatum Darmienſem, ſub quo potior territorii Flerucenſis pars continebatur, cuius trientem expiandi facinoris cauſa Di-

uo Lamberto obtulit Comes. Et nescio an non hic esse posset ille octavus Alberti secundi Comitis *Comes Robuoldus*, quem recens extructo VValciodorensi cęnobio ius immunitatis exemptionisque dedisse fatentur diplomata. Huius Roberti nomen mons retinuit, vbi postea structum cœnobium anno 964.

Nisi Rotbertum eundem cum Adelberto siue Alberto primo faciam, cogor & temporum & historiarum serie ei substituere Adelbertum, quem Otto Imperator iteratò anno 992. declaravit solum Broniensis abbatiæ Advocatum, unà cum Notgero Episcopo factum probante. Quique exorto inter Lambertum Louaniensem & Episcopum Leodiensem prælio anno 995. ob donationem Comitatus Huyensis ab Ausberto Comite factam, in qua iure affinitatis se potiorem videri volebat Lovaniensis, auxilio veniens huic, ab Hasbanis obtruncatur anno 998. Non tam paternis titulis quàm coniugio & propria virtute felix.

CAPVT V.

Annorum 50. Hiſtoriam expediens ſub Comitibus Ermengardis Francicæ hæredibus.

IAm ad famam venire Namurci nomẽ tot locorum acceſſione recens augmentatum cœperat, ſed timebatur à Moſellanis & Lotharingiæ Ducibus, qui licèt nuper iuſtam Ardennæ Belgicæ portionem obtinuiſſent, tamen (ut ſunt impotes ſui & impatientes quietis Principum animi) imminutam veteris potentiam maieſtatis ægre laturi videbantur. Itaque tempori occurrendum ratus, Comes Alberti pater, & bella & fortunam imò etiam familiam Caroli Franci Lotharingię Ducis ſecutus, meruit filio ſuo Ermengardis eius ex Bona Moſellanica filię nuptias, & cum eis reſtitutam ſibi Comitatus amplitudinem, redditis Ardennæ locis pluribus, auctam imò Thenenſi in Haſbanis territorio. Hæc Ermengardis diu marito ſupervivens cum filiis rempublicam adminiſtrauit. obiit anno 1049.

Succeſſorem Adalberto dein Ragiņerium ſive Ratbodonem, qui ſicut & frater ſub tutela matris Ermengardis rexit, & res magnas geſſit. Germanicarum partium ſtrenuiſſimus propu-

gnator, donec anno 1005. post obitum avunculi sui Ottonis, Cæsar negatum Lamberto Louaniensi (qui Gerbergam eius materteram duxerat) Ducatum Arduenatibus assignavit. Nec multo pòst cùm Brugeronensem Comitatum (cuius iurisdictio extendebatur à vicinis *Reuche* & *Ralant* vsque ad fanum Quintini) Carolus Comes 1200. Marcis argenti Baldrico Episcopo annó 1013. vendidisset, Lambertus Lovaniensis iure affinitatis intervenit, ideo diris Ecclesiasticis involutus. Hac controversia in bellum erumpente, cùm insuper Episcopus arcē apud Hugardas extrueret, auxiliares advocavit Dynastam Florinensem (quod oppidum recenter dono Gerardi Episcopi Cameracensis acquisierat) Radulphum de Pratis, Comitem Salmensem, & Namurcensem. Pugnatum acriter & victoria penes Leodienses fuit, qua hostium securi prędæ & poculis se dantes, somnum capiebant, cùm secedens ab exercitu Namurcensis avunculum monet, adducit, adiuuat, victoria licèt carè empta ad Louaniensem inclinante. Quibus visis non obiter, Godefridus Florinensis, vnà cum episcopo Namurcæsium ingressus, ferro & flamma in vicos hominesque sæuit, donec interuentu Flandriæ Comitis pacis leges dictæ, quibus iubebatur Louaniensis communio-

munioni fidelium restituendus, Ecclesiam in Hogardis ad solamen cęsorum extruere & Namurcensis 4000. berantinorum eundem in finem pendere, quibus, vt fama est, sancti Iacobi in Insula cœnobium inchoatum. Hęc pax cum Episcopo stabilita quidem, sed remanserunt discordiarum reliquię inter Namurcensem & Florinensem. Cumque hic Gorelonis Ducis, ille Louaniensis auxilio fretus apud Florinas concurrerent, nece vtriusque Comitis remansit penes Ducem victoria an. 1016. vt chronica, 1014. vt Sigibertus. Videtur hic Raginerius nomen communicasse Sarto circa Namurcum.

Rotbodoni siue Raginerio successorem do Aldebertum. Equidem arbitror interuentu aut Episcopi Leodiensis aut Frederici, (qui filius Goselonis Ducis, postea Papa Stephanus octavus factus est) ad sopiendam dissensiones ex bello Florinensi, & cæde patris ortas, matrimonium eius cum Reinolda Goselonis filia procurasse, dote in ducatu Bulloniensi consignata anno 1035. Hic Comes à Cæsare Aduocatiam de VVasegga, ab Episcopo oppignoratam sibi antè, Comitatum Brugeronensem accepit beneficiario titulo possidendum anno 1031. aut vt alii 1033. quę professio renouata anno 1080. & 1090. sub Oberto Episcopo. Interfuit *obsidioni Flori-*

nenſi gratia pacis facta, an. 1045.& 1052. & alteri etiam interiecto tempore, *iuſſu Henrici Cæſaris*, qua captum miriſque modis deformatum oppidum anno 1041. Contra Odonem Campaniæ Comitem Reginaldo Epiſcopo opem tulit, vbi *dum in confertas hoſtium turmas ruit intrepidus* occubuiſſe traditus eſt, ſed inter cadauera latens ignotus voto concepto ſe Martyris Albani ædem reſtiturum, incolumis ad ſuos remeauit. Et tum voti reus conſilio in primis Frederici tum Leodienſis Archidiaconi, poſtea Pontificis, cepit templum reparare anno 1047. & loco Monachorum ſubſtituere Canonicos. perfectum anno 1055. Cumque tam in ſuperiori bello quàm aliis Comes Imperatoris partes & caſtra ſequeretur, orto inter Cæſarem & Balduinum Hannoniæ Regulum bello anno 1051. malè enim quidam in annum 1059. rejiciunt, Balduinus filium cognominem miſit verſus Huyum, filius Comitem Durachienſem verſus Andennas. Quæ miſerum in modum incendio fœdatæ Monialibus turpiter habitis & fugam inire coactis. Pax apud Coloniam indicto conſilio ſtabilita & armis poſitus modus. Deinde teſtem inter alios Principes inuenio Comitem cum Richildis Comitiſſa Hannoniæ, ſpe auxilii ab Epiſcopo obtinendi Comitatum Sancto

Lam-

Lamberto obtulit anno 1055. recepitque fiduciario nomine poſſidendum. Vnde reuerſum & domeſticis curis intentum Haſterienſes anno 1060. interpellarunt VValciodorenſium iugum excutere conantes. Ab his inuocatus *illos in ordinem redegit*, *quæ res neſcio an anſam dederit contentioni*, quam ſequenti anno tradunt quædam memoriæ ortam inter Albertũ Comitem & Dituinum Epiſcopum. Quam certam mox ſopitam, cùm anno 1066. idem Albertus Comes in dotatione Eccleſiæ Huenſis per Dietvvinum facta aſſiſtat teſtis & quidem primus inter laicos & Comites. Eodem aut quod alii proximo anno pugnans cum Godefrido Duce Lotharingię *in Ardennæ* vico Riuonia cruento pręlio ſuperatus occubuit.

Canſa belli, vel ius quod in Bulonium ſibi arrogabat ratione vxoris, aut matris, vel vt ſe Imperatori, quem Dux offenderat, probaret, vel denique vt deperdita circa Ardennam recuperaret. Adde vel quod nonnulli tradunt mortuo Gorelone Duce, Henricum Cæſarem tradidiſſe Ducatum Moſellanum Adalberto anno 1044. quod ęgre ferentem Godefridum Gorelonis filium tam Cæſari quàm Adalberto bellum mouiſſe, & hunc quidem peremiſſe.

Suc-

Succeſſit anno 1072. in Comitatu Albertus ſocius rebus pace belloque geſtis clarus Richildi Comitiſſæ Hannoniæ contra Flandrum auxiliaris; conſtitutus Vice Comes Virdunenſis à Theodorico Virdunenſi Epiſcopo, qui auctoritate à prædiſceſſoribus ſuis aliquoties vſurpata Comitatum mortuo anno 1077. ſine liberis Godefrido Gibberi Duce, vacantem, ſibi reſeruauerat. Vnde poſtea Godefridus Bullonius avunculo in Lotharingia ſuccedens arma in vtrumque mouit; videnſque Virdunum ab Alberto & Namurcenſium præſidio teneri, Satzenacum vrbem vicinam occupat, & arce munit, prędas circa circumagens Hoſtes his malis obviam ituri arcem, & in ea Ducem obſident, ſed ad famam advenientium cum auxiliis fratrum Ducis Euſtachii è Germaniis Balduini è Galliis obſidionem ſolvunt, & pax interventu Henrici Epiſcopi Leodienſis inter Ducem & Virdunenſem facta anno 1088. aut vt alii 1089. Cauſa, cur potiſſimùm Theodoricus Epiſcopus Albertum Comitem ad res ſuas ſtabiliendas elegerit, erat, quòd ſciret eum Duci infenſiſſimum. Erat autem ideo, quòd cùm Godefridus per matrem ſuam Idã Gibberis ſororem factus eſſet Comes Bullonii, *Comes Namurci Albertus per aliam Idam vxorem ſuam dictum Ducatum*

tum Bullonienſem reclamabat. Iſta duæ Idæ & earum ſucceſſio eſt genus Heliæ militis, quem cygnus adduxit & reduxit, vt dicitur. Eſt autem ille Elias eques 2. Cliuię Comes, de quo hæc referuntur.

Addunt hiſtoriæ quo tempore Godefridum norat abundè in componendis rebus Lotharingię ſuæ occupatum, Arcem Bullonienſem à Comite Alberto obſeſſam, ſed irrito conatu an. 1077. Vnde haud multo pòſt oportuno loco in finibus ſitum caſtrum de Mirvvart tentat reædificare; Henricus autẽ Leodienſis Epiſcopus componendi cauſa negotii montẽ, in quo caſtrum fuerat olim, à Richilde Hannonię Comitiſſa emit anno 1080. ipſeque neutra partium ſuffragante ſuo pro arbitratu in eo conſtruxit. De fine huius belli nihil traditum, & crederem ſimul cum VVirdunenſi bello per Leodinum antiſtitem compoſitas res anno 1088.

Hæc foris geſta, quibus non minora domi ſollicitus arbiter curavit. Pontẽ Dionantenſem pro commodo nundinantiũ fieri permiſit an. 1080. & eodẽ an. author fuit Henrico Epiſcopo ordinationis iſtius contra prędones omnia infeſta tenentes faciendę, & pacis inter Bruſtenienſes & Trudonenſes concipiendę. Referunt nonnulli codices, defunctum cum Ida coniuge Albertum anno 1102. Alii magis ſpeciatim ad-

dunt.

dunt interfectum in Leodienfi bello anno 1101. quod contra Obertum Epifcopum geffit Imperator. Quod crederem volens, nifi diploma Andennenfe anno 1107. aliquem iniiceret fcrupulum, in quo Henricus Cæfar ait Albertum Comitem pœnitudine ductum bona per prędeceſſorem ſuum occupata, & equitibus diſtributa, Eccleſiæ reſtituiſſe. Certè ſi tum adhuc vixit, neceſſe eſt dicamus, viuo patre conſortem imperii factum Godefridum filium, qui anno 1105. & alias res ſuis auſpiciis & Comitis titulo vocatus geſſerit.

Parergon ad lucem hiſtoriæ dandum.

SVcceſſit Alberto & Patri filius Godefridus. Sed an Alberto ſecundo aut tertio, variant ſcriptores & ſcripta. Acta & memoriæ omnes tertium vocant, diploma Dionantenſe anno 1080. diſertè ſecundum vocat: Diploma Hẽrici Cæci huius Alberti (qui Eccleſiam Diui Albani privilegiavit) numero ſubpreſſo facit nihilominus Henricum ab illo Alberto quartum, vnde neceſſariò conſtituendi duo Alberti poſt Rotbodonem ſive Reginerium, à quorum priore quartus ſit Henricus. Hæc vt conciliemus, dicendum Albertum, quem memoriæ, & Hiſtoriæ, & ego neceſſitate

ceſſitate diplomatum convictus ſecundum feci, qui fanum Divi Albani extruxit, nunc ſecundum nunc primum vocari, ſecundum iis qui *Adelberti* nomen idem faciunt cum *Aldeberti* ſive Alberti, primum iis qui non. Certum enim eſt nomina hæc, licèt vulgo viderentur eadem, re & ſignificatione diſtingui. Sed quid ſi dicas Albertum illum, qui Eccleſiam, in *qua ipſe cum hæredibus bonæ memoriæ requieſcit, privilegiavit*, *eſſe* Albertum primum, poſt quem Raginerius Albertus ſecundus, qui Canonicos inſtituit, Godefridus & Henricus in ordine quartus imperarint? Non ſit mihi veriſimile, diverſos eſſe illum qui reſtituit & privilegiavit Eccleſiam, maximè cùm cauſa non fuerit privilegiandi illam collapſam iam, & cuius Monachi à religionis monaſticæ obſervantia defecerant, quæ cauſa ſubſtituendi Canonicos. Deinde neceſſe erit, ſcriptores omnes Leodienſes & memorias erroris arguere, & bellum clademque ad Rivoniam ſomnii loco habere: denique Reinoldam ſecundi & Idam tertii uxorem confundere, & dicere Albertum ultimum ferè nonaginta annis regnaſſe, quæ abſurda Godefrido huic non immeritò nomen *Illuſtris* dant, eo quòd & ſuis & filiorũ matrimoniis & geſtis imò peperit immortalitatem. Bella geſſit an. 1105. cum

Duce Brabantiæ eiuſdem nominis imprimis ob Comitatũ Brugeronenſem, quem non ab Epiſcopo ſed à ſe in feudum tenendum Dux aſſerebat:ſed cùm interventu Comitis Flandriæ electi 6. vtrimque arbitri pro Epiſcopo controverſiam decidiſſent anno 1107. alia redintegrandi bellum obtulit occaſio:Epiſcopatus Leodini competitores erant Fredericus Comitis frater, aut vt alii, patruus, pro quo & ipſe Pontifex & Lemburgi Falqueburgique Dynaſtæ ſtabant, & Alexander pro quo Dux Duraſſi & Montis acuti Comites an. 1120. ſtabant, vnde ab illis quatuor villæ Namurcẽſes, ab illis Geldonia, Gemblacũ & viginti pagi exuſti, & obſeſſum Huyum, pugnatumque ſtante ab illis victoria anno 1126. Deinceps Balduino III. Hannoniæ Comiti Flandriã repetenti auxilio fuit, utpote affini. Obiit anno 1039. apud Floreffienſes, ibidem cum uxore Lutzeburgi hærede ſepultus.

CAPVT VI.

Alteros quinquaginta annos percurrens, quibus inter duos Comites bellatum.

HEnricus cui acquiſita ex morbo cæcitas Cæci dedit cognomen paternæ maternæque hæres maieſtatis, totam ferè à morte patris ætatem bellis im-

impendit. Auxiliaris Godefrido tertio Duci Brabantiæ in bello Grimbergano anno 1140. Denique ob castrum Veteris villæ mota controversia, qua durante *Balduinus de Fontaines à Magistro suo,* sic verba sonant, *iussus decertare cum Godefrido Cambrasiensi partes aut vices Henrici Comitis tuente,* sed res certis pactionibus sopita.

Contra Leodium antistitem occasione Bullonii, ut reor, arma mota. Occupatum illud erat à Renaldo Comite Barensi; & Henrico Comite, quod recuperaturus utpote suum emptionis iure, antistes Alberto (licèt Comiti Henrico nepos, ut quidã volunt) dum militem colligit, Hugo & Renaldus Barensis filii auspiciis Henrici Fossense oppidum cum sancti Foliani cœnobio exurunt anno 1147. Episcopus post obsidionẽ castro Bulloniensi potitur an. 1142. 21. Septẽ. Et cùm pleraque Chronica tacito Comitis Barensis nomine à solo Henrico dicant captũ & perditum Bullonium, mirum quosdã esse qui inter auxiliares Episcopi eum nominent. Hoc certum mox capto Bullonio pacẽ redintegratam inter utrumque adeò ut Henricus Episcopo centũ argenti marcas mutuò dederit, quæ postea novi belli dederunt materiam.

Sequenti anno Ecbaldus advocatus Florinensis Gerpinensem pagum &

Ecclesiam succendit, factum lego causam nō ita, sed nec vltionem à Comite sumptam; nisi quòd suspicio esse possit, ad occurrendum similibus machinamentis Flenuum in vicino donasse opidi iure anno 1148. & contentum fuisse divina vltione, quam sacrilegus ante anni à scelere decursum sensisse legitur. Interiecto tempore cùm ab Henrico Alberonis in Episcopatu successore illud centum marcarum, de quo dixi, mutuùm Comes repeteret anno 1151. aut vt alii 1157. & ille nisi exhibitis desuper confectis literis, se teneri recusaret, ventum ad arma. Episcopus octodecim pagos exussit, Comes per Condrusios ferro & flamma grassatus, apud Andennam castra metatur. Cumque starent in procinctu acies, nec superveniens Hanno valeret rem componere, pugnatum acriter, & cedente Namurcensium turma insecuti hostes Andennam irrumpunt, incendunt, pontem Mosæ destruunt, templum & virgines sacras violant. Cuius paulo pòst ductus pœnitudine Episcopus & templum refecit, & virgines novis ornavit privilegiis. vt rarò malum solum est, excepit mox aliud bellum à Comite Durachii Marescallo Leodicensi, cuius causam necdum inveni, cruentum scio: combustam nimirum iterum Andennam. excepta Ecclesia, & coactum biennio post ab amicis destitutum Comitem in pacis etiam iniquæ leges descendere.

Erant

Erant iam inde occulta dissensionem semina cum Brabantiæ Duce, ius aliquod in Comitatum Namurcensem aut saltem illam Comitatus partem quæ in & circa Hasbaniam prætendente, credo quòd Lotharingiæ eam deberi opinaretur. Cùm autem debellatis rebellibus aliquot sic satis in Ducatu se confirmasset, Henricum Comitem Valentianis, vbi Balduinus Hannonis filius celebri consessu militari cingulo ornatus erat, redeuntem intercepit, anno 1168. sed breve dimissum. Qui non obiter hanc ferens iniuriam, auxilio Balduini supradicti in armis se exhibuit, verùm cum starent ex adverso acies res compositæ cum honore Henrici apud Escausines anno *1170*. Bellum etiam cum Hannone Treverensibus paravit, sed revocatus à Frederico Viennensi Comiti, retrocessit.

Ita adiutus ab Hannone sæpius eidemque non vno titulo obligatus. Comitatum Namurcensem & Luceburgensem vendit anno *1170*. à morte demum sua possidendum, dummodo ad omnia accederet Cæsaris confirmatio.

Post sterile enim matrimonium viduus sorori Aleydi, quæ Hannoni nupta, ius anno *1163*. & *1169*. transcribebat, quod ipsum iam bis antè conceptum fuerit, ea lege vt duabus reliquis sororibus

Hanno de dote provideret. Vix huic tractatus finis impoſitus erat, cum inimici redintegrato bello Namurcũ quaſi indagine cingere, ita ut non liceret de urbe ad urbem tuto procedere, anno 1171. Accurrit auxilio Hannonii filius & Iacobi Aveſnenſis Rozonis Gaveri, Guilielmi Sanota Aubertini ductu tripartito exercitu omnes diſſipat. Dux etiam Limburgenſis, credo à Brabanto affine perſuaſus, incendio plura Namurci loca fœdans, ſimiliter Hannonẽ advocavit. Qui violenta manu Limburgi Ducatum prætergreſſus, Arlumũ, quod tũ à Limburgenſi occupabatur, obſidet, cogitq́ue anxium pacem petere, capta reddere, imò damnum reſarcire. Decennii ferè pax fuerat, cùm novi motus & eo maiori cum periculo coniuncti, quia inteſtini, rebellis nimirum Rupefortenſium, quinam inde Namurcenſium erant beneficiarii ab eodem Hannonis filio in ordinem redacti anno 1182. Evenit anno ſequenti lecto affixum Luceburgi Henricum Comitem, oculorum uſu deſtitui, & Hannonem infirmo aſſiſtentem tranſactas pactiones renovare, & amplius cum Radulpho Epiſcopo Leodienſi trãſigere, ut ceſſerit ei omne quod in Namurcum ius arrogabat, reſervato poſt mortem Henrici uſu-fructu terræ Durbutenſis excepto caſtro anno 1187.

quo

quo tamen gavisus non fuit, quippe morte præventus ante Henricum. Mortuâ Laurentiâ Theodorici Elsatii Flandriæ Comitis filiâ, prima uxore anno 1170. Henricus Comes ad secundas progressus nuptias, Agnetem Ottonis Geldriæ Comitis sororem duxit, sed ob demerita aut suspiciones sinistras repudiavit. Et post quindecim demum annos consilio Ducis Brabantiæ & Archipræsulis Coloniensis recepit in gratiam, nec multo pòst filiam Ermesendẽ ex eo suscepit. quam eorundem Hannoni infensorum consilio, vix annum ætatis agentem condixerat Henrico secundo Campaniæ Comiti. Qui ea fine Namurcũm veniens, & sponsalia contrahit de futuro, & recipitur à proceribus tanquam hæres post soceri mortem futurus anno 1187. Horum non ignarus Hanno ad Imperatorem Fredericũ tum Tulli agentem ablegat Lambertum Gislenopolitanum Abbam, & Gillebertum à secretis suum imperaturos confirmationem contractus. Sed cùm negaret Cæsar se vivo Henrico de illa re dispositurum, Hanno Namurcum veniens pręsente Campano & proceribus, in cæmiterio Divi Albani expostulat, cum Henrico Comite, & petit unà ne tanta fraude & iniuria bene meritum afficiat. Cæterùm cùm nihil impetraret, eundem Gille-

bertum cum prudentiſſimo equite Goſuino de Tullini VVormatiam mittit ad Cæſarem, expoſituros rei geſtæ indignitatem. Qua intellecta Cæſar annuit & Hannoni ad ſe venienti confirmat Comitatum, eundemque ad Hamayium recepit anno 1188. Horum omnium certior redditus Henricus, reverſum pace compoſita recipit, in cuius verba iurarunt proceres patriæ, iuravit Henricus ſe nihil contra moliturum, iuravit Balduinus ſe ad recipiẽdam, quam Campanus abduxerat, Ermeſendem filiam allaboraturum. Verum enimvero cũ Henricus vtpote cæcus adminiſtrum iuſticiæ in ſuo Comitatu deſignaſſet Hannonem, adulatorum nequitia ex ſcintilla parva ingens oritur incendium. Prædo inſignis in ditione Alterinenſi ſpoliato, & ad necem vulnerato mercatore iter faciente captus, quatuor-decim argenti marcis vitam redemerat. Mercator nec iuſtitiæ nec ſibi factum ſatis videns, Hannonem implorat; qui captum convictumque cruci affigit. Vnde murmur in populo, & commotus Comes Duaci decumbens mittit legatos ad Campanum generum nunciaturos, mittat militem muniendis arcibus Namurceſii. De his edoctus Hanno iuſto nobilium numero comitatus Namurcum devenit, eodem ferè quo Henricus eò æger delatus eſt tempore. Cumque eo ſalutato, nihil æquum impetraret, iuberetur

retur imò vrbe excedere, nec se rebus provinciæ implicare, ille mox instructo exercitu improvisus Namurcum aggreditur, & licèt reluctantibus qui in vrbe erant muro & vrbe potitur, (quæ in prædam cessit militi) castrum obsidet: & cum inde submissus ignis vrbis potiorem partem absumpsisset, fixis vltra Sabin tentoriis, fortiter vrget, donec deficiente potu deditionem facit Henricus ea lege, vt Rogerio Condatensi neutrarum partium, beneficiario tamen vtriusque traderentur Castra Namurci & Durbuti, post mortem demum Henrici tradenda Hannoni. Interim autem dum Rogerius advocatur, illud Ottoni Trazeniaco, VValtero VVarguy, Nicolao Barbenconio, hoc VVilrico Valenitiensi, Clarenbaldo Altérinensi, Sebastiano Gardinensi, Godefrido Moriamæo concreditur, iuramento obligatis. Quod parum curiosè dum posteriores servant, Durbuto militibus Comitis Campani tradito, priores Hannoni Namurci arcem reddunt. Qui idem castrum Theodorici deditione ceperat, & fratri suo tradiderat Bominii arcem machinis oppugnatam ad deditionem compellebat, & captam refectamque præsidio firmabat. Similiter arcem Veteris villæ vi cepit & Bievernæ. Floreffia etiam occupata: sed cùm ad

preces Abbatis Hanno inde militem eduxisset, incertum cuius vitio, admissi Namurcensium præsidiarii grande oppido malum pepererunt. Erat assiduò in partibus Brabantus, nec Hanno nisi ab animo suo ullum sentiebat solatium, & ferunt destitutum auxilio amicorum suppetias ab Henrico Rege Romanorum Frederici Imperatoris filio per Abbam Viconiensem petiisse, qui in Comitis Vormatiæ rem conficiens, effecit, ut præsens ibi Hanno, non tantum feudis Henrici avunculi sui omnibus investiretur, sed etiam Marchio Namurci designaretur. factum id anno 1188. triduo ante natalem, testibus Maguntino antistite & Vormatiensi, Comitibus Palatino, Nassaviensi, Limogiensi, & aliis, solvendo certis terminis mille quingentas libras argenti. Cumque post quindecim dies elapsos Henricus Rex componendi causa dissidii Leodium (annales nostri VVerdam scribunt) cum Hannone veniens evocasset Namurcensem & Brabantum, nulla via Namurcensis parari potuit. Rex tamen cum Brabanto, cui potior Hasbaniæ pars cum Thenis Hasbaniæ & tractu inter Mosam & Sabin oppignoratu erat, quique acceptis in fidem Henrico Merlemontano & Clarebaldo Alterinensi, Floreffiæ, Lernuto, Merlemonti prędidia imposuerat, rem componit,

ponit, adiudicans Duci Thenas & Larnutum abdicatum quicquid in reliquo Namurcæsio iuris prætendebat, & accepturo interim septingentas argenti marcas, ab Hannone.

Parum stabilis fuit hæc pax, vel quòd ad condictum diem non repręsentaretur pecunia, vel quòd consilio Flandri Dux à contractu resiliret. Dux sequenti anno rebus eis in statu manentibus, contra Gerardum Lossensem Comitem certans, Trudonopolim causam belli obsidebat, sed accurrente in auxilium Hannonę cedere coactus. Alia parte Campaniæ Comes invigilans in omnia momenta exercitum instruebat in Hannonem, Flandri autem intervẽtu induciæ in Septembrem vsque decernuntur. Quibus expirantibus sępius hinc inde excursum & commissæ velitationes. Nominatim præsidium Veteris villæ excurrens insigni clade Nivellenses affecit. Quibus æstimatis Francus Pictavium vocatos Hannonem & Campanum componit, huic Durbutum & Rupensem Comitatum addicens; illi Namurcum, Luceburgo dispositioni Cæsareæ relicto. Cui paci licèt minùs consenserit Campanus, tamen minùs fervens deinceps visus est in prosequendo. Flander autem avidus componendi dissidii cum Duce

partes Altam-crucem evocat, & rem ſic decidit, quomodo antè convenerat, niſi quòd loco ſeptingentarum marcarum mille ducentæ ab Hannone pendi iuberentur, cui interim Lembecæ beneficium addicebatur. His confectis ſecurior Hanno Merlemontē poſt ſeptidui obſidionem occupat, Floreffia poſt gravem oppugnationem potitur, & turribus muroque amolitis vaſtat, veniensque Namurcum, in Herbattis nobiliū Homagia recipit. Quibus conſideratis Henricus Comes pronior ad pacem & rationem ſe ſub & remiſit. Archiepiſcopus autem Colonienſis Regis Romanorum iuſſu pacis formulas concipiens addixit anno 1190. in Iulio. Hannoni Homagia & arces antè occupatas, ex nunc, reliqua Comitatus & Durbuti Rupiumque loca demum poſt obitum avunculi poſſidenda, ita vt pendat mille quingentas marcas, de quibus ſuprà mentio. Quam pacem Traiecti ab Imperatore anno 1192. confirmatam annales referunt. Vix biennii quies fuerat, cùm Henricus Comes hortatu Ducis Brabantiæ, auxilio Limburgenſis Ducis, Simonis electi Leodienſis, Frederici Viennenſis, Gerardi Iuliacenſis, Alberti Damborchani & Muha Comitum avidus recuperandi caſtra & Comitatum ſuum, novis rebus ſtudet, eóque fine Namurcum ingreſſus ad Novam villam circa Hasbaniam conſedit. Balduinus ad fa-
mam

mam rei magnis itineribus Gandavo veniens, prælio decertat. Limburgensi patre & filio captis, equitibus quindecim dum per piscinã conantur evadere mersis, aliis fuga dilapsis. Nec multo pòst ad Hallas Hanoniæ conveniens cum Brabanto Balduinus de pace egit & transegit: & ita bono Comiti Henrico si vita turbulenta mors saltem obtigit pacifica.

CAPVT VII.

Et in eo gesta annorum 24. per Comites Hannonici sanguinis & Marchiones.

Consecutus partim hæreditario, partim emptionis iure Comitatum, Cæsarea autem donatione primus Namurci Marchio declaratus Hannoniæ Comes Balduinus cognomento Animosus, vivo etiam tum & frustra reluctante sæpius avunculo, arces totius Comitatus validiores obtinet sollenni ritu inauguratus anno 1188. & in Herbattis dat recipitque fidelitatis vt dixi iuramentum.

Adversarios habuit præter avunculũ, de quo supra dixi, Lotharingiæ Ducem & Comitem Pethelensem, quorum ille intra Ducatus sui terminos novã dignitatem erigi debere negabat se invito, hic per vxorem Henrici Comitis sororem in hæreditate propinquior videri volebat, vterque per Cæsarem repressus. Balduinus autem postquam principatum iniisset bellis

bellis à Flandriæ Comite Duceq; Brabantiæ multum vexatus, protector provinciæ Leodiensis in dissensione Alberti Rethelensis primò, tum alterius Cuccani partes fovit contra Simonem Episcopatus occupatorem anno 1191. Vltimis testamenti tabulis Philippum ex filiis suis Namurci Marchionem appellavit anno 1195. beneficio tamē fratris Balduini Hannoniæ Comitis provinciam possessurum.

Hic Philippus natus anno 1176. cognomento nobilis, à patre destinatus nuptiis filiæ & hæredis Petri Comitis Neversii: sed cum anno 1195. res concepta & inter vtriusque coniugum parentes promissa ad effectum non deduceretur, ab eiusdem nominis rege Franciæ equestri baltheo ornatus, regium favorem ita ampliter sibi conciliavit, vt gener eius meruerit designari.

Initiis principatus impeditus impetitusque à Theobaldo comite Barensi Comitatum sibi vindicante, quique adeò vivente adhuc Balduino Philippi patre se movere cœperat anno 1193. Sed controversia plurium annorum inimicitiis & armis producta, in pacem tandem desiit, conceptam in Divi Medardi Dionantensium fano, in hanc formam. Ab armis & iurgiis vtrimque cessato: Barensis iuri quod in Namurcum habet cedito: Namurcensis eidem Durbutum & Rupes concedito, & provinciæ vtriusque communi suffragio limites statuuntor. Hoc

medio

medio quies fuit nec metus à Luceburgo, nisi quòd legam vnicam adhuc de finibus citò natam citò sopitam fuisse controversiam anno *1212*. Cum Leodicensibus huic Comiti non semel res fuit. Erat quippe Hugonis de Petraponte Episcopi consanguineus, & ratione Samsonensis castri beneficiarius, vnde cum & pro eo in seditiosos Leodienses arma expedivit anno 1196. & iterum in Huienses qui machinas Namurco missas ad subsidium Episcopi publicè combusserant an. *1202*. Author pacis extitit inter eundem Episcopum & Ducem Brabantiæ, & aliàs inter dictum Ducem & Comitem Geldriæ. Vnum miror, quòd inter auxiliares ducis Brabantiæ Comitatum de Muha repetentis contra Episcopum inveniã Philippum Comitem, eo fortassis, quòd ipse etiam Philippus in aliquam Comitatus Muhaniensis, utpote finitimi, partem se venturum consideret.

Fratris Balduini serius propugnator & eius ad imperium Græciæ profecti vicarius in Flandria fuit. Belloque Frãcico missus anno *1199*. in Attrebates, *prope castellum quod Leucùm vocatur in patria Nerviorum* obviam habens cum exercitu Robertum Blesensem Regulum cum pluribus capitur in Maio, missusque ad regem in Normanniam custodiæ traditur, sed brevi interventu Mariæ (quæ vxor Balduini fratris grata Regi) non tantùm dimisius, sed & pax inter vtrosque prin-

cipes

cipes conciliata. Interiecto tempore cū Francus intellecta Balduini Imperatoris morte, vereretur ne Flandri aliquam filiarum & hæredum ipsius Anglis Franciæ nomini infensissimis elocarent, impetrat à Philippo, cuius fidei commissæ erant, eas sibi transmitti. Paret Philippus, sed parum nomini suo, parum Flandriæ proceribus consulens. Hi enim indignatione moti Comitem provincia iubent excedere, & gubernatorem sibi substituunt Buchardum Avesnensem, & fama erat Philippum filias fratris Regi Franco prodidisse, imò prostituisse, & earum alteram Iohannam, quam postea anno *1211.* suis opibus in Flandriæ possessionem reduxit, Fernando Portugalensi vendidisse. Cuius facti aut saltem famæ dedecus ita graviter Comitem affecit, vt vltimum vitæ curriculum in eiulatu & pœnitentia scribatur consumpsisse, & quatuor Abbatibus Villariensi, Cambe-ronensi, Marcionensi, Valencenensi anteactæ vitæ piacula confessus, ex hac vita migravit anno *1212.* festo S. Dionysii, eosdem quatuor vltimæ voluntatis suæ designans executores. Princeps magnificus & pius populoque in primis acceptus.

CAPVT

CAPVT VIII.

Vbi duodecim annorum hiſtoria, quibus in familia Cortenacenſi hæſit Namurcum.

MOrtuo poſt ſterile matrimonium Philippo Yolēthis ſoror Petro Corteneo Comiti Antiſiodorenſi nupta ſucceſſit, licèt minor natu. Nec enim Balduini ſenioris prolés, cùm repræſentationem excludat patriæ conſuetudo: nec Iſabella ſoror, cuius maritus Artheſia dotali contentus aliis hæreditatibus renunciaverat, Comitatum arrogare poterant, nec Henricus ſenior frater Imperiali contentus dignitate volebat. Hoc autem mortuo cum iure hæreditario imperium ad Petrum Comitem anno 1216. devolveretur, ſine mora Namurco recedens Philippum filium in Comitatu ſubſtituit, Romamque delatus in Divi Laurentii fano diademate ornatur: & dum Bizantium tendens ſpe capiendi Dyrachii littora Albaniæ legit; claſſe Veneta comitatus, dolo capitur, abducitur, & in vinculis vitam finit anno 1221. qui filios poſt ſe duos reliquit Imperatores, & exiguo quo Namurcum tenuit tempore, Othonis Imperatoris & Fernandi Comitis Flandriæ partes impugnavit, aſſecla Philippi Regis Franciæ, & vxor eo probante leges & libertatem Novæ villæ apud Namurcum dedit anno 1214. Bovinio

nio confirmavit. Philippus filius repudiato diademate, Comitatu & cœlibe vita contentus bellum pluribus annis gessit cum VValteramo Limburgensi Duce, qui ducta Ermesende Theobaldi Barensis vidua, post iterum iterumque iu. tam pacem, Comitatum Namurcensem sibi asscribere conabatur anno 1222. Ventum ad arma, sed iusto prælio nõ concursum, partibus Dionanti in has leges convenientibus, quibus Limburgensi addicebatur quicquid nemoris vltra Mosam est versus Ardennam, vsque ad Arciam silvam; Namurcensi autem quicquid ab Arcia longè latéque vsque ad Mosam. Et quamvis hic Comes junior scribatur in bello Francico cũ pater à partibus regis staret pro Flandro anno *1214.* pugnasse, tamen provectior Ludovici Regis castra secutus est, nominatim cum hæresi Albiorum infectam Avenionem obsidère, vbi cum aliis primæ notæ Comitibus ex contagione periit anno *1226.*

CAPVT IX.

Tres annorum decades percurrens, quibus à pluribus possessum occupatúmque Namurcum.

DEbebatur hoc mortuo Comitatus fratri Balduino Imperatori, sed dum is Bizantii occupatur, Margarita, soror Hendrico Comiti Vianensi nupta, Namur-

murcum vſurpat, initio regiminis bello petita à Fernando Comite Flandriæ neſcio quid in Comitatu ſibi debitum aſſerente. A quo capta Golſina & Floreffia vaſtata cum vicinis locis. Et quamvis Philippi Colonienſis Comitis interventu velint hiſtorici pacem confectam, tamen aliter ſentiunt Diplomata quæ docent aſſignatum Flandro vſum-fructũ Veteris villæ & Golſinii, renunciaturo reliquis Namurci locis. Confirmata hæc pax apud Cameracum anno 1232. in Novembri. Margarita hæc Comitiſſa, vel ex ſacris canonibus nota eximiæ pietatis femina, ſed & prudentiæ, ſed & felicitatis, ſi Balduino fratri res Bizantinæ ceſſiſſent ex ſententia. Quibus dedignantibus rationis & neceſſitatis erat pro derelicto aliquatenus habita reſumere. Veniens itaque in Gallias tam à Rege quàm à Flandro bonis reſtitutus eſt anno *1237.* Namurcum à ſorore tenebatur, quod obſeſſum imperator non *ſine magna impenſa ſanguinis Namurcenſis* recepit in feſto S. Odæ, receptoque invitam Margaretam cedere & excedere coëgit. Reverſúſque Bizantium, cùm ſentiſſet omnia, mediorum partim defectu, in peius ruere, tertiò in Franciam profectus, à pluribus adiutus, à Blanca Regina matre S. Ludovici cuius neptim Martham filiam Ioannis Brennæ regis Ieroſolymorum anno 1246. duxerat) 20000. librarum accepit, tam diu Comitatum Namurcen-

F ſem

ſem vtendum fruendū concedens, quoad mutuum reſtituiſſet. Dum hæc aguntur, plures cauſa Comitatus ſe movere cœperunt.

Henricus Lucenburgi Comes Ermeſendis Lucenburgiæ ſæpe dictæ filius poſt tot paces ſopitum ſuſcitat ignem. Ioannes Aueſnenſis Hannoniæ Comes, eo quòd Balduinus tempori beneficium profeſſus non eſſet, in curia Gulielmi Regis Romanorum, iure eundem Comitatum ſibi vendicabat. Vbi anno 1245. Moguntiæ per imperii principes, pro Aueſnenſi deciſum, & quia dictus Balduinus debita clientelaris obſequii pendere recuſaret, ſecundo damnatus anno 1248. & quia inconſulto Hannone Franco Comitatum quodammodo vendidiſſet, tertiò Hannoni addictus anno 1252. non obſtante Innocentii Papæ reſcripto, quo petit anno 1250. ne patiatur Conradus Imperatori Balduino pro fide occupato iniuriam fieri, maximè in Namurcenſi Comitatu. Thomas etiam Flandriæ Comes Pollivacum Caſtrum cepit anno 1244. plura facturus niſi in humanis eſſe deſiiſſet vxor. His tamen omnibus non obſtantibus Imperatrix Martha Balduini vxor Comitatu potita eſt anno 1251. aut vt Meierus anno 1252. Miſſa erat à marito in Pictores ad Reginam Blancam, hærenſque ibi vſque ad Reginæ mortem, ab ea per vltimam voluntatem obtinuit totum quod in Comitatu ius habebat,

ratione

ratione mutui necdum plenè persoluti. Quæ vigore eius nonnulla in Comitatu ordinavit, & Bizantio veniens recepta est ad regimen. Cæterùm cùm exactionibus vrgeret cives, aut quòd alii cùm volens plectere rebelles quosdam, ad id Balivum suum dimisisset, & is à civibus, dum imperiosiùs agit, obtruncaretur, Imperatrix omnium vtpote læsæ maiestatis reorum bona fisco suo ascribere studebat: Cives cum nec ab Imperatrice ipsi quicquam æqui impetrare, nec sanctum Luduuicum regem ad intercessionem possent invitare, in furorem acti ad Henricum Lutcenburgensem mittunt legatos, offerentes opem, hortantes hæreditatem auctam recuperet. Qui lætus occasione, ipsa natalis Dominici appropinquans in vrbem recipitur, castrum obsidet. Imperatrix anxia dum nec à Leodiensi ecclesia, cui pretio vili Comitatum vendere satagebat, opem sentit, ipsa auxilio Flandrorum mediocrem instruit exercitum, Balduino Auesnensi Margaretæ Flandrensis filio Duce. Qui, quòd Luceburgensi faveret, parum seriò rem gessit, & cùm vrbem oppugnasset in speciem, quindenæ inducias procuravit: per quas dilapsi bene multi militum, & Franco VVesemalius videns subsidium non adesse, deficiente commeatu, cùm iam loco panis coctum sanguinem equorum sorberent, post biennii obsidionem Luceburgensi castrũ dedit anno 1258. die 8.

Vincentii. Durante obſidione Ioannes Aveſnenſis Hannoniæ Comes aſſerens caſtrum ad ſuum ſpectare principatum, venerat obſidionem levare: Sed mox inita concordia Lucenburgenſis id in feudum ab Hannone aſſumpſit. Cuius non diuturna fuit dominatio. Balduinus enim Imperator, cui directum in Namurco ius competebat, illud conſilio ſancti Ludovici Regis 20000. librarum vendidit Guidoni Comiti Flandriæ, filio Margaretæ anno 1262. Qui armis cœperat Comitatum vſurpare, ſed pax interventu Balduini Aveſnenſis facta, iuncta Lucebur genſis filia Iſabella Guidoni viduo, & Balduini filia Beatrix Henrico Comitis Luceburgenſis primogenito, & Pha altera Luceburgenſis filia Ioanni Aveſnenſi Hannoniæ Comiti. Interim Luceburgenſis & vnà Gerardus Durbutenſis eius frater renuntiarunt omni quod in Namurcum arrogarent iuri.

CAPVT X.

Geſta per Comites ſanguinis Flandrici complectens annis ſexaginta.

ITa Guidoni Flandriæ Regulo tum emptionis tum dotis titulo acceſſit Namurci hæreditas; & viſum pleriſque titulos Comitis, qui videbatur penes Ermeſendã remanſiſſe, & Marchionis, quẽ ab Imperatore conſecutus erat Balduinus, iun-

ctim

ctim ad vnum Guidonem rediiſſe: Cuius ex prima coniuge liberi Flandriam, ex poſteriori Iſabella Namurcum obtinuerunt. Ipſe Guido numeroſa felix prole Reges quinque generos, duos ſoceros, Duces duos generos, totidem ſoceros habuit vir ſagax & prudentiæ non vulgaris, qui cum Leodienſibus amicitiam coluit quamdiu Iohannes filius in Pontificatû vixit, in quos antea non ſemel arma induerat. Inprimis cũ Duce Brabanto Diœceſim vaſtans anno 1282.& antea Bovinienſibus ſuis contra Dionantenſes auxilio veniens anno 1276. Cum Hannoniis etiam res fuit & quidem in & pro Zelandia, anno 1253. contra Iohannem Aveſnẽſem pugnans capitur: ſed mox pace ſequuta libertati reſtitutus; recuſavit etiam interiecto tempore Comitatum ſuum & quę alia in Flandriis poſſidebat è manu Hannoniæ Comitis relevare anno 1283. Cum Luxenburgenſibus etiam leves diſcordiæ fuerunt anno 1272. ſed leviter ſopitæ anno 1303. Captus à rege Francorum Compendii in carcere obiit anno 1297. miſſuſque à vivente in poſſeſſionem Comitatus Iohannes filius, regibus Francorum Philippo & Ludovico Hutino acceptiſſimus, quorum ille Carolo Valeſio per vxorem ius in Comitatum præſumente, electus à partibus arbiter pro Iohanne reſpondit anno 1312. hic in eiuſdem Iohannis gratiam addictas fiſco regali Niverſii & Retheloſii terras reſti-

 tuit

tuit anno 1315. Bello strenuus ætatem ferè bellis occupavit ab anno 1319. vsque ad annum 1322. In Leodienses quidem recrudescente Bovinienſium & Dionanrensium odio pluribus annis bellum gessit. In Hannoniæ Comitem pro Flandro certavit, anno 1303. & captum belli tempore Lessinium recuperavit & incendit: Postea cũ fratre Guidone ex parte Hannonum Guidone Traiecti Episcopo & Gultero Portiano Comite electus arbiter anno 1307. de pace inter Guilhelmum Hannoniæ & Robertum Flandriæ Comites communicavit; quam licèt tunc non compositam, paulo pòst tamen idem Comes auxilio Gerardi Sottegemii confecit anno 1310. Comitatumque adeò suũ, quod pater negaverat, ab Hannonis manu accepit beneficiarium anno 1307. Vexatus vnica sed levioris momenti Namurcensium seditione ob exactiones & tributa vt creditur excitata, sed eam exemplo patris citò, mulctatis non uno modo auctoribus, sedavit anno 1313.

Patre à Francis capto anno 1321. Flandriam egregie tutatus est; Luduuico Nevernensi Comiti Flandriæ armis & ope auxiliaris, contra Machildim Roberti Bethuniensis filiam, & victoriæ præmium vsum fructum Crepicordiensis terræ in Cameracesio & amplius Slusanæ vrbis possessionem à Luduuico obtinuit anno 1323. Qua donatione cùm se læsos graviter quererentur Brugenses, nec Comes

revocare velle videretur donum, gravia bella exorta sunt. Captusque à Brugensibus Ioannes Comes, sed per secessum elapsus à Rege Franciæ confirmationem obtinuit anno 1324. Sequentibus autem annis perpetuò auxiliaris fuit Luduuico, & in prælio quo Comitem proprium irritati, Brugenses anno 1325. ceperunt, & solvit obsidionem Gandensem & Aldenardensem, & multos Brugensium trucidavit, qui eidem in legibus pacis per Regẽ Franciæ dictis iussi pendere 66000. librarum. Iterum anno 1327. cum Flandris leges pacis rumpentibus, Francus regionem ingressus est Comiti, & eidem Insulis cum Rege contra eosdem præstò fuit anno 1328. Interfuit Boloniæ nuptiis Eduardi Regis & Isabellæ Francicæ anno 1307. in Ian. Insuper coronationi Henrici septimi Aquis anno 1308. ipsa Regum. denique eundem Cæsarem in Italiam comitatus est anno 1310. Parisios ad Regem profectus ibidem obiit anno 1330. ante Pascha. vxor Maria Arthesia per annum duntaxat marito superstes, Luduuicum Malanum è sacro baptismatis fonte sustulit anno 1331.

Ex filiis Ioannes successit anno 1330. qui Parisiis mortuo patre raptim veniens, in Divi Albani inauguratur. Cœlebs vixit, petitus bello à Leodiensibus, quos Francus ob receptum Namurci exulem è Galliis Robertum Arthesium suscitaverat, idem author pacis inter Episcopum

& populum anno 1335. Sed armis positus finis Roberto inBritanniam profecto an. 1333. Deinceps controversias habuit cum Brabantiæ Duce ob ditionis Ayſanæ possessionem anno 1330 In eundem auxilio veniens Flandris arma sumpsit,in bello propter emptam Mechliniam gesto anno 1332. Militiæ sacræ in Palestinam nomen dans ibidem à Gualtero Advocato Huensi eques creatus est.Inde in Prussiam profectus contra infideles in reditum debitũ naturæ persolvit anno 1335. 2. Aprilis.

Guido Frater,qui fortè aderat,Namurcum properans, à civibus recipitur anno 1335.in Angliam Scotiamque profectus, in manus hostium venit; sed brevi redemptus,cum Franco & aliis principibus fœdus iniit. In Flandria ludis equestribus à Domino sancti Vienantii telo confixus interiit, anno 1336. 12. Martii. Cadaver solenni pompa Namurcumdefertur, & mittitur in Norvvegiam nuncius,qui tertium è fratribus Philippum advocet.Quo moram trahente provincia per Henricum Laudis Pompeiæ in Italia Comitem, huius patruum administratur, adscitis in curæ & operæ communionem VVerico VValcuriensi & VValtero Iupiliensi.

Comes autem Philippus post inaugurationem non contentus anno 1336. 8. Nov.cum fratre in Prussia militasse adsociatis sibi quinquaginta nobilibus in Cyprum se transtulit anno 1337. ibidem cum

cum triginta sex suorum Fama-gustæ obtruncatus est.

Fama mortis Namurcum delata anno 1338. cognomento dives, impubes adhuc Guilhelmus fratrum quartus, sub tutela matris & patrui surrogatur, anno 1362. qui Aquisgrani Comitatum suum à Carolo quarto multis auctum privilegiis suscepit, non ab Hannone, vt frater. Eduardi Angliæ Regis, qui Vicarius imperii tum erat, castra sequutus est anno 1339. licèt iuvenis, vsque ad obsidionem Cameracensem. Qua soluta cùm Anglus in Franciam cogitaret belli onus transferre, Guilielmus vnà cum Hannoniæ Comite se subduxerunt, asserentes animum sibi non esse in Francia nisi Franco militandi, sicut in imperio Cæsari militaverant. Cæterùm cùm hæc secessio Francū non moveret, quo minùs Hannoniam depopularetur, vterque Comes arma posita resumens, magna Franciæ attulit detrimenta.

Et cùm Dux Normanniæ, regis frater Thuinum Leodinæ diœceseos, oppidum, quod Episcopus anno 1346. per Richardum de Limosin & Iohannem Theodorumque fratres Comitis Namurcensis naturales, vt puto, defendebat, adfuit Comes cum ducentorum equitum turma, Hannone sexaginta Flandrorum millia duce Iacobo Arteveldio submittente. Non ventum ad manus, sed Thuino exusto dilapsi ad sua quisque redierunt.

Lego deinceps interfuisse Guilhelmum Comitem Comitiis apud Vilvordiam ab Eduardo Rege celebratis. Quem tamen nō multo pòst invenio Francorum Regis contra Eduardum causæ patrocinari, & eidem cum exercitu adesse Caleti òbsidionem soluturo, & eidem Gandenses oppugnanti succurrisse, interque primos Burburgum ab Anglis detentum oppugnasse anno 1382.

Et qui Iohanni Brabantiæ Duci contra Leodienses in causa Mechliniensi opem tulerat anno 1345. is mutato consilio Vécessaum Ioannis successorem, pro Episcopo eadem propter oppugnavit anno 1346. Hæc foris & ferè alienis auspiciis gesta, domi non-minus præclara sunt. Auctum tam emptione quàm aliter Comitatus peculium, Vrbs multum regionis primaria multum aucta & ornata testantur.

Post obitum parentis successit eiusdem nominis filius cognomento Gelsiniensis. à puero sub parentis strenui disciplina in armis exercitatus, anno 1380. Comes Flandri ob diffidia Brugensium advocat', Auxiliaris Caroli Sexti & Burgundiæ Ducis ducentorum equitum turmam duxit anno 1383. primasque cum suis in Burburgunsi oppugnatione, & nisi nox vrbi succurrisset expugnatione tenuit. Expeditioni Caroli sexti in Britanniam, anno 1385. Antonii Ducis Brabantiæ in Traiectenses, anno 1405. Duci Burgun-
diæ

diæ in Leodienses cum quingentis equitibus succurrit, potior victoriæ partæ causa: Cum Franciæ rex Carolus sextus inauguraretur anno 1408. 23. Septem. Luduuico Flandriæ Comiti iusta fierent anno 1380. Burgundiæ & Hannoniæ Principum liberi apud Cameracum matrimonio iungerentur anno 1383. pax apud Carnutes inter Burgundos & Aurelianenses, tractanda anno 1385. Difficultates inter Antonium Ducem & Hannonem sopiendæ anno 1409. interfuit: Sicut & in Comitiis Tornacensibus à Burgundo Duce celebratis anno 1411. Nuptiis Antonii ducis: Solennibus epulis Francorum regis cum selecta nobilium turba apparuit anno 1409. A Philippo Burgundo Gubernator Curtraci factus anno 1385. à Iohanne Duce in intimi consilii societatem assumptus, cum eodem Parisios profectus est anno 1408 Mortuus in bona ætate anno *1418. 10.* Ianu. Vxorem reliquit superstitem, quæ nuptiis Philippi Ducis interfuit anno *1424.* & cùm Primogenitus eius aquis salutaribus expiaretur, testis astitit anno *1425.* Similiter in tractatione pacis apud Atrebates & in nuptiis Caroli Comitis Carolesii legitur Insulis adfuisse. Meierus ad annum *1455.* obiit anno *1455. 26.* Februarii.

Successit Ioannes frater, quem ab Episcopo Leodicensi captum Hoij, tradunt nonnullæ historiæ, coactúmque se magno redimere. Cùm autẽ lytro confi-

ciendo

ciendo impar eſt,& amplius à Leodicenſibus multum infeſtaretur ; conſilium iniit vendendi Comitatum ſuum Philippo Bono Burgundiæ Duci, ſervato ſibi ad vitam vſufructu. Quod factum anno *1328.* accedente Procerum provinciæ conſenſu.

In quo finiam hoc hiſtoriæ Compendium, geſta ſub Burgundis Auſtriacíſque Principibus ſuis locis inſerturus. Compendium autem hoc præluſi ſatisfacturum aliquatenus, donec Ampliſſimi nominis Vir G. Cronendalius hiſtoriam luculenter & fusè ſcriptam in theatrum patietur prodire, quod ſpero brevi futurum. Interim his fruere & me ama Lector.

I. B.

L. B. GRAMAYE

IN ET DECRE-
MENTVM COMITA-
TVS NAMVRCENSIS.

VT antiquiora illa & obſcuriora præteream; Invenio Comitatum Namurcenſem, vt nunc eſt, occupare potiorem partem pagi Lummenſis & Lomacenſis, inque illo VValciodorus, hoc Bronium deſcribitur:

Pagi Sab.s., in quo Monaſterium S. Fredegundi.

Pagi Muhanienſes, in quo Egeſines.

Pagi Darmienſes, in quo Flerutum.

Pagi Condruſti, in quo Antina.

Contingere aut etiam partem occupare pagorum Tiracienſis, Flamennenſis, Ardennenſis, Thuinenſis, Bellemontenſis, Brabanticenſis, Hasbanienſis, Florinenſis, Foſſenſis.

Qualiter autem hi pagi, quos authoritate diplomatum ſtatuo, ſiti fuerint, Icon poſtea ſubjiciendus repræſentabit.

Definio autem veteres Comitatus inter Moſam & Sabin Libinenſem, Tyrienſem, Biolenſem, Prizerienſem, Caſtellanias VValincurtenſem, Floreffienſem, Montis Aquilenſem, Bovinenſem, S.bis, Gerpinien-

pinienſem. Vltra Sabin inter Ornum & Pietonem Comitatus Goſcelienſem, Darmienſem, Marbaſienſem, Caſtellaniam Veteris Villæ. Circa Ornum & Mehaniam Comitatus Lernutenſem, & Mehanienſem, Caſtellaniam Mehaniæ. Inter Ornum & Sabin Caſtellaniam Golſinienſem. Inter Mehaniam & Moſam Comitatus Laudenſem, Hungonienſem, Haſbanienſem; Namecenſem, Caſtellaniam Novæ Villæ. Vltra Moſam Comitatus Bellefortenſem, Havelanienſem, Bochenſem, Caſtellanias Andennenſem, Sanſonenſem, Moſanam, Honrenſem, Rendarcenſem, Polivacenſem, Haſterienſem. Atque hæc omnia ſuis locis confirmabo diplomatibus aut ſcriptis veteribus, quæ fuerunt in tractu illo, qui nunc Namurci Comitatus vocatur, qui qualiter coaluerit, videndum.

NAmurcum veteris Ardennæ partem fuiſſe nemo vnquam dubitavit.
Glomerici iuriſdictio verſus Ardennam & Durbutum ſe extendit, Odoarii circa Sabin.
Hidulphi Dynaſtæ etiam latè per Ardennæ ſylvas.
Naymo circa Namurcum & Moſam dominatus eſt, vt puto tantum.
Theodoricus verſus Dionantum extendit imperium. Almaricus Territorium de Feix cum caſtro Sanſonenſi dotale acquiſivit.

Ragi-

Raginerus Dux & successores per Flamennam Condrustumque imperitarunt.
Gerardus & Beringerus in Lomacensi plurima possederunt, & hic advocatiam Broniensem acquisiit, Robertus Darmiensis Comitatus partem adiecit.
Atque hæc quidem antiquis expressi nominibus, deinceps recentibus sua daturus.
Robertus itaque in Flerucensi territorio multa acquisivit, & Veterem villam cum vxore possedit.
Adelbertus cum vxore Thenas & alia Hasbaniæ loca obtinuit, & Boviniensem destrictum recepit.
Rotbodo vicos aliquot in Ardenna & ius ad Comitatum Brugeronsensem.
Albertus II. Advocatiam VVaseggæ & Bronii beneficium Brugeronense.
Albertus III. Advocatiam Andennensem anno 1107.
Virdunensem Vicecomitatum, ius in Buloniensem Ducatum.
Godefridus allodium Floreffiense, & ius ad Luceburgum.
Henricus Luceburgum, Rupes, & Durbutum.
Balduinus villas duas in Muhaniensi Comitatu.
Philippus emptione ab Abbate Indensi trientem villarum de Seille, Sclain, Holsdain.
Petrus à Roberto de Bioul nemus Malaniæ & Bioli.

Philip-

Philippus à Ioanne Horion sylvas circa Mosam, quas nunc Grandepratum habet.
Balduini tempore nihil acquisitum.
Guido beneficium Pollivacæ ab Henrico Luceburgensi beneficium 100. marcarum in Glennes à Valerano Salzeburgensi.
Villam Renais, Horenbecq. S. Cornelis, Brakel, Suerlinge, VVaendeke, & Ecceile 4000. librarum ab Abbate sancti Cornelii.
Petegemium ab Arnoldo Domino Cisoniensi.
Balliolum à Ioanne Dampetræo.
Fainiæ Castrũ ab Ægidio Barlamontano.
Præter varia minoris tituli bona & agros à diversis emptos, itemque alia quæ liberis primi matrimonii reliquit, in Flandria, &c.
Ioannes aggeres inter Axelam & Schaffingam, inde nomen Namurci retinentes refectos anno 1321.
Slusam & alia in Flandriis.
Gulielmus 1. & mater eius à Iohanne R. Bohemiæ castrum Poliuachæ cum præpositura, Maioratum de Falize Forines, d'Assaul, de VVaing, de Hayn, de Schaltin, de Lignon, de Fallamaigne, de Hammes, de Fecault, de Martin, de Viræul.
Emerunt & castrum Bellefortis ab Ægidio Faucon, Valecuriam à VVerico Valcuriensi.
A Balduino de Moustier & Iohanne Espangions feuda in Freyres & de la Respaille.

Ab Eustachio de Seraing feudum de Enghesies.
A Ioanne Marbais feudum in Bioul.
A Margareta VVesemalia bona in Fleru.
A Theobaldo de Lesees Advocatiam Lustinii & sylvæ Acremontanæ.
Contra Leodienses per sententiam Romanorum obtinuit vicos Tamines, Brangnees, le Conte Fontenelles, & Gilliers, Mettines, Gerpines, Humignees, Francq vigniers, Court de Betonsart, Bernieres, Ferieres, Gordines, Somerees, & Fontenelles apud VValcurium.
Hemptines, Nertoye, le ban de Sorines, de Liz, Dinant le Chaueye, Iaueley, Garmes, & Pecherolles, Fumale, Naueche, Velaines & Ramineaul.
Gulielmus II. Bethuniam, Ioannes ultimus VVynedaliam.
Ad extremum structam à Carolo V. arcem sui nominis vulgò inter oppida Namurcensia recensent.

DECREMENTVM COMITATVS.

PErdidit ea quæ Arduennates asservabant circa Ardennam Naymo.
Albertus III. Bulonium & Virduni Vicecomitatum.
Henricus Cœcus Thenas Hasbaniæ, cum aliis ibidem.
Balduinus Luceburgum.
Philippus Illustris Rupes & Durbutum.
Philippus à Dolabra quicquid nemoris

ultra Mosam versus Ardennam usque ad Archiam sylvam.
Henricus Viennensis usumfructum Veteris villæ & Golsiniæ.
Ioannes I. Slusam.
Gulielmus II. iterum Slusam anteà recuperatam.
Ioannes ultimus VVynendale.

I. B.

I. B. GRAMAYE

COMITVM NAMVRCENSIVM,

tam Viventium quam Sepultorum

INSCRIPTIONES.

Priores ex authoribus & diplomatibus petitæ, posteriores ex locis vbi sepulti Comites, nisi quòd aliqua ego substituerim, quæ annotavi.

N*Aymo Duc de Baviere.* Elogium hoc de eo feci:

Munere Dux, tituloque Comes, donóque Namurci
Marchio, Cæsareæ fidißimus armiger alæ,
Qui vixi bellis, bustis quoque finio vitam.

Thyri Comte de Namu. Cui Cænotaphium hoc composui:

Rector duorum fluminum, totidem arcium,
Inter alios cadaver ignotum iacet.

Almaricus Marchisus Namurci. Cui hoc Carmen scripsi:

Comes vocabar Almaricus, occidi.
Communis hic mihi tumulus cum pluribus,
Communis etiam mors fuit cum pluribus.
Gerardus Namurci Comes. Cui hos versus scripsi:
In Zuentebaldum dum Gerardus rem gerit,
Et à tyranno vindicavit patriam,
Suumque nomen à tenebris vindicat,
Beringerus Comes, Namuci.
Hos defuncto versus ego scripsi:
Protector Bronnii, protector VValciodori,
Aemulus Alcidæ, vel Quinti Cæsaris, ambas
In Sabis & Mosæ statui regione columnas.
Defuncto Benedicta cohors, bona verba det oro.
Rotbertus Namuci Comes
Cænotaphium ei hoc ego conscripsi;
Robertus iacet hic, Namurci Regulus olim,
Legia cui fatum peperit, Brabantia famam:
Adalbertus Comes Namurci.
Ermegardis Duxissa Illustris Ducis Caroli filia ex Francorum nobilissima progenie.
Sepultus ille aut Bronii cum avo, aut in D. Virginis Namurci cum uxore, de qua vetus Schædium.
Nobilis Ermengarda ex Francigenarum stirpe Caroli Ducis filia, in festo 55 martyrum defuncta in Ecclesia Mariæ matris cælorum tumulatur, & præsente filio Comite Alberto Namucensi & Gerelmo Abbate S Mariæ legavit terræ quietionis suæ 20 parvos denarios.
Deus sit eius animæ misericors.
Rotbodus Comes Namurci.

Sepul-

Sepultus fortè Gerpinii referentibus indiculis Ecclesiæ, nomine suppresso. *Hic sepeliri voluit Comes Namurcensis.*

Aldebertus Comes Namuci.

Tumulus eius magnificus fuit in D. Albani & vxoris cum inscriptione tali:

Hic sepultus iacet Nobilissimus Comes Aldebertus & Reneldis ex Lothariensium stirpe nobilis eius sponsa, qui Ecclesiam hanc fundavit. Albertus secundus Namuci Comes.

Sepultus cum Ida coniuge in D. Albani, sed Epitaphium non reperi. Andennis solet esse memoria 3 Kal. April.

Godefridus Comes Namucensis & Ermesendis Comitissa.

Memoria eius & secundæ vxoris Floreffiæ in saxis 2 nigri marmoris ante aram maiorem.

GODERIDVS. ERMENSIDIS.

Henricus Comes Dei gratia Comes Namuci & de Lutzeleburch.

Memoria eius & vxoris in Ecclesia Floreffiensi in duobus sarcophagis ante maius altare.

HENRICVS. AGNES.

Balduinus divina fauente clementiâ comes Hannoniæ & Marchio adiacentis regionis.

Epitaphiũ in D. VValdetrudis Montibus.

Balduinus hic requiescit Comes Hanoniensis, cuius proavus fuit Balduinus Hannonien.

qui ex Richilde genuit Balduinum Hierosolomitanũ. Ille Balduinus genuit Balduinum, qui in hac humatus est ecclesia ante chorũ ex Alida sorore Godefridi Ducis Lovanii. le ex Iolida genuit hunc Balduinum animosum & fortem, justitiæ & pacis amatorem, erga subjectos humilem, contra hostes rebellem, qui hanc ecclesiam sanctæ VValdetrudis tertio concrematam, & S. quoque Vincentii Hogynensis plumbo texit, & castri locum muris cinxit, & super portam Basilicam S. Servatii ædificavit, in Valentianis aulam & muros circa villam erexit, in Bello monte muros circa turrim construxit, Bynchiam Haymonis Quercetũ Buxeum castrum ramis statum à fundamentis condidit, & turribus & ædificiis munivit, Anno incarnationis Domini 1171, ætatis verò suæ 62, 8 nonas Novem. obiit.

Epitaphium Aleydis uxoris ejus ibidem.

Me legat ad lapidem Comitissam mors Ælidem,
Qui legis adde fidem, oras tibi fiet idem.
Quid mihi famosæ fama dat genus generosæ,
Quid mihi formosæ forma nitorque rosæ?
Fama tepet, generi dolor est speciem removeri,
Sicque datur fieri non hodie quod heri.
Finis adest Iulio cum nulla vel altera fio
Matris humi gremio more locata pio.
Sanctis cognata Namucensi stemmate nata
Sancta sequens fata, plaudo mercede sata.

Quis-

Quisquis ades, tecum volvas quid nunc traho mecum,
Dum potes est æquum te dare dona precum.

Balduinus Comes Flandriæ & Hannoniæ & Marchio Namurci Primus. Epitaphium in Ecclesia D. VValdetrudis Montibus ante aram S. Iacobi. Hic iacet Balduinus Comes Hannoniensis, vir venerabilis, prudẽs, Princeps potens, & illustris. Hic fuit filius Comitis Balduini, qui ante maius altare iacet. Hic ex parte matris suæ Namucum fuit adeptus, & inde primus Marchio Namucensis appellatus. Hic ex parte vxoris suæ Margaretæ, quæ fuit filia Theodorici & soror Philippi Comitum Flandriæ, Flandriam cum Hannonia & Namurco possedit. Hic habuit filios, quorum Balduinus primogenitus in Flandria & in Hannonia, Philippus verò successit in Namuco. Habuit & filias, quarum vna fuit Elizabeth sanctissima Francorum Regina. obiit 17 Kal. Ianu. an. 1195.

Epitaphium Vxoris eius olim in medio nunc latere chori S. Donatiani.

Hæc fuit Margareta vxor Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ primi Marchionis de Namu., mater Elisabeth sanctissimæ Francorum Reginæ, hæc fuit plurimorum meritorum; præcellens in omni opere bono cunctas mulieres viventes in tempore suo, obiit 17 Kal. Decembris anno 1194 mense Novembri. Requiescat in pace.

Vir illustrissimus Philippus secundus Marchio Namucensis.

Epitaphium eius in veteri choro D. Albani.

Hic sepultus est illustrissimus ac potentissimus vir Dominus Dominus Philippus 13 Comes ac Marchio Namurcensis, successor fratris sui Henrici, ac filius Balduini quondam Comitis Flandriæ Hannoniæ ac Marchioni Namurcensi, qui quondam Philippus obiit absque liberis anno D. 1212 numerum 20 præbendarũ de tribus præbendis, ac postmodum ad honorem Dei ad augmentandum Ecclesiam præsentis sancti Albani in divinis servitium instituit in eadem Ecclesia 20 beneficia, quæ dicuntur vicariæ, conferenda 20 clericis Ecclesiæ eidem assiduò deservituris, cuius ossa de consensu Caroli regis Castellæ fuerunt translata de medio navi Ecclesiæ cum altari ab eodem fundato in veteri choro cum maxima reverentia anno 1213 regnante Apostolico viro Honorio tertio & Imperatore Frederico 2. Administrante Hugone de Petraponte Antistite Leodien. De pænitentia severa per eum facta habetur in Cronicis.

Epitaphium Mariæ f. Regis Franciæ in Affligimio.

Maria Philippi Regis Franciæ filia quondam Philippi Marchionis Namurcensis, & postea Henrici Brabantiæ Ducis filia, femina omnium pulcherrima, hic petiit sepeliri anno 1238 Kalendis Augusti. Ora pro ea.

Petrus Comes Altisiodorensis & Tormirensis & Marchio Namurcensis & Iolendis Comitissa vxor eius & Marchionissa.

Cano-

Cænotaphium hoc ei olim composui:
Quo magis incertum est de tempore, sorte, sepulchro:
Cæsaris hoc certũ magis est de morte dolenda.
I nunc ista vide & regnis cõfide viator.

Ego Philippus Marchio Namucensis.
Epitaphium eius Vaucellis.
Marchio Philippus Namucensis hîc iacet intus
Nec facilè dicas animis an maior an armis,
Tu preře sis facilis, mors comparat vltima primis, anno 1226.
Henricus Marchio Namucensis, & Viennæ Comes, & Margareta Marchionissa & Comitissa vxor eius.
Memoria eorum in Grandiprato.
4 Kalendas Novembris Anniversarium Nobilissimi Marchionis & Comitis Henrici & Margaretæ contheralis eius fundatorum nostrorũ, quorũ animabus misereatur Deus.
Sepultus ille in Palestina, hic in Valle Mariæ prope Treveros.
Nos Balduinus hæres Imperii Romaniæ, Comes & Marchio Namurcensis.
Et post obitum Ioannis Brennæ soceri anno 1237.
Balduin par la grace de Dieu tresfiable en Iesus Christ Empereur de Dieu couronnè, moderateur de Romanie & des en croissant, & aussi Marquis de Namur.
Memoria eius Lætiis: Epitaphium ei tale olim scripsi:
Vrbs Constantini me prodita perdita Rege,

Præsidiũ est Eubœa fuga, cacobœa sepulchrũ.

Blanca Francia Regina, testibus Franciæ historiis, diploma enim non vidi.

Martha Imperatrix vidua Balduini Imperatoris
Constantinopolitani. Epitaphium eius esse puto in Nameche.
Icy gist ly droict iritaine Chastelaine de Sãson, que fu dé lignage lé Roy de Ierusalem. Pols por l'ame que Dieu console.
Henricus Comes de Luceleborch & de la Roche
Marchis d'Arlon. Sepulchra eius in Clari fontis cænobio.
Epitaphium vxoris ibidem tale: *Cy gist le Comtesse honoré de Luxẽbourgh Marguerite nommé. Que moult fut sage, Et Extraict de linaige de Bar & de Bretaigne.*
Guido Dampieræ Dominus, Flandriæ Comes.
Et post acquisitum Namurci Comitatum anno 1262.
Nous Guys Cuens de Flandres, Marchis de Namur, & nous Isabeau femme à Nolle homme son cher signeur le Cõte devant nommé Comtesse de Namur.
Epitaphium eius Flinis.
Cy gist tresillustre & noble Prince,
Guy Comte de Flandres fundateur de ceens, qu'il mouroit prisonnier à Compoingie au mois de Mars 1304, & fut rapporte en ce lieu l'an 1305.
Epitaphium primæ vxoris Mathidis Artesiæ

thesiæ ibidem.

Cy gist noble & vertueuse Dame, Madame Mehault, Comtesse de Flandres, Dame de Bethune & de Tenremunde, femme de tres-illustre Prince Guy Comte de Flãdres fundateur de ceste eglise, laquelle trepassa l'an ....

Epitaphium Isabellæ Luceburgicæ II. uxoris in cænobio D. Claræ per eam fundato Pettegemii.

Hic Isabella iacet Guidonis altera coniux,
Hæres Namurci, Luceburgiq; propago, obiit an. 1298, 25 Septembris.

Nous Iehan fils au Comte de Flandres Cuens de Namur.

Et post obitum patris Guidonis. *anno 1303.*

Iehan de Flandres Cuens de Namur.

Epitaphium eius apud Minores Parisiis.

Cy gist hault Prince & de bonne memoire Monsieur Iehan Comte de Namur, que fu filz aisné de bõ Guy Comte de Flãdres, & de Isabelle fille du Comte de Luxemborch, qui trepassa de ce siecle l'an de grace 1330. le vendredy devant le Chandeleuse, & fut mis en terre le quart iour de feburier.

Epitaphium Mariæ Claremontanæ vxoris 1. anno 1308 in febr. in cænobio Vallis Beatæ.

Cy gist noble Princesse Marie de Clermont,
Espouse de Conte Guy de Flandres le cont,
Dieu le veul benire, En l'an 8 el veint à mourire.

Epitaphium Mariæ Artesiæ secundæ uxoris nondum reperi, nec locum sepultu-

ræ, nisi quòd schædæ aliquæ velint Bapalmis sepultam.

Ioannes de Flandria primogenitus Ioannis Comitis illustris Namucensium.

Et cùm patri successisset, *anno 1330.*
Ioannes Comes Namucensis.
Epitaphium in Spaltemensi cænobio Germaniæ.
Hic sepelitur Ioannes .... Marchis de Nament, mortuus in itineragio Prussiæ 2 Aprilis anno 1335.
Guido Namuci Comes vir nobilis.
Sarcophagus eius in D. Albani ante vestiarium.
Memoria in S. Albano & Salzinis.
Duodecima Martii obitus nobilissimi Princip
Guidonis, filii Ioannis Comitis; qui obiit
Cum dolore omnium in Flandria anno 1336.

Memoria in æde Minoritarũ Famagustæ.
Domicellus Philippus de Namu Comes
Regni cũ XXX consanguineis obtruncatus,
Sepulturam apud Franciscum maiorem
Consecutus est anno M. CCC. XXXVII.
Guillaume de Flandres Cuens de Namur.
nonnunquam additis titulis.
Sire, aut etiam *Seigneur de l'Escluse.*
Epitaphium ante aram primariam Ecclesiæ Minorum.
Cy gist hault & puissant Prince de bonne memoire Guillaume de Flandres Conte de Namur & Seigneur de l' Escluse, qui trepas-
sa

sa le premier jour du mois d'Octobre sur l'an de la nativité de nostre Seigneur 1391.

Ibidem Vxoris Epitaphium.

Cy gist haulte & puissante Dame de bonne memoire Madame Catherine de Savoye femme & espouse se à son viuāt de hault & puissant Prince Guillaume de Flandres Conte de Namur Seigneur de l'Escluse, Comtesse & Dame des dits lieux, qui trespassa l. 18 iour du mois de Iuing l'an 1388.

Guillaume filz ayné du Comte de Namur Seigneur de l'Escluse.

Post Slusæ cum Bethunia permutationem conceptam,

anno 1384. perfectam anno 1386.

Guillaume de Flandres filz de Namur S. de Bethune & Montaigle.

Et interdum post cessionem Valecuriæ à patre ei factam *anno 1384.*

Guillaume Seigneur de VValcourt & Bethune,

Filz du Guillaume Conte de Namur.

Cùm patri successisset in Comitatum,

anno 1391.

Guillaume de Flandres Conte de Namur Seigneur de Bethune.

Epitaphium in medio chori Minorum Namurci.

Cy gist hault & puissant Prince de bonne memoire, Monsieur Guillaume de Flandres, Conte de Namur, & Seigneur de Bethune, qui trepassa le X iour de Ianuier, sur l'an de grace de la natiuité de nostre Seigneur mil quatre cens dixhuict.

Ibidem

Ibidem uxoris Epitaphium.
Item cy gist haulte & puissante Dame de bonne memoire, Madame Iehenne de Harecourt, que fut femme & espouse à hault & puissant Prince Monseigneur Guillaume de Flãdres Comte de Namur & S^r. de Bethune, Comtesse & Dame des dits lieux, que trepassa l'an 1455. le 16. jour de Febr.
Iehan de Flandres Seigneur de VVynendale & Renaix.
Cumque vendidisset VVinedaliam Ioanni Duci Burgundiæ *anno 1409.*
Iehan de Flandres Seigneur de Bailloeul & Petegem filz au Comte de Namur.
Cùm fratri in Comitatu successisset *anno 1418.*
Ioannes de Flandria Comes Namurci Dominus Bethuniæ.
Sepultus ad lævam chori D. Albani tali Epitaphio:
Chi gist Trenoble Comte Iehan de Flandres, qui ceda à le Prince de Borgoigne la Comté de Namur, trepassa le premier de Mars l'an 1429. Requiescat in pace.

FINIS.

LVD.

LVD. GVICCIARDINI

DESCRIPTIO COMITATVS NAMVRCENSIS.

CONTINETVR hic Comitatus, perexiguis atq; angustis finibus, inter Brabantiam, terram Hannoniam, Lucemburgensem, & Episcopatū Leodicensem. estque regiuncula, vt sic dixerim, omnibus donis bonisque abundans. nam quod incolas attinet, ij frequentes, probi, fideles, & ad quasvis res acres atque industrij. Nobilitas armis, litteris, alijsque id genus, dignitatem & ordinem suum decentibus, exercitijs splēdet. aër bonus, temperatus, & saluberrimus. territorium varijs cùm fluminibus, tum & rivulis interluitur, quorum agmen præcipuè ducunt Mosa & Sabis, qui ne quid dicam de commoditate illâ quam præbent ad quodvis merciū genus tam crebrò quocumque visum est transportandum, magnam quoque laudatissimorum varii generis piscium copiam, in locis præsertim ubi inter arenas ipsi ac viva saxa, proprios sibi & naturales fundos, lasciviunt ac pascuntur, toto ferè quàm longus est anno, abundè suppeditant. Silvæ hic plurimæ, feris & volatilibus, in fructum pariter ac volup-

voluptatem, plenæ, quarum cæteras magnitudine longè præcellit Marlania. Planities tritici aliarumque frugum eximie fertilis. Montes (quibus regio ſanè abundat) præter utiles illas & amœnas ſilvas, ac ſcaturientes undique limpidiſſimarum aquarum fontes, plurimas habent ferri, quaſdam & plumbi venas: plurimas item varij generis lapidum, ac ſolidorum quidem & ad opera ædificiaque aptiſſimorum, fodinas. Inter lapides autem eminet maximè pullum illud marmor, cujus ingens hic copia. item rufum quoddam albo intermixtum, cui Iaſpidi nomen eſt. tum & tertium genus longè pulcherrimum, coloris inter leucophæum, atque cœruleum, albo interſtincti. multa denique alia lapidum genera, tum ad opera cœmentitia, tum ad calcem excoquendam accommoda. Quin à paucis annis retrò effodi quoq; hic cœpit genus quoddam lapidis carbonarij, in Hannoniâ jam deſcripti, ac prolixiùs porrò in Leodicenſi Provinciâ deſcribendi. Eruitur inſuper copioſiſſimè optimum genus nitri, aliarumque munitionum. ita quidem ut tot iſtis bonis atque commoditatibus, & exerceantur variè homines, & mirum in modum diteſcant. quod utrumque tamẽ potiſſimùm uſu venit in ferrifodinis, quas magnâ ſedulitate atque induſtriâ, per abſtruſas montium venas ac terræ viſcera perſcrutantes, identidem paſſim detegunt. rem ſpectantibus quidem, ſed conſideran-

ſiderantibus magis admirandam! ut quæ magnum pariter & judicium, & experientiam exigat. Neque ſufficit enim eas detexiſſe, niſi & explorare noris, probéque intelligas, vtrùm talis illa vena, vel ſitu, vel bonitate, vel copiâ denique & ſiccitate aquoſitatéve materiæ, fructuoſa tibi futura ſit, an damnoſa. cùm enim & operoſa admodùm res ſit, & immenſos pænè requirat ſumtus, neceſſum eſt vt in eâ te exercueris, ſiſque judicioſus in primis ac diligens, niſi & te ſimul, & familiam velis perditum. Verùm eximia illa tot aquarum & fluminum, totque nemorum ac lignorum opportunitas, purgando, coquendo, & ad perfectionem conducendo, imò in chalybem acuendo, ac de loco porrò in locum commovendo transportandóque ferro inſerviens, & conatum ſimul & ſumtus ita faciles reddunt, minuuntque ut nunquam non & quæratur & inveniatur, nunquam non ſedulò induſtriéque laboretur, idque tot & tantis fornacibus, officinis, ac inſtrumentis, præſertim in dicto illo Marlaniâ, ut verſari tibi videaris in ipſis Vulcani fabricis. Quare meritò dixerim, ſilvas illas & mõtes, horridaſque ac deſertas rupes, ob tam denſas marmorum & alterius generis lapidum venas, non inſigniter tantùm ipſam terram munire, ſed quod fructus quoque & reditus attinet, vel optimis quibuſque & cultiſſimis agris præferendas. Et reperiunt ſanè deteguntque

quotidie Namurenses, magnâ sagacitate judicij, sumptuumque liberali erogatione, multas venas: sed cùm ijs abundet solùm, plures etiam lapsu temporis reperiuri sunt. præter curam enim ac diligentiam ordinariam, & jam omnibus satis notam, quæ in aquis præsertim circiter ipsas venas scaturientibus, & sapore suo easdem prodentibus, sedulò explorandis consistit: exurgunt subinde nova ingenia, nasciturque inexpectata aliqua & extraordinaria, ut sic dicam, occasio, quæ & prædam simul & fructum ostendat. prorsùs ut in Gallecià narrat Iustinus etiam aratro frequenter glebas aureas exscindi, utque & Diodorus & Posidonius referunt, in Hispaniâ casu incensis silvis detectas fuisse novas auri atque argenti venas. Tractat ista prolixè vir egregiè doctus Georgius Agricola: & ante eum solidè admodùm ac nervosè gravissimus ille poëtaphilosophus Titus Lucretius Carus aureolis hisce & quantivis pretij versibus:

(repertum est,
Quod superest, æs atque aurum ferrumque
Et simul argenti pondus plumbiq; potestas,
Ignis ubi ingentes silvas ardore cremarat
Montibus in magnis seu cæli fulmine missos
Sive quod inter se bellum silvestre gerentes
Hostibus intulerant ignem formidinis ergô:
Sive quod inducti terræ bonitate, volebant
Pãdere agros pingues, & pascua reddere rura:
Sive feras interficere, & ditescere prædâ.

Nume-

Numerantur ad præſens in ditione ac territorio Namurenſi quatuor oppida muris clauſa, Namurum ſcilicet, quæ metropolis, Boviniacum, Carolomontium, Vallocutia. Pagi ſunt centum & octoginta duo. ſunt & multa Cœnobia; amplitudine ſimul atque opibus ſpectabilia. Ordines terræ conſtant ex Antiſtitibus, Nobilibus, Magiſtratibus. Sed pergamus de more ad deſcriptionem ſingularem.

DESCRIPTIO
VRBIS
NAMURI.

ORIGINATIO urbis Namuri multas tenebras habet. etſi probatiores tamen, ſive de proprio cerebro, ſive quod ita traditum legerint, derivari contendant à neſcio quo Deaſtro, in ejus, ubi nunc arx eſt, montis jugo, ſub *Nani* vocabulo coli olim & colere, ac petentibus & auxilij ſimul & conſilij copiam facere ſolito. quia verò poſt Ieſu Chriſti in terras adventum, unà cum reliquis omnibus idololatricis, magicis & malignis ſpiritibus, obmutierit, neque quidquam ultrà reſponderit, adſerunt illipſi, urbem ad montis illius radices poſitam, ab infante illo ac muto Nano, voce ex Galliciſmo ductâ, appellatam fuiſſe *Namur*, atque inde porrò ab Italis noſtris *Namurra*. Alij

velut rupem inexpugnabilem volunt fuisse à Romanis extructam, ac *Novum-murum* vocatam. unde posteà factum sit Namurum.

ADDITAMENTVM. [*Mavult maximus Lipsius cum scidis vetustioribus Namurum scribere, quàm Namurcum, & originationem ait liquere, dici enim nostrâ linguâ quasi* propinquum murum, Na-muer.]

Positum verò est opidum inter duos montes ad lævam Mosæ ripam, ac Sabis, ipsum interluentis, in eum fluvium confluentes. Lovanio tantùm octo, Leodico verò & Bruxellâ pari decem leucarum intervallo abjungitur. oppidum sanè lautum, venustum, concinnum, ac munitissimâ arce conspicuum. Circùm arcem numerantur septem distinctæ solitudines, sive clausuræ ut vocant, & mandræ, totidem viris pijs ac religiosis insessæ. In oppido sedem habet Senatus Provincialis, unde Mechliniam porrò licet provocare. Primarium ejus templum dedicatum est Divo Albino, exornatum haud ita pridem Episcopatus fastigio. quâ dignitate fungitur hodie doctus & reverendus Præsul Franciscus VVallon cappellus. Incolæ admodùm bellicosi, & Principibus suis addictissimi. Sermone utuntur Gallicano. civiles valdè, & in certis aliquot artibus perindustrij, etsi mercatores tamen & artifices numerent perquàm paucos. Nobilitas satis frequens, & in eâ familiæ quædam

mirum

miram præ ſe ferentes vetuſtatem, & a Principum quidem ſtirpe, ſed illegitimis tamẽ natalibus bonam partem oriundæ.

Namurum inter & Huyum; ac tertio inde, hinc non niſi ſecundo milliari, ad Moſam flumen, & territorio Namurenſi, Andenna conſpicitur, bonus certè & amplus pagus, vbi ſedes eſt pervetuſti cujuſdam collegij: vulgò Præpoſituram vocant, Canonicarum, inſtituti annis abhinc nongentis & quod excurrit, à Divâ Beggâ, primi Pipini filiâ, & uxore Anchiſæ, queis à Dagoberto Francorum Rege donatus fuit Ducatus Brabantiæ. Ex eo autem Conjugio orti ſunt cęteri omnes Pipini, Caroliq́ue Martellus & Magnus, prout fuſiùs ſuprà, dum Brabantiam deſcriberemus, fuit à nobis expoſitum. Eſtq́ue Collegium iſtud verè nobiliſſimum, ac conveniunt ferè ipſius inſtituta cum ijs Collegij Nivellenſis, fundati (ut dixi) à Divâ Gertrude, Divæ hujus Beggæ ſorore germanâ. quas equidem credo mutuis ſeſe exemplis provocaſſe. Alterum porrò Canonicarum nobilium Monaſterium, Andennenſi adſimile, extat ad Sabim flumen, juxta pagum quem vulgò vocant *Monſtier*, altero à Namuro milliari. Quæ Collegia, ſicuti bona omnibus præbent exempla, ita multas quotidie eleemoſynas erogant, aliáque officia caritatis & pietatis præſtant.

Viſuntur inſuper inter eamdem hanc Namurum & Dinantum, in monte quem

Polvag vulgò nuncupant parietinæ quædã & rudera veteris oppidi *Chevre-mont*, hoc est *montisCaprarum*,quod destructum fuit per intestina bella cum Leodicensibus gesta,nec resurgere hactenùs potuit.

DESCRIPTIO BOVINIACI.

BOVINIACVM, vulgò *Bovines*,ad sinistram Mosæ fluminis ripam est, ac Namuro quatuor leucis abjungitur,oppidulum perantiquum, & tectis simul ac civibus olim frequens, sed direptum sæpè ac devastatum per bella, & præsertim an. 1554.cum obsedit magno exercituGalliarũ Rex Henricus secũdus,& expugnatum pessimis modis excepit. hodie tamen per pacẽ reparatur paulatim & frequẽtatur.

DESCRIPTIO CAROLOMONTII.

CAROLOMONTIVM, admirandum planè opidulum arcis ferè effigiẽ præfert, propugnaculis suis communitæ. Distat Marieburgo quidem trium, Namuro autem septem leucarum spatio. situm peropportunè in monte ad lævam Mosæ ripam, circa nobilem illum locum quem vulgò vocant *Givet*. Nomẽ habet à Carolo Quinto Imperatore, qui coërcendis ab eâ parte Gallis,Mariæburgum tunc tenentibus, extrui jussit.

anno 1555. Gubernat hunc locum Dominus Altopennius, sæpiùs nobis laudatus.

DESCRIPTIO VALLOCVRIÆ.

VALLOCVRIA, vulgò *VValcourt*, Namuro dissidet septem leucis, estque oppidulũ lautum, & pulcherrimis undique agris circumdatum.

DAVA est super Mosam flumẽ, quà Boviniacũ itur, unico tantùm à Namuro milliari, pagus admodùm momentosus, bonáque & validâ arce, tùm & amplâ jurisdictione spectabilis, sic ut titulum Vicecomitatus inscribat. Sunt prætereà in pagorum catalogo varia loca non amplitudine minùs quã amœnitate spectanda, qualis est amœnissimus ille pagus *Floreu*, quarto ab urbe milliari. qualis item *Vaseja*, tertio: & *Samsonia*, altero tantùm ab eâ lapide, locus ad Mosam flumen.

Mutavit etiam ista ditio superioribus sæculis sæpenumerò suos Dominos. unde ob varias variorum in eam prætensiones varia quoque sustinuit bella. quæ nec citra prolixitatis fastidium, nec fortassis omninò citra fraudem referantur. Mihi sufficit dicere, Balduini Imperatoris Costantinopolitani fratrem Philippum, tenuisse Marchionatum Namurensem anno jam tum 1200. Factum autem varijs casibus, ut sub insecutis Principibus Marchionatus migrârit in Comitatum. ac tandem hæreditario jure, vel ut

alij volunt, emtione, venerit in Philippi Boni, Burgundiæ Principis, poteſtatem. atque inde, modo quo cæteræ ditiones hactenùs nobis deſcriptæ, Auſtriacis denique ceſſerit, Gubernatur hodie, nomine Regis Catholici, à Florentio Barlæmontio, Barone Hiergeſio.

Deſcriptis hucuſque Inferioris Germaniæ regionibus Philippi Regis imperium agnoſcentibus, convenientiſſimum ſanè videatur, ſi & Leodicenſis Epiſcopatus deſcriptionem ſubjunxero. tum, quod magna ſit illi cum Provincijs Belgicis ac Dynaſtis earum vicinitas, inviolabilis amicitia, & perpetua quædam confœderatio: tum quod Præſul Leodicenſis, qui hodie rebus præeſt, oriundus ſit ex hoc ipſo tractu,

Atque & præſidium & dulce decus meum.

Aquis-grani prætereà, nobile atque famoſum oppidum, quia Belgicæ noſtræ, quicum illi & aliàs ſæpè negotium interceſſit, valdè conterminum, & quod caput eſt amiciſſimum ſociumque, brevibus deſcripturus ſum.

FINIS

Reipublicæ Namurcenſis.

RESPVBLICA HANNONIÆ.

LV.

D I

C

HA
re
ri
mosissi
dictum
cum,u
Hæc P
nalibu
ribus a
mutavi
nonia d
id temp
dici cep
silvâ plu
rit voc
dem ve
gò Han
lunt T
etiam
verior
derivari
tullium
sed expo
nia igi
habet I

LVD. GVICCIARDINI
DESCRIPTIO
COMITATVS
HANNONIÆ.

HANNONIA bonâ ex parte est ea regio, quã, ut Cæsar in Commẽtarijs asserit, insedêre quondam famosissimi illi Nervij, qui (ut suo loco jam dictum est) metropolin agnovêre Tornacum, urbem paullo antè nobis descriptã. Hæc Provincia, prout constat ex ejus annalibus, Belgicáque historiâ, & scriptoribus aliquot fide. dignis, sæpiùs olim mutavit nomen. nam initiò quidem Pannonia dicebatur à Deo Pane, incolis per id tempus culto. hinc Latine scribentibus dici cępit *Saltus Carbonarij*, à Carbonariâ silvâ pluries nobis memoratâ. posteà venit vocabulo Inferioris Picardiæ. tandem verò Latinis Hannonia, incolis vulgò *Hainaut*, ab Hannone quodam ut volunt Trojano, vel ab alijs nescio quibus etiam illo antiquioribus, appellata est. verior tamen certiorque opinio, tenet, derivari hoc nomen à fluvio Hainâ, meditullium ferè ditionis istius perlabente. sed exponamus jam ejus situm. Hannonia igitur à septemtrione Brabantiam habet Flandriamque: ab austro partim

Cam-

habet Flandriamque: ab austro partim Companiæ, partim Picardiæ confinalis est: ob ortu terminatur ex parte Comitatu Namurcensi, ex parte verò Leodicensi Episcopatu: ab occasu denique Scaldis flumen est, & pars aliqua Flandriæ Gallicanæ. Territorium ejus patet in longitudinem quidem leucis præterpropter viginti, in latitudinem verò sedecim. Terra cœlo & solo felix. variis passim fluminibus, Scaldi maximè, Sabi, Tenerâ, aliisque minorum gentium rivis irrigua. lacubus, stagnis, fontibus copiosa. nemoribus saltibusque pulcherrimis, Mormautio maximè atque Divi Amandi, anteà fusè descriptis, suprà quàm credi queat amœna, jucundis insuper pratis pascuisque omni pecudum genere refertissimis, tum arboribus quoque, & peroptimis fructibus, præsertim verò tritico præstantissimo, scatens. ferri plumbique fodinis dives. operario denique varii generis lapide, ac pulcherrimo quidem, luxurians. ita ut inveniatur hic etiam illud lapidis genus, quod Latini *Indicem* vocant, ab indicando: Belgis vulgò dicitur Toetsteen, Exportatur hinc & in varias terras distribuitur ingens copia calcis vivæ, quam vocant, sanequàm præstantissimæ. Habet denique tellus quam altissimas venas nigri illius & ustibilis lapidis, qui & apud Leodicenses eruitur, & carbonum nomine vulgo innotuit. etsi iste, ob noxiam nimis odoris gravitatem,

Leo-

Leodicensi longè inferior. Continentur hodie Comitatu Hannoniæ viginti & quatuor oppida muris clausa: Montes nempe, Valentianæ (etsi istæ cum territorio suo distinctam constituant ditionem) Bochanium, Quercetum, Condatum, Landrecæjum, Avenna, Chimacum, Mariæburgum, Philippovilla, Bellomontium, Malobodium, Bavacum, Binchium, Rodium, quod & Rhetia dicitur, Sogniacum, Brennia Comitis, Angianum, Hallæ, Lessiana, Cervia, Athum, Fanum Divi Gislenii, Lusa. Pagi sunt noningenti quinquaginta, & amplius. arces toparchiæque innumeræ. inter pagos, ampli complures & pulchri, ac varijs maximisque dignitatum titulis exornati. quales maximè Pequicurtium, Fontana, Lalainium, Montigniacum, Antonia, Bia, Brifolium, Lignæum, Bossutum, Barlemontium, Glajonum, Trasegniacum, Escochinna, Trelonium, Sora castrensis, Brabansonium, Aimeria, cum tot aliis municipiis, ut prolixum sit ea referre. quare sufficit obiter si dicamus, contineri Hannoniâ unicum Principatum, decem Comitatus, duodecim Pares, viginti & duas Baronatus, seu Dynastias, Abbatias viginti sex: Mareschalcum (ut vocant) unum. tum Oeconomum quoque seu Seneschalcum: Magnum Venatorem: Cubicularium, aliósque Magistratus & administros Principales: qui ut plurimum huic illive terræ ipsius genti

velut

velut hæreditarii. terræ hercules omnibus modis florentissimæ, & cùm tectis, tum incolis ad miraculum pænè differtę. cujus Ordines constant è quinque Membris: quorum primum constituunt ij quos vocant duodecim Pares. alterum verò Antistites & Collegia Ecclesiastica. tertium Nobiles. quartum majores illi Provinciæ Magistratus. quintum denique Magistratus Opidani. Progrediamur verò hinc ad descriptionem magis singularem, & primùm quidem expediamus nobilissimos ills Montes, terræ totius Metropolim.

DESCRIPTIO
MONTIVM.

MONTIBVS, ut scriptum comperior in authenticis aliquot monumentis, non inde modò factum est nomen, quod supra montem, seu veriùs collem, ædificati sint, sed à reverentiâ quoque & honore sanctorum aliquot hominum, qui in avium istum & solitarium locum secedentes, sanctam inibi & anachoreticam vitam vixerunt, ac feliciter tandem extincti sunt. quales, ut paucos tantùm è quamplurimis proferam, Divus Gualbertus, Diva Berthildis, Diva Gualtrudis, templi Collegijque Montēsis conditrix: Divus Vincentius, Divus Amandus alijque

quæ complures non virtutibus minùs & ſanctimoniâ, quàm ſtirpe & Principatibus nobiliſſimi homines. Fluxit beatiſſimum illud & verè aureum ſæculum circa annum à Chriſto nato ſexcenteſimũ, & per aliquod tempus, non in iſto tantùm Belgarum tractu, ſed & toto quàm latè patet orbe Chriſtiano, conſtantiſſimè perennavit. Inſtituatur verò collatio inter vitam ac merita hominum ejus ætatis, & eorum qui nunc ſuperſunt. illi, religioſi, ac pij, dotabant paſſim & exornabant in honorem & gloriam Dei Optimi Maximi, ac totius aulæ cœleſtis, inque publicum omnium bonum, & animarum ſalutem, cœnobia, templa, xenodochia, aliaſque id genus ſubſtructiones, idoneos iis ac religioſos miniſtros deputantes: nos non impij minùs, quàm rapaces, ſingula queque demolimur, expilamus, ac non dictis tantùm & factis, ſed hereſibus quoque noſtris omnes inficimus, in contemtum (proh dolor!) ipſius Dei, & commune detrimentum atque infamiam. illi, & honeſti ſimul & probi, amicitiam tantùm & pacem venabantur: nos; fœdi ac flagitioſi, bella ſolùm & diſcordiam aucupamur. illi, proximos ſibi caritate & beneficijs demerebant: nos & vitâ & bonis eoſdem exuimus. utebantur illi cibo & potu, ut vitam frugaliter tolerarent: nos idcircò videmur vivere, ut immodicâ cibi & potus ingluvie turpiter obruamur. illi, in cultu & cæterâ omni vitâ mo-

desti, liberos suos, ac famulitia, quin & reliquos omnes cives bonis exemplis præibant: nos, modestiæ omnis expertes, pessima unicuique exempla præbemus. exercebant se illi honestè, religiosè & circumspectè in sanctis pijsque operibus: nos, honore & reverentiâ, religionéque postpositâ, vel turpissima quæque flagitia nihil veremur committere. Pietati illorum & justitiæ, temperantiæque, quibus, ceu indissolubili quodam vinculo, tota continebatur respublica, substituimus impietatem, injustitiam, atque intemperantiam, quibus solvitur atque inficitur mundus. quæ tam ex diametro secum pugnantes causæ, quid mirum si contrarios quoque producant effectus? videmus hoc nimis quàm manifestè: illi enim vivebant benè, tranquillè, & Deo pariter atq; hominibus erant cari: nos & pessimè turbatéque vivimus, & Deo hominibusque sumus exosi. imò (proh cæcitatem!) in eũ jam locum devenimus, ut meritò exclamare possimus cũ Nasone:

Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita novercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas: & Virgo cæde madentes
Vltima cœlestûm terras Astræa reliquit.

Sed ut unde me bilis & justa nimis indigna-

dignatio avocavit, eò tandem oratio revertatur: dico interlui Montes fluviolo Trullâ, qui è pluribus rivulis derivatus, præcipuum habet fontẽ ad pagum Grandrengam, ubi natus est Nicolaus de Campis, Catholicæ Regiæ Majestatis Fecialis. fluit autem hic Trulla continuo ferè trium leucarum spatio versùs occidentem: atque inde, in exitu hujus urbis, Hainam fluvium influit. Dissident Montes Angiano dumtaxat quinque, Bruxellâ verò decem leucarum intervallo. opidum situ & opere munitissimum: ut quod inundari undique possit, & aquis cingi; ac præter situs ipsius firmitatem, non tantùm robusti operis muro, sed & triplici admodùm lutâ fossâ, tum & arce perveteri, decoretur. amplum insuper, pulchrum, & egregijs publicè privatimque ædificijs exornatum, fontium denique limpidissimas aquas ejicientium copiâ peramœnum. dives idem, & mercimonijs, varioque opificiorum genere, ac præsertim *sajarum* textrinis, florentissimum. Montibus sedem habet Consilium illud Regiũ, quod appellat totus Hannoniæ Comitatus, Valentianis modò exceptis. Iudicat autem hic Senatus definitivè, ut vocant, suntque sententiæ ejus decretoriæ, nec Mechliniæ aut alibi retractantur. cumque de plano (ut verbum forense est) hic procedant, utanturque municipalibus suis legibus tam recentibus quàm antiquis, fit ut sine ambagibus ullis aut tricis, sed ex æquo &

bono unicuique reddatur jus. neq; verò pronuntiatur hic decretoria ulla sententia, nisi interveniente supremo Hannoniæ terræ Baillivio, tamquam Principis in civilibus simul & capitalibus causis Vicario. quo munere hodie fungitur Marchio Renticensis, Regius hujus Provinciæ Gubernator. quatuor verò Senatores ordinarij Severinus Franciscus, toparcha Sepmeriensis: Antonius Brunius: Philippus Sammius, & Philippus Trievius.

Visendum est in hac urbe nobilissimum illud Collegium Canonicarum, quod tantopere celebratur per universum hunc tractum, conditum primò & institutum ab illustri muliere Divâ Gualtrude, Ducissâ (ut vocant) Lotharingiæ, qui Ducatus tunc temporis continebat Hannoniam, Brabantiam, Cameracesium, Hasbaniam, Arduennam, & usque ad ipsum Rhenum extendebatur. Nos, ut alia quædam huc facientia pleniùs meliusque intelligantur, super isto Collegio quàm brevissimè fieri poterit disseremus. Dico igitur, istam heroinam, cùm ex Principe Madelgario, natione Hiberno (qui ob miram vitæ sanctimoniam posteà dictus est Sanctus Vincētius) jam complurium liberorum parens esset, atque liberos omnes amplecti videret vitam sacram, sese pariter Divino cultui mancipasse, inque Dei & Apostolorum Petri ac Paulli honorē, sacellum priùs cum domo in jamdicto monte, sacro tunc & solitario loco, condidisse,

didisse, juxta turrim antiquam, structam olim à Iulio Cæsare, & usque ad tempora Ducis Philippi Boni vulgò dictã *La Tour d'Embron*: hanc domum, exinde eremum Divæ Gualtrudis dictam, & cujus hodie vix supersunt vestigia, diu inhabitasse: sed struxisse posteà de consilio Divi Ghisleni, necnon Divi Audeberti, in propinquo illic agentium, pulcherrimi operis templum, & in eo instituisse celeberrimum illum Ordinem Canonicarum, ad cultum Deo præstandum, & horarias illas preces, quas horas canonicas vulgò appellant, decantandas. Ordinem verè nobilissimum: ut in quem solæ recipiantur Dynastarum & virorum magnatum filiæ. quæ honesto satis proventu ab ipso Collegio sustentantur, & singulas mansiones, templo ferè contiguas, incolunt. matutinus earum cultus, religiosus planè & candidus: pomeridianus verò, civilis, vel ut vulgò loquuntur, sæcularis. licet autem iisdem, cùm lubet, nubere, prorsùs ut Nivellensibus illis Virginibus, quarum suprà fecimus mentionem. Addidit Diva Gualtrudis & Canonicos aliquot, sed vix alii rei, quàm negotiis hujus Collegii procurandis. Cui Collegio præesse voluit, Abbatissã, & luculentã profectò ditionẽ, cũ civili pariter atque sacrâ jurisdictione & amplissimâ potestate ex patrimonio suo attribuit, ita ut in Hãnoniâ quidẽ possideret hos ipsos Montes, Frameriã, Cheniũ; in Brabãtiâ verò Hermesiũ, Gamstras,

Herentaliam, Brenniã allodialem & alia quædam loca. Statuit insuper ut in posterum ipsæ Canonicæ Antistitas suas eligerent. Heredem verò & Principem Lotharingiæ instituit consobrinam suam Divam Ajam. quæ Collegio factam donationem non solùm approbavit, sed & alia quædam, Maseriacum nempe & Brenniam Comitis, ipsa de suo adjecit. institutis præterea in Ecclesiâ Divæ Gualtrudis (ita enim deinceps cœpit audire) cõpluribus Sacellanis. Factum deinde, ut lapsu temporis Abbatialis, ut sic dixerim, dignitas, & Imperatoris Romani in eam jus hæreditate obvenerit Hannoniæ Comiti Balduino. ex quo tempore Comites successores in hunc usque diem sunt Antistites sæculares, Patroni, Custodes, Iudices, Protectores, ac Defensores dictæ ædis Divæ Gualtrudis, personarum in eâ degentium, & bonorum Collegio relictorum. quibus & sine ullo prorsùs obstaculo hactenùs perfruuntur, & Antistitæ suas regendi vices mandant. quæ ex legibus inque æternam memoriam tam insignis fundationis, tantam habet auctoritatem ac præeminentiam, ut succedente novo Hannoniæ Comite, ipsa eum, (ut coràm nuper spectavimus in personâ Philippi Regis) magnâ sollennitate suscipiat, ac in Comitatus & dignitatis abbatialis, aliorumque bonorum à Collegio dependentium possessionem immittat: ipso contrà jurejurando se obstringente

ad

ad privilegia omnia, immunitates, exemtiones, consuetudines, & possessiones templi atque Cœnobij Divæ Gualtrudis conservandas. etsi temporis tamen lapsu & sæculorum incommodis multa haud pœnitenda membra ab hoc corpore sint avulsa. Montes Carolus Magnus Imperator non tantùm Hannoniæ Comitatus metropolim esse voluit, sed in memoriam maximè gloriamque tot sanctissimorum hominum singulari distincti Comitatus dignitate exornavit. sic ut aliquamdiu peculiares habuerint Dominos, qui titulum inscribebant Comitum Montensium, sed intermissum illum, Hannoniæ tandem resumserunt, orti (juxta Scriptores hujus terræ) sed per lineam fœmininam, ut vocant, ex clarissimo sanguine dicti Caroli Magni. Gubernat hodie Mõtes Marchio Renticensis, tamquam totius Hannoniæ Gubernator. Atque hic, priusquàm ad ulteriora progredimur, subiiciemus descriptionem Valentianarum.

DESCRIPTIO
VALENTIANARVM.

VALENTIANÆ, secundùm Iacobum Guisium, & originem simul & nomẽ sumserunt à quadam arce, olim ad obsidendũ in magna suâ urbe Bavaco quinque leucis hinc dissitâ Belgarum Regẽ

Bavonem, à famosissimo illo Brenno conditâ. Ioannes Lemarius satis habet originem urbis deducere à temporibus Iulii Cæsaris, & adventu ejus in terram Galliam, factâ obiter mentione nescio cujus Germanæ, viri illius (ut addit) sororis, quæ in hunc locum secesserit. narratiunculæ, quarum apud Scriptores Romanos, vel in stemmate domus Augustæ, nec vola nec vestigium usquam extat, ideóque non dubiæ tantum & parum firmæ, verùm etiam, ut quod res est dicamus, omninò fabulosæ. Idem ille Iacobus Guisius, in disputationis suæ progressu, veritati convenientius asserit, Imperatorem Valentinianũ in hunc locum delatum, & amœnitate fertilitatéque ac temperato illius cœlo mirificè captum, aliquamdiu hic substitisse, & circa qualemcumque arcem hanc urbem fundasse, quam de nomine suo Valentinianam vocaverit, plurimisque donaverit privilegiis & immunitatibus, ac præsertim jure *Asyli*, quò non ii modo qui graviter essent obærati, sed & homicidæ tutò possent confugere. non aliter quàm fecisse legimus Romulum ad Romam tunc recens conditam civibus incolisque implendam. immunitates, quæ legibus posteà & statutis temperantur, ac restringuntur. Privilegium autem de quo agimus, quodque per bonam oppidi hujus partem extenditur, & vulgò dicitur *le*

Banclieu, etiamnunc in uſu eſt, ſed eatenùs tamen temperatum, ut qui turpiter ſibi æs alienum conflaverit, vel turpe commiſerit homicidium, eo prorſùs non gaudeat, ſed pro meritis puniatur. ideóque inter honeſtum & turpe homicidium hic diſtinguitur: & ſuperioribus ſæculis duello inter partes in urbis foro decidebatur, honeſtumne habendum eſſet, an turpe crimen. qui mos obtinuit uſque ad ævum Philippi Boni. is pro ſolitâ ſuâ bonitate, rem cum religione Chriſtianâ ex diametro pugnantem laudabiliter abrogavit. Sed ut revertamur ad inſtitutũ, & oppidi hujus vocabulum: ſciendum & Sigebertum in Chronicis Valentinianã illud vocare, dum commemorat habitum ibi Cõcilium à Carolo Magno Imperatore anno Chriſti 771. Sita eſt nobilis iſta urbs ſub latitudinis grad. 50. min. 10. in amœniſſimâ quadam valle ad Scaldim flumen, quod mediam ferè interluit, & unà cum Ronellâ, altero eam ad portam Cardonam intrante fluviolo, tantam adducit aquarum abundantiam, ut præter compluſculas Inſulas mirè fortes & momentoſas, per ſingulos ferè vicos ſubter domos labatur perennis quidam & jugis rivus non privatis tantummodò civium uſibus, ſed in genere quoque urbi muniendæ peropportunus: ita ut ſingulis pænè paſſibus exſtrui poſſint propugnacula, & potior urbis pars extrinſecùs inundari.

ab alterâ parte adscensus est collium formam obtinens, & latæ admodùm profundæque fossæ, vallis & muris validissimis communitæ. quæ omnia siquis rectè consideret, urbem non nisi duplici exercitu; ac ne sic quidē absque magnâ difficultate, obsideri posse, imò externo hosti pænè inexpugnabilem esse, comperiet. quod eventus quoque, adversariis eam cingentibus, pluries comprobavit. Spectantur adhuc inter portas Tornacensem & Duacenam reliquiæ quædam veteris castri, turres putâ, & id genus parietinæ Scaldi & interioribus oppidi propugnaculis clausæ. Distant *Valentianæ* Montibus, Insulis, & Tornaco pari ferè septem leucarum intercapedine. oppidum sanè amplum, amœnum, plurimisque admodùm sumtuosis ac magnificis ædificiis, inter quæ nonnulla sunt operis mirè antiqui, publicè privatimque concinnū. *spectabile* autem præ cæteris publicum urbis armamentarium. Primarium ejus tēplum est illud Deiparæ Virginis, quod incolis dicitur *nostre Dame la grande*, & fundatum est jussu Richildis, olim Hannoniæ Comitis. ædificium certè haudquaquam novitium; sed antiquo opere & summâ arte factum, in quo variæ sunt, & perpulchræ quidem columnæ, partim ex marmore, partim ex porphyrite, quæ & triplici ordine distinguuntur, mirandosque efficiunt arcus, & amplissima infrà supráque inambulantibus præbent

spatia,

ſpatia, grato ſanè & peramœno adſpectu. Alterum inter primaria templa Divo Ioanni ſacrum eſt. opus multo quàm prius illud recentius, ut quod olim fortuito igne flagraverit: conditum; uti adfirmāt, à Pipino, Caroli Magni patre, vel (ut alii) longè priùs à Galliæ Rege Theodoro, ac tunc fortaſſe quàm poſteà ſumtuoſius, ſed & hodie ſatis magnificum. Sunt deinde & alia quædam templa, & præſertim tria Cœnobia mendicantium, in quibus peramplum illud & pulcherrimum Divi Franciſci, ſplendidiſſimis aliquot Hannoniæ & Valentinarum Principum tumulis, & ſcitiſſimis epitaphiis exornatum. Sicut apud Sodales Divi Dominici tumulus viſitur Ioannis Avennenſis, Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani nepotis. Sunt prætereà Monaſteria, Xenodochia, aliáque id genus loca, pietati & religioni conſecrata, lauto ſatis proventu gaudentia. Eſt & nobile illud Collegium viris doctis abundè inſtructum, ubi juventus Græcis Latiniſque litteris eruditur, & ſanctis honeſtisq; præceptis imbuitur. Itē domus & receptacula tenuioris fortunæ puerorum & puellarum, qui à pluribus utriſque ſexus magiſtris varia diſcūt opificia. atque hæc omnia tam inſigni diſciplinâ, tamque exactis legibus, ut vel inde civilitas ſimul & magnitudo hujus reipublicę pluribus modis eluceat. Inter publica & celebria magis ædificia, ſpectatur in angulo quodam versùs Scaldim amplisſi-

plissimum quoddam & perantiquum palatium, quod ab annis aliquot retrò *Aula Comitis* dicitur, vulgo *la Sale du Cõte*, antiquitùs autem audiebat *Aula Imperatoris*. ubi, & loci ipsius splendore, & cœli salubritate capti Hannoniæ Comites iidemquè Valentianarum Domini, ut plurimùm olim habitabant. Conditum fuit, seu potius instauratum (nam antiquius esse comperior) à Comite Balduino, eo, qui à plurimis ædificiis, vel de integro structis, vel refectis saltem & instauratis, *Aedificatoris* cognomen invênit, ac parens fuit jamdicti Imperatoris Constantinopolitani, conditorquè illius Canonicorum Collegij, quod vulgò vocant *de nostre Dame de la Sale du Comte.* Notandum verò totum istud palatium & quidquid ambitu eius includitur, etsi positũ intra urbis mœnia, & parochiæ Divi Ioannis subjectũ, accenseri tamẽ Hannoniæ territorio. cujus imperiũ ea quoque Scaldis pars, quæ paulatim alluit, unà cũ decẽ pontibus ipsi injectis reveretur. Superstructę sunt hisce põtibus amplę quędam & commodæ mãsiones, habitatæ ut plurimum à privatis istius Aulæ, publicisque Hannonię terræ Quæstoribus, aliisq; Ministris Principalibus. qui omnes, non secús quã ipsi Hannoniæ & Valentianarũ Principes, vectigaliũ omniũ urbanorum immunes. quâ prærogativâ etiam gaudent Pares urbani, qui numero sex, & Pares totius Comitatus, qui (ut diximus) sunt

ſunt bis totidem: item Equites Aurei Veleris. Viſuntur denique in hac urbe & alia multa Nobilium privatorum palatia. Sed exuperat omnia opera tam publica quàm privata, magnificum illud & ſuperbum Prætoriū, vulgò dictum *la Halle*, & primario urbis foro impoſitum: cujus frontiſpicium totum è ſecto per artem lapide; feneſtris, & valvis variè ornatum: eo adſpectu & magnificentiâ, ut ſplendorem conciliet toti foro. Continentur hoc ædificio, ab eadem manu & opere, templum Divi Petri & eximium illud horologium, quod in edito poſitum, etiam procul abſtantibus eſt conſpicuum, neque horas ſolummodò, ſed & Lunæ aliorumque Planetarum curſum, item menſes & quatuor anni tempora, aliaſque id genus elegantias indicat. Horologio ſubjacet forum frumentarium, amplum ſanè ac ſpatioſum, nec injuriæ tempeſtatum aëriſve expoſitum. ſuprà venduntur lanæ. inde eſt ludus gladiatorius. tum & locus ille qui propriè deſtinatus vendendis pannis. Sunt denique curiæ Magiſtratuum urbanorum, itidem amplæ & laxæ, necnon publicus carcer. ita ut unicū iſtud ædificij corpus, quæſitâ quadam capacitate, omnia pænè cōplectatur membra publicis oppidi uſibus neceſſaria. opus hercle bene & aptè commenſuratum, ſplendidum, atque magnificum: conditum primùm à Guilielmo cognomēto Bono, Hannoniæ, item Hollandiæ & Zelandiæ

Comite

Comite, Domino Frisiæ, Principe admodùm bono, virtutumque & præsertim justitiæ servantissimo. Vincit tamen compositissimum istud opus longè magis cōposita politia, & aptissima illa reipublicæ gubernandæ ratio: quæ in civilibus simul & criminalibus, cæterisque omnibus partibus, ita isthic exacta, ut exteri sæpenumerò exempla hinc sibi petierint, quæ in patriæ statu constituendo sequerentur. inter alios Noribergenses, cùm ad singulas pænè urbes certos homines mitterent, ut exemplo veterum Romanorum, viris prudentibus omni in re imitandum, bonas atque laudabiles aliorum leges in usum suum transferrent, eas hic invenerunt consuetudines, ut cupidè statim nonnullas arripuerint, quæ hucusque in excellenti illâ optiméque institutâ republicâ observantur. Inveni supremos Valentianarum Magistratus solitos olim concedi in ætatem: sed mutatum hunc morem, quo occurreretur nimiæ hominum insolentiæ, anno 1302. ab Ioanne Hannoniæ Comite, cognomento Avennensi, qui Senatum quotannis voluit renovari, planè ut hodiéque in usu est. Constat autem supremus hic Magistratus è Præposito & duodecim Adsessoribus, qui ex primariis oppidi civibus deligūtur, & varios administros sibi habent adjunctos. His accedit & alius quidam Senatus, quē *particularem* vulgò appellant, & ex aliis quinque & viginti boni loci civibus con-
stat.

ſtat. is, petente ſupremo Magiſtratu, res ad oppidi ſtatum pertinentes tr&ctat, ac nonnumquam augeri ſolet bono aliquo civium numero, qui, ut melior habeatur conſilii copia, & pro rerum tractandarum neceſſitate, advocantur. Solet denique urbs, ex veteri quodam more ac privilegio, in negotiis quæ majoris momēti, & publicum bonum concernunt, convocare ad pulſum maioris campanæ Cōcilium generale civitatis univerſum populum repræſentans, planè ex more Romano, qui ſimiliter convocabant *Comitia ſua centuriata*. In eo Concilio liberū unicuique civi, etſi prorsùs privato (quod non alibi tamen in toto hoc Belgio uſurpatur) ſuper iis quæ nomine Magiſtratus & Concilii particularis exponuntur ab ordinario reipublicæ Syndico, ſententiam ſuam dicere. Neque verò haberi poteſt hoc ipſum Concilium, niſi cum centum ut minimùm civium interventu, nullo alienigenâ in numerum hunc intrante. Subordinati ſunt inſuper ſupremo illi Senatui, ad leviorum cauſarum deciſionem varii Magiſtratus minores. Valentianis, inter alios quidem Dynaſtas, natus eſt Imperator Cæſar Henricus, eo nomine ſeptimus, qui & Comes, ſeu Dux Luceburgenſis item unica magni illius Burgundiæ Ducis Caroli, in prælio (ut jam dixi) ad Nancejum occiſi filia, & Belgarum Princeps, Maria. quamquam ſit qui genitam eam velit adſtruatque Bruxellæ.

Dedit

Dedit prætereà celeberrimũ istud oppidũ multos viros illustres, atq; insigniter eruditos. quales maximè nominatissimus ille historiographus Ioannes Froissartus, qui initio statim operis patriam sibi Valentianas fuisse agnoscit. Ioannes Molinettus, Canonicus litteratissimus, & poëta insignis. Simon denique Marmionus, vir & seriò doctus, & eximius pictor. Habent quidem Valentianæ numerosam nobilitatem: sed attendunt maiori ex parte cives mercaturæ & artibus manuariis. quam utramque professionẽ ita strenue industrieque exercent, ut & ipsi opibus largiter sese instruant, & quamplurimos tenuioris fortunæ homines occupent ac sustentent. numerantur enim hic multa non frequentia minùs, quàm fructuosa collegia variorum opificum. inter quos excellunt potissimùm ii qui *ossettas* contexunt, & tenuissimum illud lintei genus, quod Cameracense vulgò dicimus; item lanifices, & qui pannos tramosericos, undulatosque, tum multitia quoque, seu *mocaiarros*, & quaslibet ferè mercium species, aliaque humanis usibus necessaria solent conficere. Habẽt denique Valentianæ *Castellaniam*, id est longè lateque diffusum territorium, & luculentis admodùm privilegiis gaudent. inter cætera autem jure emporii, vel ut vulgò loquimur *stabuli* vini Gallici, antiquissimo sanè, ac reipublicæ plurifariàm utili. quæ & nummos olim ex auro argen-

gentóque titulis & insignibus suis inscriptos signavit. ea moneta materna dicebatur, & à civibus etiamnunc ostenditur. Ordines hujus Dominii sunt Antistites, Nobiles, Magistratus.

Sed agamus hic paucis de urbis progressu, & quomodò factum sit, ut distincta manserit ditio, utq; unà cum cæteris Belgicæ nostræ Provinciis Austriacæ gēti accreverit. Invenio itaque post divisum in partes tres à Lothario Imperatore Romanum Imperium, singulasque singulis filiis attributas; successores suàpte culpâ flaccescentes, inter alia debilitatis suæ indicia, necessitate magis quàm volūtate inductos, provincias Palatinis olim à majoribus gubernandas tantummmodò tradi solitas, alienare paullatim cœpisse, ac Præfectis suis concessisse in feudū. Inter cæteras autem Lotharingia, quia præstantiores haberet civitates, plures etiã numerabat id genus Gubernatores, qui Latinè *Comites* dicebantur à *comitando*, quia nēpe Principibus suis intimi assiduè illos comitarentur. nos corrupto nonnihil vocabulo *Comti* eos vocamus. Atq; hinc extitisse videntur tot illi Comites, quot jam sparsos videmus per orbē terræ. namque munus illud, quà vi, quà favore & gratiâ, imò quà pretio deniq; & corruptelâ, pro temporū hominumque cōditione, & sub specie feudi, aliisq; diversis prætextibus, in peculiū tandem conversum est, & ex temporario factum hæreditarium. nec

id tantùm in partibus *transalpinis* : sed fortassis etiam multò magis, ex eadem illâ & Imperatorum & Pontificum impecillitate, in ipsâ nostrâ Italiâ. Valentianæ ergo, uti scriptum comperior, suum etiam Comitem nactæ sunt. nam ut alia quædam incerta nimis & confusa prætercam, legitur anno Christi 973. Reginerius quidam, cognomento Longicollis, Comes Hannoniæ, unà cum fratre Lamberto, Comite per id tempus Lovanii, emisse hanc urbem à proprio Comite, ac tenuisse ad aliquod tempus contra Lothariæ Ducem Godefridum, qui prætextu *juris proximitatis* conabatur eam retrahere. quare ab isto etiam nostri fratres *prætensiones omnes* & jura mercati sunt, ac pacificos sese in posterum Valentianarum Comites inscripserunt. Lãberto mox sine liberis mortuo, successit jam dicta illa Richildis, Comitis Reginerii filia, quæ maritum posteà habuit Flandriæ Comitem Balduinum. Suscitata deinde labentibus sæculis varia super hac ditione sunt bella: quæ tantâ sententiarum diversitate à scriptoribus referuntur, ut necubi fortè exorbitem, lubens me ab ulteriore omni illorum mentione sim abstenturus. mihi namque abundè satis est, quod ex hactenus allegatis apertè constet, Valentianas jam ab aliquot sæculis retrò constituisse peculiarem ditionem, ac legibus usas fuisse ab Hannonicis longè diversis. prout hodie quoque una cũ

oppi-

oppidis sibi subjectis, Bochanio nempe, Querceto, Condato, & centum triginta duobus pagis, easdem observant. Vnde nec ad Senatum Montensem, sed Mechliniam rectà hinc provocatur. In ecclesiasticis autem superiorem agnoscunt Archiepiscopum Cameracensem, cujus nomine sedem hic habet Archidiaconus. Delata est primùm hæc ditio ad Comites terræ Hannoniæ: inde ad Duces Burgundiæ: atque hinc porrò ad gentem Austriacam: pari omninò ratione ac jure, quo & cæteræ Belgicæ nostræ Provinciæ. Gubernatur hoc tempore à Marchione Renticensi, pluries nobis laudato. Sed sufficiant ista de prænobili urbe; etsi plura tamen notatu digna possent adferri, quæ exequitur fusiùs eleganti commentariolo, præter alia documenta nobis submissa, fidus ejus & doctus civis Ioannes Vivianus. Iuxtà Valentianas, & unâ tantùm ab urbe leucâ, est pulcherrimum illud & opulentum Cœnobium Viconiense. quod inter alias elegantias amplissimam habet ac omni librorum genere copiosam Bibliothecam.

Inter Valentianas & Cameracum, juxta nobilem pagum Happam, situs est quidam viculus, vulgò dictus *Avennes le sec*, ubi eruitur copiosè pulcherrimum illud candidi lapidis genus, quod tantopere prædicat libris suis de Architecturâ Leo Baptista Albertus Florentinus, & ob loci

illius propinquitatem vulgò dicitur lapis Avennensis. hic candore ad marmor pænè accedit, & maximâ cum facilitate laboratur. nam & ferro facilè vincitur, & quovis instrumento secandum se ac sculpendum præbet, nullo planè vel scissionis vel rupturæ periculo. quare tutò eo utuntur ad varia operum genera statuarii. quia verò naturâ infirmus est, nec ferendis cœli injuriis, gelu puta, & imbribus, ac ne ventis quidem marinis: excogitarunt hi homines, ne quid illa teneritas apportaret incommodi, corroborandi illius & consolidandi rationem. imbuunt enim multo oleo, gummi juniperino, aliisque id genus medicamentis, quibus validam tandem & invictam crustam ei inducunt.

DESCRIPTIO
BOCHANII.

BOCHANIVM, vulgò *Bouchain*, ad sinistram est Scaldis ripā, medio inter Valentianas & Cameracum itinere, id est quatuor ab utràque leucis abjunctum, opidum per se validum, sed quod longè munitius reddit adjuncta arx, ac vel ideò memorandum, quod conditum olim à Pipino in memoriam magnæ illius cladis, quâ in campis illis affecit Francorum Principem Didericum: tum & eo, quod caput sit Comitatus Ostervantii; sic dicti

ſic dicti ab Oſtrogothis, qui poſt longam in eo tractu moram, hanc tandem illius partem acceptarunt, in eamque ex lege & pacto ſeceſſerunt. Deferebatur olim hic Comitatus primogenito filio Comitis terræ Hannoniæ. Opidum hodie gubernatur à Georgio Montigniaco, Dynaſtâ Nojellano ad Scaldim.

DESCRIPTIO
QVERCETI.

QVERCETVM diſtat Valentianis triũ leucarum ſpatio, eſtque opidulum ſatis munitum, & aliis etiam partibus memorabile. fiunt enim hic panni illi ſubſerici quos vulgò *ſemioſſettas* nuncupant, & ſatis magna vis linteorum. ita ut mercimoniis mediocriter floreat. Olim ſedes fuit & dotalitium Comitiſſarum Hannoniæ, ſed poſtquam potiti ſunt eâ Duces Burgundiæ, ſuffectum ei eſt Binchium. Querceto præfectus eſt vir Illuſtris Antonius à Goigni, Dominus loci *Venegies au bois.*

DESCRIPTIO
CONDATI.

CONDATVM ad dexterũ Scaldis ripã eſt, altero à Valentianis milliari, opidulum ſatis lautum, & exiguâ arce con-

ſpicuum. quod pro ſemiſſe quondam in ditione Illuſtris Rocchendorfii. qui ob neſcio quas cum Principe ſimultates, in Turciam primùm diſceſſit: atque inde in Galliam mox reverſus habitus inibi fuit ſtipendio ſanequàm honeſto ac meritis ſuis condigno. hinc militatum abiit ad Regem Romanorum adversùs Turcas, & in Pannonia tandem occubuit. intereà autem vænierunt hic ejus bona. Alter oppidi noſtri ſemiſſis debebatur Excellentiſſimo Montpenſerio, qui ad Divi Quintini nuper captus, eum unà cum Luſâ, oppido infrà deſcribendo, divendidit, pretio pro captivi corporis redemptura eo commodiùs dependendo. Hoc tempore Dominam habet Condatum viduam Illuſtriſſimi Comitis Lalainii, quæ contractis ſecundis nuptiis cum Illuſtri Mansfeldio, ceſſit hunc locum Hugoni Lalainio filio, adoleſcenti ſummæ ſpei. cui defuncto ſuccellit Marchio Renticenſis.

DESCRIPTIO
LANDRECEII.

LANDRECEIVM adſidet fluvio Sabi, & Querceto duntaxat tribus, Valētianis verò ſex leucis abjūgitur. oppidulum quidem minutum, ſed munitiſſimum idem, & famoſum mirabili illâ obſidione, quam toleravit adverſus Carolum Quin-

Quintum Imperatorem anno 1543, cùm occupatum esset à Gallis. Restituit tandem rex Galliæ, pace anno sequenti factâ, Illustrissimo Duci Arschotano, cui hæreditario jure debebatur. sed permutavit cum Duce bonis æquisque legibus idem Carolus Quintus. Gubernatur hoc tempore ab Illustri Petræjo, Toparchâ Bousiaceno.

DESCRIPTIO

AVENNÆ.

AVENNA posita est ad torrentem Hepram, & Landrecejo pariter ac Malbodio quatuor leucis abjuncta. opidum sanè bonum, munitum, & Comitatus dignitate spectabile. Erat verò & ista nuper in ditione Ducis Arschotani, qui accepto æquivalente pretio permutavit eam cum Rege Catholico. quoniam enim in confiniis Galliæ, potentiore opus habebat Principe, qui securam præstaret ab hostili omni incursu. Gubernatur à Domino Dabencurtio.

DESCRIPTIO

CHIMACI.

CHIMACVM in nemore situm est, ad fluviolum Blancam, & Avenna sex leucis abjunctum. Iacobus Lessabæus Va-

navillam indigetat. Domos habet mediocri pulchritudine: tum & regiam Principis, hortis ac labyrintho amœnam. oppidulum certè munitũ, lautum, concinnum, ita quidem ut Principatus gaudeat dignitate, cujus titulum inter cæteros suos inscribit Dux Arschotanus. Fuit quidem miserè nimis multatum, ac destructum sæpè, per ultima ista cum Gallis bella: sed instauratum rursus ac reparatum. sic ut multò quàm antè sit pulchrius, & adversùs hostiles insultus munitius. Cessit nuper benignus parens Illustrissimo filio suo Carolo, qui in uxorem ductâ unicâ filiâ Caroli à Brimeu, etiam Comes Meganus est, juvenis sanè ad humanitatem factus, & clementissimus Princeps.

DESCRIPTIO
MARIÆBURGI.

MARIÆBVRGO nomen à se fecit Maria Regina Hũgariç, quç, jubente Carolo Quinto Imperatore, condendum curavit, paullo post quam Dominus Longovallius & Martinus Rossemius succincti exercitu Gallico, è Brabantiâ petierunt Lucemburgum, anno 1542. Situm est inter duos torrentes: Blancam nempe, à quo teli tantùm jactu, & Nigram, undi semileucâ circiter distat, tertio quidem à Chimaco, decimo verò Montibus mil-

milliari. oppidum situ & opere munitissimum, valido admodùm muro, ac pulcherrimis quatuor propugnaculis cinctum, quæ & quadrangulum illud, & invictum efficiunt. quod ita tamen intelligas velim, si præsidio satis valido muniatur, & fideles agantur excubiæ. neque fiat illud quod nuper anno 1554, quando merâ defensorum ignaviâ, etsi caussentur Gubernatoris perfidiam, gravissimo sanè totius Belgicæ detrimento, turpiter fuit amissum. ex quo tempore mansit in potestáte Gallorum, qui nuperrimâ istâ pace, id est anno demùm 1559, reddiderunt. Præfectū habet hoc tempore Iacobum Briasium, Dominū Valtencheulium.

DESCRIPTIO

PHILIPPOVILLÆ.

PHILIPPOVILLÆ nomē factum est à Philippo Rege, oppido inter Carolomontiū (unde unius leucæ) & Mariæburgum (unde sesquileucæ spatio dissidet) anno demùm 1555 extructo, idque Galli ex Mariæburgo (quo tunc ille potiebatur) excursionibus prohibendis. conditum verò novellum hoc oppidū eo modo & formâ, ut situ, opere, muris, & propugnaculis opportune dispositis, habeatur pænè inexpugnabile. Gubernatur hodie ab Illustri Glimesio, Dynastâ Florennensi.

DESCRIPTIO

BELLOMONTII.

BELLOMONTIVM Chimaco pariter Binchióque tantùm quatuor, Mõtibus verò ſeptem leucis abjungitur. ſitum eſt in amœno colle, unde accepit & nomen. perexiguum quidem, ſed amœnum valdè & pulchrum opidulum, quod Dynaſtam agnoſcit eumdem Arſchotanum, cujus ab annis aliquot retrò ſolennis ſedes eſt. Attribuebatur olim ſecundogenitis Comitum terræ Hannoniæ, unde & Comitatus titulo dignitatéque ſplendet.

DESCRIPTIO

MALOBODII.

MALOBODIVM, vulgò *Mabeuge*, Mõtibus quatuor ferè leucarum ſpatio diſſidet. interluit opidum fluvius Sabis, quod propterea mercimoniis ſatis floret. celebratur hic omni ſabbatho admodùm frequens mercatus fili ex lanâ, mercis haudquaquam pœnitendæ, ut ex quâ *ſajæ* porrò & *ſemioſſettæ* contexantur. Habet etiam iſtud opidum unum è nobiliſſimis illis Canonicarum Collegiis, qualia nempe Montenſe illud & Nivellanum ſupra nobis deſcripta. Malbodienſe hoc inſtitutum fuit à Divâ Alde-

gundi;

gundi; quæ & celebre illud templū cōdidit, cui ab ipsâ posteà factū est nomē. Est autem & penès istas Canonicas suprema in opidum & territorium ejus jurisdictio, sic ut civilem simul & criminalem justitiam administrent. gaudent insuper eo privilegio, ut signare possint quotannis definitam quamdam & certam summam *mitarum*, (ita nuncupant minutissimum illud ex plumbo monetæ genus Divæ illius effigiem præferens) quarum duodecim singulos valent denarios, sive (ut vulgò loquimur) *grossos* Flandriæ. & exponitur quidem plumbea ista monetula per totam quàm latè patet Hanno-niam, usque ad ipsam Bruxellam, sic ut nemini liceat eam defugere.

DESCRIPTIO
BAVACI.

BAVACVM, vulgò *Bavais*, Montibus distat quinq; leucarū intervallo, & communiter audit Bavacum VVallonense, *Bavais VVallonnè*, ad discrimen cognominis opidi, quod in Galliâ situm vocatur *Bavais Piccarde*. Nostrum hodie perexiguum sanè est opidum. etsi quidam Hannoniensium rerum Scriptores, tum & alii, qui fortassis eos exscribunt, velint antiquitùs fuisse maximi nominis ac momenti civitatem, conditam à Bavone Trojano, & *Belgium* dictam, unde porrò dedu-

deductum sit Belgicæ nostræ vocabulum. imo verò fuisse hanc eam urbem, sive potius regionem, ubi Cæsar in Commentariis bonam exercitus partem in hibernis se habuisse commemorat. subjungentes, habitasse hic eo ævo fortissimos illos & potentissimos Bellovacos. Nos, qui apud Commentatores istos, sæpenumerò inter se pugnantes, non invênimus authenticum ullum hujus rei documentum, prætermissis antiquis illis historiis de Bavone Trojano, & id genus inventiunculis, nullam in se habentibus certitudinem, ut quidquid dici posset de re tam gravi, lectoribus esset in promtu, confugiendum duximus nobis ad ipsos Cæsaris Commentarios. qui cùm & facilis sit & perspicuus admodùm scriptor, meliùs certè quàm quisquam interpretum, mentem suam exponit. ut qui eum intelligat, non temerè possit aberrare. Quare adhibitâ tabulâ geographicâ, & consultis aliquot doctis atque rerum istarum peritis viris; examinatis denique pluscülis locis ex iisdem commentariis, maximè verò secundo & quinto, sumtis: primò quidem palàm constare dicimus, Belgium Cæsari nihil aliud esse quàm oppidum, sive locum aliquem Belgicæ, non autem integram ipsam regionem. secundò, Bavacum istud VVallonense, inter Montes Valentianasque positum, vetus illud Belgium esse omninò non posse. quæ duo

sic ut

fic ut diximus fe habere, argumentis luce meridianâ clarioribus evincemus. Ordientes itaque à priori illo capite, quod ad Belgii nomen attinet, dicimus hujus affertionis noftræ veritatem apertè fatis conftare ex variis quinti illius commentarii teftimoniis. nominatim verò ex eâ legionum diftributione, quam feciffe narratur Cæfar poft peractum Samarobrinæ Gallorum concilium. inquit enim, *Quod eo anno frumentum in Galliâ, propter ficcitates, anguftiùs provenenisset, coactum fe aliter, ac fuperioribus annis, exercitum in hibernis collocare, legionesque in plures civitates diftribuere: ex quibus unam in Morinos ducendam C. Fabio legato dediffe: alteram in Nervios Q. Ciceroni: tertiam in Effuos L. Rofcio: quartam in Rhemis, cum T. Labieno in confinio Trevirorum hibernare juſsiffe: tres in Belgio collocaffe: his M. Craffum Quæftorem, & L. Munatium Plancum, & C. Trebonium, legatos præfeciffe: unam legionem & cohortes quinque in Eburones, quorum pars maxima eft inter Mofam & Rhenum, miſiffe: his Q. Titurium Sabinum, & L. Aurunculeium Cottam præfeciffe: ad hunc modum diftributis legionibus, faciliimè inopiæ frumentariæ fefe mederi poffe exiftimantem. atqui harum tamen omnium legionum hiberna (præter eam quam L. Rofcio in pacatiſsimam & quietiſsimam partem ducendam dederat) tam propinqua fuiffe inter fe, ut millibus paſſuum centum* con-

continerentur. Expendamus verò hanc narrationem,& videamus, quo pacto dici poſſit, aut credi, Belgium Cæſari ſignificare totam Provinciam: cùm nominatim recenſeat quinque Belgiæ civitates, in quas tot illas legiones ſub jamdictis legatis diſtribuerit. quæſo te, quænam eſſet hæc tam confuſa ſcribendi ratio, quiſve calami error,ſi ſub Belgii nomine, Belgiam vellet intelligi? quiſve umquam aſſequi queat, in quanam tam magnæ Provinciæ parte tres illas jamdictas legiones collocaverit? non eſt verò credibile in ſcriptis aut ſententiâ Cæſaris tam craſſos extare errores. quare ex hiſce noſtris & aliis aliquot argumentis omninò ſtatuendum eſt: Belgium apud Cæſarem vel pro urbe, vel pro alio ſaltim peculiari & memorabili Belgiæ loco, interpretandum. Nec abſurdum ſit credere, Bavacûm illud Picardum, quod vocant, antiquorum Belgium eſſe, ac nutriri potuiſſe, ſaltim in unam hiemem, tres à Cæſare miſſas legiones. conſtat enim è variis monumentis, maximam olim fuiſſe civitatem. Quin & illud conſiderandum eſt, Bellovacos, tam potentes olim, ut coadunare poſſent exercitum centum millium armatorum, habuiſſe debere, prout alios quoſque populos, primariam aliquam & tantâ magnitudine dignam civitatem. ea verò non alia potuit eſſe quam Belgium, cujus ille compluribus locis, ceu loci alicujus ſingula-

gula-

gularis, non autem ut generalis Provinciæ, facit mentionem. Summa est, argumentis hactenùs recitatis quæstionem illam priore loco positam abundè solvi. Quare factâ hic pausâ, transibimus ad secundum illud caput, demonstraturi, velut promisimus, veterem Belgii nostri situm. Dico igitur institutæ orationis filum prosequens, post distributas modo nobis exposito Romanorum copias, Ambiorigem, sumtis pro occasione novis animis, advolasse ex regni sui finibus, ac de improviso in Eburonibus, hodie terrâ Leodicensi, oppugnatum venisse Sabini Cottæque castra: circumventos eos interfecisse: ac deinde perturbatis eorum ordinibus, victoriâ suâ sublatum in Nervios properasse, ad oppugnandum castra Q. Ciceronis. Hic Cæsar, acceptis litteris, succurrendum illicò homini ratus, statim nuntium in Bellovacos (id Belgium nostrum est) ad M. Crassum mittit, cujus hiberna aberant ab eo sola viginti millia passuum; Fabio verò mandat, ut in Atrebatium fines legionem adducat, quà sibi iter faciendum sciebat: Labieno scribit, si reipublicæ commodo facere posset, cum legione ad fines Nerviorum veniat: reliquam partem exercitus, quod paullò aberat longiùs, non putat expectandum. Hora tertia diei sequentis adest cum legione Crassus, quo Samarobrinæ præfecto, ipse Cæsar eo die millia passuum viginti

viginti progreditur. Fabius, non multùm moratus, (obſerva quæſo diſciplinam & obedientiam militarem) Cæſari in itinere cum legione occurrit. Labienus, juſtas ob cauſſas ex hibernis profectionem facere nequiens, Imperatori ſe excuſat. hic, conſilio ejus probato, & communis ſalutis auxilio in celeritate poſito, venit magnis itineribus in Nerviorum fines, & Ciceronem de adventu ſuo pluribus nuntiis facit certiorem. ipſe intereà progreditur. Atqui ut ſummâ celeritate hic uſus ſit, priùs tamen quam pervenire potuerit ad hiberna Ciceronis, ſi ineatur exacta temporis in itinere poſiti ratio, tres ut minimùm dies impendit, queis triginta circiter leucas Gallicas eſt emenſus. Ita ut ex totâ iſtâ narratione palàm appareat, Bavacum VVallonenſe non poſſe ullo pacto Belgium illud eſſe, quò Cæſar tres eas legiones Craſſo & aliis illis duobus legatis ducendas commiſerat. primò; quia cùm in Nerviis eſſet Cicero, id eſt, multorum judicio, juxta Tornacum, populorum illorum, ut exiſtimatur, metropolim; ſequeretur, iſtud Bavacum decem dumtaxat leucis Tornaco abfuiſſe. quod ſi verum ſit, numquam auſus fuiſſet Ambiorix Ciceronem adoriri: neque Cicero, tam urgenti neceſſitate, ſic inſtanter auxilia petiiſſet à Cæſare, qui triginta ut minimùm leucis aberat, ſed potius à legatis Belgii, ſibi cum tribus legionibus tam

tam propinquis. notandum præterea, si Bavacum istud fuisset Belgium, nihil opus futurum Cæsari, tunc Samarobrinæ agenti, & Tornacum petituro, iter facere per Atrebates, hodie terram Arthesiam. Sed en aliud argumentum adducemus eo validius, quod videlicet ipse Cæsar adferat, statim se nuntium in Bellovacos ad M. Crassum misisse, quem paullo ante narraverat collocatum à sese in Belgio? hic certè ostendit Belgium in Bellovacis fuisse, qui proculdubio ij sunt Picardiæ populi, quos hodie dicimus *Beauvoisins*, & in quibus Bavacum Picardum est, non autem in terrâ Hannoniâ, ubi Bavacum VVallonense. Quod quò magis firmetur, attendatur obsecro, Suessiones, hodie vulgò *Soissons*, medios collocari à Cæsare inter Bellovacos & Rhemos, quos nunc dicimus *Reims en Champaigne.* unde palàm colligitur, Bellovacos fuisse Belvicinos, remotissimos sanè à Nerviis, id est Tornacensibus nostris, ubi tunc Q. Tullius Cicero. Addimus velut è supervacuo, quod cùm in Carnutibus, hodie voce non nihil corruptâ *Chartres*, opido quindecim supra Parisios leucis posito, interfectus esset à suis Tasgetius, natione Gallus, sed qui staret à partibus Romanorum: Cæsar, veritus ne civitas eorum impulsu deficeret, L. Plancum cum legione ex Belgio (tamquam illis tunc proximo) celeriter in Carnutes proficisci jusserit. quod Belgium, si Bavacum Hannoniæ

noniæ foret, nimis difficilum certè fuisset auxiliaribus illis copiis in Carnutes usque mittendis, promto, eas habere ex locis multò vicinioribus. Atque isthæc sufficiant demonstrando, quod Belgiũ illud Cæsaris nõ potuerit esse aliud, quam Bavacũ Picardiæ, oppidũ miræ antiquitatis, & Episcopali sede hucusque notum, cujus Præsul & Comitem se inscribit, & unum è Paribus Franciæ. nequaquam autem dici potest fuisse Bavacum nostrum Hannoniæ. cui equidem veterem illum honorem non eo detractum: sed non est umquam veritati denegandum patrocinium, & præsertim in rebus tanti momenti, quæ lectori tam densas offundant tenebras, ut nisi discutiantur, non locatim tantummodò, sed Provinciatim aberraturus sit, cum turpissimâ etiam aliarum rerum confusione. Ex iisdem autem his argumentis, demonstrationibusque extra omnem dubitandi aleam positis, manifesto etiam patet, Samarobrinam illam, in quâ tunc Cæsar, non esse Cameracum. quod nonnulli tamen, (inter quos aliquando etiam ego, dum auctoritate illorum me abripi patior) per errorem adfirmant. Nam inter Samarobrinam & Ciceronem, triginta ut minimùm erant leucæ: quæ si istis credendum sit, non sint plures duodecim tredecimve. à Samarobrinâ in Belgium, juxta Cæsarem quidem, essent viginti quinque miliaria Italica, secundùm istos

verò plus quàm viginti quinque leucæ Teutonicæ. tantum siquidem inter Cameracum & Belvicinum, vel si Belgium dicere malumus, interest. quare Samarobrinam oportet fuisse longè viciniorem Ambiano, non ignobili Galliæ oppido, quàm sit nostrum Cameracum. Sed ne videar nimium curiosus, abstinebo deinceps ab ulteriore omni censurâ, referamque me lubens ad elegantem aliquam animam, quæ & istas & similes omnes res aliquando pertractet opusculo aliquo singulari, & lecta magis ac valida argumenta in medium proferat. mihi in præsentiarum satis est dicere, tantas fuisse ac tales, ob caussas paulloante commemoratas, regionum istarum ruinas atque mutationes, ut nemini mirum videri debeat, in antiquis his & à sæculo nostro remotis rebus tantam interdum confusionem atque caliginem inveniri. Iam verò ut unde paullisper deflexit, eò iterum redeat oratio; profiteor lubens atque agnosco, præter illa quæ scriptis extant tradita, inveniri palàm & visi apud Hannonios nostros Bavacenses, ac tam intra quàm extra urbeculæ nostræ pomœrium, multas prisci illius splendoris reliquias, & insignes antiquitates: inter alia verò complusculos nummos Romanos. quæ omnia clarum satis atque apertum præbent indicium, fuisse olim rem magnam, & memmentosam. admiranda verò præ cæteris via illa delapidata; quæ

Parisiis per hoc oppidum ducit in Tungros,& in ipsâ Tungrorum descriptione infrà iterùm memorabitur. item altera illa mirabilis via, olim in totum silicata, quæ inde à Rhemis Campaniæ per hoc nostrum Bavacum, protenditur usque ad Cortracenses in Flandriâ, quod est iter plus quinquaginta leucarum,sive centum viginti milliarium Italicorum. Ex isto oppido probant incolæ variis argumentis oriundum fuisse magnum illum Belgium,cujus libro 24, historiæ suæ meminit Trogi abbreviator Iustinus. illum inquam comitem Brenni; qui post obitum Alexandri Magni,in Pannoniam primùm cum centum & quinquaginta millium armatorum exercitu transiens, magnis inibi factis progressibus, in Macedoniam porrò irrupit. ubi fuso, capto & decollato Rege Ptolemæo, tandem & ipse, victoriâ insolenter usus, à Sosthene, uno è Macedonum Principibus,fusus est. Quod cum Delphis accidisset & Brenno; qui nihilo (ut jam alibi dixi) minorem quàm ipse exercitum secum adduxerat, & cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finiverat. Belgius cum suorum reliquis, id est decem circiter hominum millibus, Græciâ excedens, ad internecionem unà cum illis occisus est. Neque verò tam miseranda superiorum temporum clades, tamque ignominiosa pristinæ magnitudinis deminutio Bavaco nostro suffecerat, nisi &

ultimis

ultimis iſtis bellis iterato à Gallis exureretur, miſeréque devaſtaretur. ſed reſurgit tamen & inſtauratur pallatim per amicam hanc pacem.

DESCRIPTIO
BINCHII.

BINCHIVM, vulgò dicitur *Binche*, ſitũ ad ramum quemdam fluvii Hainæ, & Montibus tribus leucis abjunctum, oppidum ſanè antiquum, ac civibus olim frequens: ſed continuis hiſce bellis ita miſerè attritum, ut incolarum plerique Montes migrârint. Erat nuper hoc oppidum ditionis Mariæ Reginæ Hungariæ, cui in vitam, ut vocant, donaverat Carolus Quintus Imperator, quo tempore ipſa huic Belgicæ præerat. quare & luculenter id inſtauraverat, & palatiis ſimul hortiſque ſumtuoſis ac planè regiis exornaverat. eſt enim reverà locus vel maximo quoque Dynaſtâ dignus, ſive tu miram cœli temperiem ſpectes, ſive commoditatem venationum, aliasve id genus delicias. Profecti ſunt eò anno 1549, idem ille Imperator & Princeps Philippus, quo tempore iſte inauguratus fuerat in futurum Dynaſtam Belgarum. quos tam ſplendido apparatu, ac tam crebris hyppomachérũ decurſibus, tamque celebri pompâ & ludorum magnificentiâ, per continuos aliquot dies, Re-

gina jamdicta excepit, quantam vix fide quis assequatur, tantùm abest ut dignè describat. Sed contrà cùm hac transiret Rex Galliæ anno 1554, Mariæburgo Dinantóque recens devictis, & victoriæ compos remearet in Regnum, oppidum nullo ferè negotio occupavit. cumque proprio quodam odio persequeretur Reginam Mariam, propter crebra incendia, hujus instinctu in Picardis excitata, præsertim verò exustum Folembrajum, amœnissimam suam arcem, vindicaturus tam insignitam injuriam, non omnes tantùm heroidis ejus domos & elegantias devastavit, sed & oppidum ipsum incendit. quod surrexit tamen, & quantum ad privatorum domos, in pristinam faciem restitutum est. Iussit insuper idem Rex, eodem furore actus, incendi amplissimum illud palatium, arcis propemodùm formâ extructum, quod vulgò Mariæmontium vocant, conditum in finitimis penè immenso sumtu, mirandisque hortorum deliciis exornatum, ab eadem illâ Reginâ. unde discimus, quàm periculosum sit magnos Principes irritare, quamque verum sit illud vulgatum,

An nescis longas Regibus esse manus?

Ita est. porrigitur longè lateque ipsorum potentia, nec præmiari minùs & instaurare, quàm punire & demoliri norunt.

DE-

DESCRIPTIO

RODII.

RODIVM, vulgò *Reus*, etiam Rethia dicitur à Ruthenis. distat autem Binchio quidem duarum, *Montibus* verò trium leucarum spatio, oppidulum mirè antiquum, bonum, amœnum, & amplâ in pagos agrosque circumjectos jurisdictione conspicuum, ideòque titulo Comitatus à Carolo Quinto Imperatore nuper illustratum. Est in eo Cœnobium instituti Præmonstratensis. item pulchrum quoddam sacellum Beatæ Virginis, miraculis, uti perhibent, inclytum: ita quidem ut & Pontifices & alii quidam Principes variis illud donariis atque honoribus prosecuti sint. Fuit non ita pridem in ditione Illustrissimi Principis Adriani Croji, viri & rerum politicarum tractandarum industriâ, & militari fortitudine longè clarissimi. quæ virtutes & plurima summi momenti officia acceptissimum eum reddiderant Carolo Quinto Imperatori, à quo etiam ad summos quosque honores & dignitates evectus est. mortuus tandem anno 1553, Flandriæ & Arthesiæ Gubernator, exercituque ad Teravannam archistrategus. Successit ei in Comitatu Rodiensi Ioannes filius, peregregius adolescens, maxime verò intrepidus idem & acer militiæ. cui

succeſſit nuper Euſtachius frater, Præfectus Divi Audomari, vir eximiæ dignitatis.

DESCRIPTIO SOGNIACI.

SOGNIACVM in propinquo habet amœniſſimũ nemus Sogniacenſe, quà id adſpicit Brenniam Comitis. diſſidet autem Binchio Montibusque pari trium leucarum intervallo, ad fluviolum Zinnam, unde ſumit & nomen. opidulum ſatis bonum, & celeberrimo quodam Canonicorum Collegio, cui à Divo Vincentio nomen eſt, & in oppidum ipſum ac territorium ejus juriſdictio, nobile. Gignit præ cæteris iſte locus multos inſignes Muſicos, canorâ valdè & ſcitâ voce præditos. penditque ut plurimùm in hoc oppido Princeps Cantoribus ſuis mercedem & annua honoraria.

DESCRIPTIO BRENNIÆ COMITIS.

BRENNIA Comitis, Mõtibus quatuor, Hallis verò tribus leucis abjungitur, oppidum perantiquum, ut quod conditum fuerit, adeòque & nomen acceperit à famoſiſſimo illo Brenno, urbis Romæ de-

desolatore, prout fusiùs suprà narravimus in descriptione Brabantiæ. Conspicitur hic hodieque perantiqua quædam turris, Brenni illius, ut perhibent, monumentum.

DESCRIPTIO ANGIAE.

ANGIA, quæ & Angianũ dicitur, vulgò *Enghien*, Atho quatuor, Montibus quinque leucis abjunctum est, oppidulum lautum, ubi ingens conficitur optimorum tapetum vis. Detentus hic fuit nuper in carcere Comes-stabuli Galliæ. oppidum est in ditione Ducis Vindocinensis. Natus inibi Iulianus Hazartus instituti Carmelitarum, virtutibus & doctrinâ insignis vir, ac voluminum aliquot scriptor, prout videre est sigillatim in Bibliothecâ pluries nobis laudatâ. obiit in cœnobio suo anno Christi 1525.

DESCRIPTIO HALLARVM.

HALLÆ vulgò audiunt *Nostre Dame d'Haulx*. sitæ autem sunt ad eumdem Zennam, qui medias ferè interluit. tertio à Bruxellâ milliari, in ipso adeò Brabantiæ & Hannoniæ terræ confinio. Est in oppido ædes sacra, Divæ Virgini

 dedi-

dedicata, & miraculis inclyta, quæ propterea celebratur magno populorū non tantùm ex isto tractu, sed è Gallia quoque & aliis terris concursu. In hoc oppido obiit anno 1404, Burgundionum Dux Philippus, is qui *Audax* dictus est ab insigni animi confidentiâ, frater Caroli Quinti Regis Galliarum, & conjugio Margaretæ Malanæ Belgicam cum Burgundiâ suâ junxit. Mortui intestina sepulta sunt in hoc ipso templo Beatæ Virginis. cor Sandionysium amandatum est, notum Galliæ oppidum, altero à Parisiis lapide, tumulandum inibi juxta Principes Sanguinis Franciæ. corpus verò, balsamo priùs conditum, regali pompâ sepeliendum deportatum est Divionem, Ducatus Burgundiæ metropolim. ubi Margareta illa jamdicta, defuncti vidua, viri gravissimè obærati bonis, quæ mobilia vocant, cedens, eáque creditoribus se deserere profitens, in ejus rei indicium, præsente non tantùm aulâ, sed & toto populo, usurpavit sollennem illum ritum, & marsupium ejus unà cum cingulo clavibusque feretro superimposuit. Quod ipsum, si penitiùs paullò introspicis, Principibus olim majorem fuisse legum & juris observantiam, quàm privatis hoc nostro ævo, ostendit.

DESCRIPTIO
LESSINÆ.

LESSINA, Angiano circiter quatuor, Montibus verò sex leucis abjuncta est. interluit ipsam fluvius Tenera, & contexitur isthic magna copia linteorum. Lessinensis fuit Iulianus Aurelius, vir insigniter doctus & scriptis clarus.

DESCRIPTIO
CERVIÆ.

CERVIA, Atho tantũ unius, Montibus quinque leucarum spatio dissidet, oppidulum quidem modicum, sed amœnum idem & pulchrum, quod Hunellus interluit, non ignobilis torrens. Hujus oppidi titulum inscribebat Guiljelmus Crojus, is quem in descriptione Arschoti cum honore & laude memoravimus. Locum hodie possidet ejus nepos, avo cognominis, Marchio Renticensis, nuper autem conjugii jure cessit Marchioni Renticensi jam sæpiùs nominato.

DESCRIPTIO
ATHI.

ATHVM, Lessinâ quidẽ duabus, Montibus verò quatuor leucis abjungitur.

modicum sane, sed pulchrum, munitum, amœnum & prælautū oppidulum, quod interluit idem Tenera. texitur hic inter alia, ingens vis linteorum. quorum adfatim etiam importatur ex pagis & oppidis circumjectis, (est enim hic mercimonii ejus emporium) veniuntque tam domi confecta, quàm ab exteris importata, linteorum Athensium nomine. Iactant autem abire annuam mercis rationem in ducenta & amplius millia scutatorum. sic ut magnus sit ad hoc oppidum exterorum concursus. Athensis fuit Ioannes Taisnerius, Iuris utriusque Doctor, Poëta laureatus ac celebris Mathematicus perexcellens, & doctissimus Musicus. Scripsit nuper laudatissimum opus in Mathematicis.

DESCRIPTIO
FANI
DIVI GISLENII.

FANVM Divi Gislenii nomen capit à nobilissimo suo Cœnobio, cujus Abbas (is autem hoc tempore est Episcopus Tornacensis) veteri lege ac jure, & civilis simul & ecclesiasticus oppidi Dominus. Et Cœnobium quidem est omnium hujus terræ primarium; oppidum verò sane quàm modicum. quod interluit fluvius Haina, is quem diximus universæ terræ dedisse nomen.

DE-

DESCRIPTIO

LVSÆ.

LVSA distat Valentianis quinque leucarum spatio, oppidulũ satis mediocre. etsi enim ante pauculos annos totum pænè absumserit edax flamma, reparatur tamen hoc tempore magnis auctibus, & in pristinam formam instauratur. Patrimonium olim habuit Gerardus Rossilionus, nobile & historiis notum nomen. Inde obvenit Illustrissimæ genti Borboniæ, ac Dynastam nuper agnovit Ducem Montpenserium. hodie verò in ditione est Florentii Montmorencæi, Domini Montigniacensis in Ostervandiâ. quo mortuo tandem delatum est ad Guiljelmum, Comitem Hoogstratanum.

DESCRIPTIO

MVNICIPIORVM.

PEQVICVRTIVM distat Duaco spatio trium leucarũ, juxta Cœnobiũ Anchinense, cui subjectum est. locus miræ antiquitatis, & muris olim ac mœnibus clausus, sed destructus inde per bella, sicut hodie quidẽ vix pagi vocabulũ tueatur; etsi privilegia tamẽ illibata cõservat.

Fontana, quam vulgò vocant *Fontaine l'Evesque*, quasi dicas Fontem Episcopi, oppidulum satis lautum est, in finibus Han-

Hannoniæ, quà terram Leodicensem tangit. Sabi flumine, modico tantùm milliari, Binchio verò duabus leucis abjunctum. Paret proprio suo Dynastæ, ac diu fuit in ditione Illustrissimæ gentis Henninæ Letartiæ, ex quâ ortus Illustris Bossutius. sed delatum tandem ad fœminam, nuptam Iacobo Crojo, Toparchæ Sempiaceno. hodie matrimonii jure subest Domino Argentiensi, qui uxorem habet fœminæ ejus quam dixi neptem. Quia verò litigatur inter Hannoniæ Comitem & Episcopum Leodicensem de supremo oppiduli hujus imperio, nondum constat utrinam ex illis terris accenseri debeat. Sunt præterea inter pagos, arces, & toparchias Hannoniæ, multa loca notatu digna, & amplissimis privilegiis exornata, è quibus originem ducunt clarissimæ quædam familiæ. ac primò quidem

Lalainium, altero à Duaco, quinto verò à Valentianis milliari, ad Scarpam flumen. municipium sanè amœnum, arce & ditione, aliisque nominibus memorandum, ita quidem ut Comitatus titulo splendeat. Nomen hinc illustrissimæ genti Lalainiæ. quæ cùm aliàs semper, tum hoc nostro ævo cõplures habet illustres heroas, non Lalainii tantùm, sed & Hoogstratæ Comites, prout supra in describendâ Brabantiâ diximus. Inter cæteros verò excelluit nuper Carolus, hujus loci Comes, Princeps togâ simul & sago

& ſago illuſtris, adeò quidem ut ad Cæſarem in Germaniam abeunte ann. 1550. Hungarorum Reginâ Mariâ, ipſe cum ſummo imperio manſerit ejus Vicarius. Præfuit idem ſexennio poſt, cum Archithalaſſo Galliæ, pactioni induciarum Vallicellæ inter Cæſarianos & Gallos factæ: mortuus tandem, Hannoniæ Gubernator, & Eques aurei Velleris, anno 1558, relictis pluribus filiis, & præſertim Philippo, magnæ expectationis, adoleſcentulo. cui nuper in ditione paternâ ſucceſſit filiolus ejus Franciſcus.

Montigniacum Oſtervandiæ, Duaco pariter leucis duabus diſſidet, juxta Cœnobium Marchennenſe. pagus equidem nobilis, & qui arcem habet ac ditionem, unde & Baronatus titulo decoratur. Dynaſtam agnoſcit Florentium Montmorancium, Comitis Hornæ fratrem, Equitem aurei Velleris, & Præfectum Tornacæſienſem. quo mortuo, locus tandem obvênit Comiti Hoogſtratano.

Antonia, vulgò *Antoing*, adſidet fluvio Scaldi, & Tornaco unicâ tantùm leuca diſtat. pagus valdè amœnus, quem commendat in primis pulcherrimi operis caſtrum, ea quidem antiquitate, ut conditum ferant à Marco Antonio, famoſiſſimo illo Triumviro, qui in Galliis tunc & Iulij Cæſaris Comitatu, loco à ſe fecerit nomen. loco, vel ſolâ vetuſtate memorabili, quem ſedem habent Illuſtriſſimi Principes Eſpinoij, poſſidetque hoc tem-

tempore, matrimonii jure, Dominus Barlæmontius.

Ad eumdem Scaldim est Bia, locus Antoniâ unâ tantùm leucâ disjunctus, & mirabili arce conspicuus, Dynastâ agnoscens Hannoniæ Seneschalcū. Possidebat non ita pridē vir Illustris Petrus VVerchinus, Eques aurei Velleris. qui cùm nullos haberet liberos melioris sexus, alteram filiarum nuptam dedit Hugoni Melunio, quem & loci istius, & tituli Seneschalci, hæredem instituit. eâ tamen conditione, ut & nomine simul & cognomine soceri, necnon armis ejusdem gentilitiis gener in posterum uteretur. quod & incorruptè observat. Minor filia lautè dotata nupsit Comiti Bossutensi. Bia verò nunc in ditione est nobilissimæ fœminarum Iolentæ VVerchinæ, matris Principis Espinoij.

Briffolium, Biâ leucæ tantùm spatio dissidet; pagus quidem exiguus, sed qui amplam habeat arcem; ac tantam jactet antiquitatem, ut pro certo existimetur sumsisse nomen, etsi voce nonnihil corruptâ, à bifronte illo Iano, poëtis tantopere decantato. unde & ampla quædam vallis, etiā aliis aliquot pagis insessa, Briffoliensis hactenùs dicitur. juxta quā vallem est mons Trinitatis, in quo asserunt Iano templum olim fuisse positum ab Albanis. Locus est ditionis Domini Moriaumensis, clari & generosi heroïs. quem & nobilis ille pagus, vulgò *Hau-sur-*

Heure

Heure vocatus, ac Sabin inter & Mosam positus, amplissima item & nobilissima arce, (quam ut plurimùm incolunt ii proceres) memorandus, Dominum Dynastamque agnoscit. Hodie paret Ioanni Merodio, Domino Moriaumensi.

Ligniacum, vulgò *Ligne*, distat Cerviâ quidem unâ, Atho verò duabus leucis, pagus itidem peramœnus, & arce conspicuus. unde & Comitatus titulum inscribit. Comitem habet Philippum, etiam Falcoburgi & VVassenaræ apud Batavos Dominum, Principem certè generosum, atque illustrem, & Equitem aurei Velleris. quo mortuo, cessit Lamoralio Ligniacensi, nobilissimo pariter & clarissimo Principi.

Bossutum, Montibus tantùm duabus cum dimidiâ, Valentianis verò quatuor leucis abjungitur. pagus sanequàm lautus, & pulcherrimo non Hannoniæ modò, sed & Belgicæ universæ castro spectabilis, ideóque & Comitatus dignitatem à Carolo Quinto Imperatore consecutus. Hodierno ejus Dynastæ, Ioanni Hennino Letartio nomen est, viro amplissimo nobilissimóque, Equiti aurei Velleris, & olim Imperatoris ejusdem Scutifero. cui, dum opus istud absolverem, rebus humanis exemto successit Maximilianus filius, eques generosissimus, ac digna tanto parente proles. Hodie Dominum habet Petrum Henninum, valdè adhuc adolescentem.

Barlæ-

Barlæmontium est ad Sabim flumen, & Landrecejo pariter Avennâque pari ferè duarum leucarum spatio dissidet. pagus profectò amplissimus, ac non arce tantùm, sed & Dynastiæ, seu Baronatus dignitate spectabilis. imò in Comitatum nuper à Rege Philippo evectus. Paret hodie Carolo, Equiti aurei Velleris, uni è tribus Præfectis ærarii, vulgò *chef des Finances*, viro magnæ auctoritatis & famæ. cujus filius quoque Ægidius, adolescens est rarâ quadam doctrina, idemque strenuus ordinum ductor, & militiæ gnarus. neque verò quidquam degenerant ejus fratres: qui partim armis & militari laude, partim sacræ vitæ professione, in dies inclarescunt. Patri successit Florentius Barlæmontius, Baro Hiergesius, Geldriæ simul & Comitatus Namurensis Gubernator, Eques aurei Velleris, acer & magni nominis Capitaneus, ac gratiosus admodum apud Regem.

Glajonum, Avenna duabus leucis dissidet, pagus neutiquam contemnendus, ut qui munitissimam arcem, ac Dynastiæ dignitatem habeat. Paret viro Illustri Philippo Stavelio, Equiti aurei Velleris, & supremo Regiarum munitionum Præfecto. cui successit nuper generosissimus vir Florentius, Comes Herlresius.

Trasigniacum adjacet viæ silicatæ qua itur Trajectum Mosæ, & Binchio abest duabus leucis. Est autem & castrum & pagus longè pulcherrimus, ac vel maxi-

mè

mè memorandus antiquitate ſtemmatis Dynaſtarum, qui ab annis ſexcentis & ampliùs, loco præſunt, neque deſeruerunt umquàm, ſed perpetuam habuerunt domicilii ſedem. E qua ſtirpe plurimi orti ſunt viri clariſſimi, & præſertim recentior ille Ioannes Traſigniacus, Eques aurei Velleris, ac Collegii ejus Decanus, Caroli V. Imperatoris, ut ſic dixerim paranymphus, cujus nomine duxit Iſabellam Luſitanam. Patri ſucceſſit Carolus filius, hodiernus loci Dynaſta, vir egregiæ conditionis & famæ.

Eſcochinna Binchio trium leucarum intervallo abjungitur, pagus admodùm amplus, ac duplici arce conſpicuus, ſuperiore Dominum agnoſcente Comitem Lalainium, inferiore Dominum Deldrium, è familia Reneſſæa, Equitem honeſtiſſimum. Ab hoc pago accipiunt nomen, & in totam ferè hanc Belgicam magnâ copiâ diſtrahuntur lapides illi leucophæi, quorum ad opera cœmentitia magnus uſus eſt.

Trelonium ſemileucâ diſtat Glajano, pulcher pagus, & qui validam habeat arcem nuper adeò, quod per ultima iſthæc bella ſæpius diruta mutilatáque fuerat, deintegro inſtauratam. Paret Domino Ludovico Bloſio, viro honoratiſſimo, & Armamentarii Regii ſupremo Præfecto. unde porrò delatum eſt ad Dynaſtam Merodium, virum ampliſſimæ dignitatis.

Sora Castellana, vulgò *Sor le Chasteau*, sita est altero ab Avennâ milliari, poniturque inter præcipuos & majoris momenti pagos universæ Hannoniæ. arcem habet operum munitione ac vetustate admirandam. Paruit nuper Illustrissimo Molembasio, Equiti aurei Velleris. quo defuncto, cessit unà cum aliis aliquot pagis & toparchiis Marchioni Bergizomano; habenti in matrimonio unicam ejus filiam. Hodie verò in ditione est nobilissimi viri Domini Molembasii, orti ex Illustrissimâ gente Croiâ.

Barbanchonia modicâ tantùm leucâ dissidet Bellomontio, & vicinum habet amœnum nemus, taxis, nobili arborum genere, consitum. ipse pagus luculentus, & castro necnon veteri Baroniâ conspicuus. Fiunt hic magnâ copiâ vitreamina, ut & toto passim Hannoniæ Comitatu, præstantiora multò & pulchriora quàm Rhotomagensia, Lotharingica, vel & Hassica. Locus Dynastam habet Ioannem Lignesium, Comitem Arembergium, Principem admodùm generosum, Equitem Aurei Velleris, & Frisiæ simul ac Transisulanæ Gubernatorem. cui nuper successit Robertus filius, non virtutum minus, quàm opum & ditionis paternæ hæres, itidem Eques aurei Velleris, & Sacri Romani Imperii Princeps, in magnâ & apud Principem gratiâ, & apud omnes existimatione.

Aimeri[illegible] alluit Sabis flumen, pul-

chrum

chrum & amplum pagum, Barlæmontio pænè contiguum, Malobodio circiter sesquileucâ abjunctum, & egregiâ arce, tum prænobili quoque & miræ antiquitatis Baroniâ insignem. Possederunt multo tempore Comites Flandriæ. hinc in dotē data fuit Iolentæ filiæ Comitis Roberti, nuptæ Henrico Barrensi. unde postmodùm ortus Renatus Andegavensis, Dux Lotharingiæ, & idem Siciliæ ac Neapoleos Rex, qui donavit hanc Dynastiam Cancellario suo Rollino. cui longâ deinde nec interruptâ serie posteri successerunt usque ad præsentem hunc Georgium Rollinum, Dominum etiam silvæ Ramiensis, ac eo nomine Magnum Venatorem Hannoniæ. Paret hodie locus Dominæ Annæ Aimeriæ, viduæ fruenti antiphernis Marchionatus Roubasii.

Notandum insuper, contineri terræ Hannoniæ finibus Tuinum atque Covinum, oppida Leodicensi Episcopatui subdita, & propterea suo infrà loco describenda. Sicuti Vallocuriam quoque, oppidum isthac terrâ quidem contentum, sed Namurensi tamē Comitatui concensitum, debitæ suæ Provinciæ reservamus.

Scatet passim Hannonia multâ nobilitate: ac præstrenuos gignit & acres bellatores, sive equites quisquam desideret, sive pedites. multi se litteris applicant, in iisque non pœnitendos progressus faciunt. alii rursus in agriculturâ sunt dediti, vel & mercaturâ. plebs manuarias

artes, & opificia sedulò ac sollerter colit. elucente in quavis professione ipsorum ingenio, nec obscurè se prodente industriâ. gens civilis admodum ac humana. etsi vulgus tamen majori ex parte invidum nimis, ac pravæ indolis. Sermone utuntur Gallico, verum crasso & rustico. quem nobilitas tamen expolit indies & concinnat. addiscunt deinde, propter viciniam utriusque gentis, etiam linguam Flandricam.

Divexata fuit hæc regio ferè perpetuis bellis, quæ cum aliàs, tum vel maximè declinante Romano Imperio eam presserunt. quare & Principes sæpe mutavit, ac nunc Hunnis & Vandalis, nunc Gothis, rursus & Danis; nunc denique Gallis Normannisque optemperavit. donec tandem temporibus paullò minùs remotis, Brunonis maximè Coloniensis Archiepiscopi & Pontificiæ sedis legati operâ, liberata fuit his tempestatibus, & in optimum locum reducta. Sed nec ista tranquillitas diuturna. quin ex novis nescio quibus prætensionibus nova iterùm surrexerunt bella: nec cum Gallis tantùm & Flandris, sed Brabantis quoque & Episcopis Leodicensibus, imò & ipsis Batavis, variè sæpe & periculosè certatum est. ita ut Hannonia nostra modo ab isto Principe vi subacta, modò ab illo per deditionem, vel & matrimonium occupata, gravissimas sæpè calamitates experta sit. At impositus tandem, si non bellis, saltem veris justisque prætensioni-

sionibus, finis, matrimonio inter Ioannem Burgundiæ Ducem, eumdemque Flandriæ Comitem, & Margaretam, Alberti Ducis Bavariæ, filiam natu majorem contracto. qui Albertus, cùm esset Hannoniæ, quoque Hollandiæ, & Zelandiæ Comes, nec non Dominus Frisiæ; neque filium ullum haberet præter Guiljelmum: ex Guiljelmo verò unica tantùm mansisset Iacoba; atque hæc etiam, licet quatuor viris conjuncta, sine liberis tandem obiisset: successit pacificè in has omnes ditiones Philippus Bonus, Ioannis & Margaretæ supradictorum filius. prout latiùs fuit à nobis expositum in descriptione Hollandiæ. Gubernat Hannoniam, nomine Regis Catholici, Marchio Renticensis, cujus titulus: Gubernator, Capitaneus generalis, & Magnus Prætor Hannoniæ.

FINIS

Reipublicæ Hannoniæ.

RESPVBLICA, HISTORIA ET DESCRIPTIO DVCATVS LVXEMBVRGENSIS.

I

D

LV

SCI
Pr
an
Belgii
dineq
compl
iare c
catus
mitat
minii
latim,
nossere

D

CV
Cla
perun
Marc
tium
mavi,
res ex
Si
Mar
buit

IOAN. BERTELII DESCRIPTIO DVCATVS LVXENBVRGENSIS.

SCIENDVM quod Luxemburgensis Provincia, Ducatus titulo insignis, uti amplissima est, & vix ulli reliquarum Belgii Provinciarum in longitudine, latitudineque cedit; ita & quamplurima sinu suo complectitur egregia & perantiqua nobilitate conspicua dominia, quorum alia Ducatus, Marchionatus, Principatus sive Comitatus, alia Baronatus aut simplicis Dominii dignitate gaudent. De quibus sigillatim, quantum per sedulam inquisitionem noscere licuit, breviter agere constitui.

DE ARLVNENSI MARCHIONATV.

CVM igitur cæteris, quæ adhuc nullam status pristini mutationem acceperunt, præstare videatur Arlunum, quod Marchionatus fulgens titulo, ab eo initium hujus tractatuli sumendum existimavi, gradatim ad alia secundum quod res exigere videbitur, descensurus.

Situm habet Arlunum oppidum (quod Marchionatui isti denominationem tribuit (loco valde amœno, nonnihil præ

circumjacente solo elevatiori, agris fertilibus, pratis, & sylvis, pascua, & alias vitæ commoditates abundè ministrantibus, perfruens; à Metropoli totius Ducatus Luxemburgici quatuor distans milliaribus, eamque ab orientali sui parte respiciens: Ardennam verò ab occidua & septentrionali, & Lotharingiam à meridie conterminam habens Castrum olim insigne in montis hujus cacumine, quod quasi centrum oppidi existit, cernebatur, cujus modo ruinas, quæ sufficienter antiqui ejus status præstantiam testificantur vestigia licet intueri: antea quidem Comitatus tantum gaudebat titulo, cujus rei initium nequaquam reperire potui, at postmodum circa Annum Domini videlicet 1103. ex comitatu in Marchiam sive Marchionatum extitit sublimatum. Hoc eodem loco priusquam incolæ Christo nomen darent Idolorum seu potius dæmonum culturæ dediti, superstitione gentili, singularem cultum Lunæ deferebant, cui & prægrandem structura eleganti aram (cujus hodieque partes insignes extant) erexëre à qua locus ipse Arluna quasi ara lunæ, communi omnium sententia nuncupatur, quanquam & Arlunum solito oppidorū more in neutro genere efferatur, habetque amplum satis dominium, cui inter cætera oppidulum vocabulo *Vertonum* includitur. Ad fidem porrò Christianam tunc conversi fuisse putantur Arlunenses, Deo misericordi-

ter providente, quando Divus Petrus Archiapostolus, summus Christi in terris vicarius, tres Christi discipulos Eucharium, Valerium, & Maternum ex urbe Roma Treverim ablegavit, atque iidem sancti præsules commisso sibi officio strenuè insistentes, non modo Treverens. sed & vicinos ad multa miliaria distantes Euangelii Christi prædicatione, miraculorumque perpetratione ex Paganismo ad Christi religionem traduxerunt.

Contendebat olim Ius sibi in Arlunensi Comitatu competere Archiepiscopus Trevirorum, quod Adela quondam Comitissa Henrici vidua (quæ vixit circa Annum Domini 1077) non uxorio testamento Ecclesiæ, sed proprio Iure Comitatus Treverensi eundem legassent, verum re penitius perpensa, & ad legum examen deducta ejusmodi legationem nullius extitisse roboris, proximi ab intestato hæredes evicerunt, ea nimirum ratione, quod penes ipsam Adelam non fuerit Marchionatus istius dominium alio causa mortis transferre, quod pridem extiterat ejus ex filio VVaramo nepti Henrici Lymburgensis Comitis conjugi in dotem, & hæreditariam possessionem addictum, ex quo illud & evenit quod Marchionatus iste ex feudo Luxemburgensi, Lymburgicum fieret, qui tamen tempore succedente in Luxemburgensium, ut antè, jus rediit.

Nego-

Negotium porrò talem habuit decursum, ut Adelæ morte audita, Egibbertus Trevirorum Archipræsul Henricum prælibatum Lymburgensem Comitem possessione jam Arlunensi. Comitatus fidelitatis à subditis suscepto juramento, fruentem, literis hortatus sit quatenus rem sibi & Ecclesiæ suæ delegatam, ac ab ipso usurpatam ac tutam restitueret: Sed Comite istiusmodi monitis nihil permoto, excommunicationis in eum censuram vibravit. Vnde Comes graviter infensus, vindictam inferre animo concipiens, militem conscripsit numerosum, eodemque agrum Trevirensem immani persecutione tam in rebus, quam in hominibus afflixit, sicu t Trevirensis Præsul tantam non sustinens injuriam anathematis fulmina in Comitem, ejusque complices reiteraret, aggravaretque. At iste nequaquam Ecclesiæ censuras reveritus in majorem furiam agitur, & ipsam etiam Treverensem Civitatem obsidione cingere aggreditur, vineas interim, villas, hortos, prata & omnia circumquaque depopulans. Hinc Archiepiscopus Ecclesiasticæ potestatis contemptorem repressurus manu militum grandi coacta, Comitis copias fortiter aggressus, eisdem gravem intulit cladem, plurimis nimirum indè cæsis, aliis verò in fugam actis, inter quos & ipse Henricus Comes Arlunum fugiens periculum mortis evasit, Comitatu eatenus inter partes litigioso permanente,

nente, & à Lymburgensibus nihilominus possesso donec Anno 1214, VValramo Ducis Lymburgensis filio cum Ermesinda secunda Comitissa Luxemburgensi matrimonium ineunte eidem Marchionatum Arlunensem dotis loco conferente Luxemburgensium deinceps Principum potestati restitueretur. Quod quidem tum rescissens Archiepiscopus Treverensis sperans VValramum antecessoribus fore flexibiliorem ab eo restitutionem Marchionatus petiit: Verum hic ab ea mente alienus necnon conscius eorũ, quæ præcesserant, deterrere volens Archiepiscopum à censuris similiter in se distringendis, ascito secum Synensi Comite territorium Treverense gravi infestare cœpit depopulatione, obvia quæque igne & ferro impetens, & devastans. Archiepiscopus igitur spe omni concupitis potiundi destitutus, sub certis cõditionibus pacem cũ adversariis composuit, dimittens Arlunensem Marchionatum Luxemburgensi deinceps possidendum. de quo inferius plura dum de urbibus Ducatus Luxemburgensis tractabimus.

DE DVCATV MOSELLANO.

EXTITIT antiquitus in esse Ducatus Mosellanus sic dictus quod Mosellam una cum adjacentibus utrinque terri-

territoriis à Metenſi civitate uſque ad Trevericam urbem complecteretur, quamvis aliorum opinio ſit eundem longè ampliorem fuiſſe, utpote tam ea quæ diximus, quam quæcunque fluvio Moſæ adjacent, & indè ad Scaldim uſque habentur ſinu ſuo comprehendentem. Quod quidem minus videtur probabile, nam ſic Eburniones, Menappios, Sicambros, Lymburgenſes huc ſpectaſſe oportuiſſet, cum tamen ad Ardennæ principatus Iura eodem tempore pertinuiſſe dignoſcantur. Sed puto hos ex vocabulorum Moſæ & Moſellæ affinitate eſſe deceptos, putantes nimirum ambobus unum idemque ſignificari, aut Moſellani vocem ab utroque originem ducere: Poſſeſſor autem hujus inſignis Moſellani Dominii ejuſdem initio Anſelbertus Senator Romanus natione francus ex ſanguine Clodionis ortum trahens, fuit à Clotario franciæ Rege ſocero ſuo, id eſt uxoris ſuæ Blitildæ patre cônſtitutus, cui Buggiſus & huic Arnoldus, Arnoldo Clodulphus filii ſcilicet reſpective patribus ſuis ſucceſſerunt. Poſtremus iſte cum in aula Regis Dagoberti magnæ eſſet authoritatis, adeò ut à Sigeberto Regis filio haud difficulter petita quælibet accepiſſet, hujus interventu Dominiũ ſuum Moſellanum in Ducatum per Regem erigi petiit, & obtinuit: ſicque Clodulphus Moſellanorum Ducum primus ordine evaſit, quem filius ejus Martinus ſubſecu-
tus,

tus, moriens duobus filiis suis Eleutherio & Lamberto successive eandem dignitatem dimisit. Lamberto primogenitus ejus filius; & huic Fridericus filius Friderico genitus ab eo Sadigerus successere. Post quos demum Raguerus Sadigeri filius extitit surrogatus. Raguerus filios habuit Giselbertum, primogenitũ, cui cum agro Iuppiliensi propè Leodium eæ etiam terræ in proprietatem obtigerunt, quibus hodiè Lotharingiæ Ducatus constituitur. Et Ricuinum Mechtildis Evarhardi Ducis Franconiæ maritum Ducatibus Mosellano & Bullonensi, item Comitatibus Virdunensi, Ardennæ, Hasbaniæ, Dominiis præterea de Guerrii & Chinii accidit locupletari.

Celebris autem semper ab origine sua habitus fuit Ducatus Mosellanus in annos circiter quingentos & viginti. Tum enim Fredericus Castri Barrensis fundator suppresso titulo Mosellanico, totum hunc tractum à Castro prædicto nuncupari voluit, ipseque Comes Barrensis indigetari. Successu porrò temporis Ducatus Mosellanus in quam plurimas fuit divisus partes, multisque ac diversis Dominis (secundum illas) subjacuit, quemadmodum & hodiè videre est. Metenses namque à sua incipientes Civitate Marengiam usque imperium circa Mosellam obtinent. Hinc vero Luxemburgensis Dux ad oppidulum Regis Macræ vulgò Köningmachern/ utramque fluminis ripam supre-

ſuprema cum auctoritate poſſidet. Indè deſcendendo ad dexteram Sirquenſe oppidum cum adjacentibus terris Lotharingiæ ſive Barri Dux; ad lævam verò Luxemburgenſis Dux agrum Moſellanum Principali itidem jure uſque in Comitis Macram ſibi vendicant, ac denique iſti oppidulo & quicquid ejuſdem agri uſque in pagum Egett reſtat ab utraque parte fluminis Dux Luxemburgenſis principatur; tum progreſſu pauliſper à læva facto, reliquum hinc & inde Trevirenſi Archiepiſcopo obtemperat.

DE PRINCIPATV
ARDENNÆ.

NOBILISSIMI olim Ardennæ Principatus originem ad Merovingorum tempora non improbabiliter quidam referunt, nec non præclariſſimos Principes, ex Clodione Capillato fluxiſſe affirmant. Regio hæc nemoribus initio, dumetis, ac ſterili ſolo conſtans, modò maxima ſui parte hominum induſtria ad vitæ præſentis uſum commoditatemque redacta eſt: ſylvis nihilominus & multis, & denſis diverſis in locis in eſſe primævo perſiſtentibus. Huc Clodionis prælibari poſteritas Merovingorum perſecutionem declinans confugit, & animo reſumpto Provincias circumvicinas ſuæ armorum vi ſubegit poteſtati, utpotè

Cameracum, Hannoniam, Arteſiam, quæ alioquin hæreditario Iure ad ipſum ſpe-ctabant. Aubero namq; Clodionis Capil-lati filius, Principatus Ardennæ primus Dominus, cernens ſeſe regno paterno, fratreſq; ſuos per Merovingi tyrannidē exutum, Argottam Italiæ Regis filiam connubiali fide ſibi ſociavit. cum Gotthis verò, VVandalis (nunc Bohemis) & O-ſtrogotthis amicitiæ fœdus indiſſolubile percuſſit, & tum demum Merovingis a-perto marte bellum inferens, loca quæ prædiximus ex ejus poteſtate extorſit, unde & ſeſe Cambreſii Regem, Arden-næque Principem nominavit. Huic con-junx Argotta unicum filium VVanber-tum patris ſucceſſorem genuit, qui ex ſua uxore duos ſuſcepit liberos. Anſel-bertum, & VVanbertum Romanæ urbis Senatores, quorum prior Marchio Sacri Imperii ſuper Scaldim deſignatus, poſte-rior verò Ardennæ Princeps, annum Domini circiter quingenteſimum, & vi-ceſimum evaſit: qui filium genuit VVan-bertum, cui duo VVanbertus & Brunul-phus nati ſunt, à quorum priore VVan-bertus quartus prodiit, cujus uxor Regis Thuringiæ filia, duas peperit filias, San-ctam Aldegundem ſcilicet & VValtru-dem: quarum illa Deo virginitatem ſuam & omnes vitæ actiones devovens magnificum illud Molbodienſe Monaſte-rium in Hannonia ex propriis excitavit atque dotavit, ubi & ipſa cum aliarum

ſanctarum virginum caterva vitam traduxitomni ſanctitate & religione conſpicuam, tandemque bonis conſumata operibus,in beatorum conſortium eſt aſſumpta : VValtrudis autem Ardennæ principatu Hannonicoque agro inveſtita Maldegardum Sanctum ac nobiliſſimum hominem Iolandiæ Regis filium in maritum accepit, cujus complexu ſucceſſivè filios binos, totidemque filias in hanc lucem edidit, qui omnes vitam in Dei obſequiis agentes cælibem,abſque liberis,ex hoc ſæculo migrarunt. Mater igitur horum hæredibus ſeſe exindè carere conſpiciens & dolens, in præcellenti virtute præditam mulierem fratruelis ſui Rudolphi conjugem Aijam nomine hæreditatem reſignavit paternam. Ad hæc marito abſque liberis orbata præfatas poſſeſſiones Brunulpho ſororis ſuæ filio Principatum Ardennæ & Hannoniæ in perpetuum contulit. Brunulphus itaque ampliſſimis ejuſmodi auctus Dominiis uxorem ſibi aſcivit Anno Domini ſexcenteſimo decimo octavo, quæ ei filios quatuor genuit Hildulphum ſcilicet,Glomericum, Albericum & Brunulphum, horum primus Moſellanum Principatum hæreditatus eundem unicæ ſuæ filiæ Beatrici Martini Ducis Moſellani conjugi in dotem conſignavit, ex qua matrimoniali copula uti alias diximus, accidit Ardennam cum Moſellanico Ducatu deinceps conjungi. Inde Ardennæ Principatus ſuc-

successionis jure ad Lotharium pervenit, qui cum Ducis Britanniæ filia conjugio sociatus, summa cum laude sub Pipino, & Carolo Magno Franciæ Regibus Ducis belli munera per quam strenuè gessit, nec non ex uxore sua liberos excitavit perplures utriusque sexus, inter quos Ardennæ Principatum & Mosellanum Ducatum distribuens, effecit, ut in partes secaretur diversas, atque ita matrimonio à singulis ex eis inito ad alienorum transirent potestatem. Inde igitur separati ac distincti ab invicem cœperunt Comitatus illi Luxemburgensis, Viennensis, Arlunensis, Chinensis, Rupensis, Namurcensis, Salmensis, Manderscheidt, Vrsimontis, Russii, divisis censeri Dominiis. Qui tamen omnes, Namurcensi excepto, temporis successu titulis retentis Luxemburgensi Ducatu feudales sunt effecti, & cũ eo, ipsoque Namurcensi Comitatu Burgundicæ Domui in Carolo Duce audace, & per ejus unicam filiam Maximiliano Imperatori nuptui traditam Austriacæ familiæ accessere: prout etiamnum post Philippum magnum Hispaniæ Regem dictorum conjugum filium, & hujus natum Carolum quintum Cæsarem Augustum, ac Philippum denique magnum Hispaniarum & Indiarum Regem, Serenissimi Albertus & Eugenia Clara Isabella Archiduces supremi cum autoritate possident.

DE COMITATV CHINENSI.

COMITATVM Chinensem olim Chiniacum appellatum fuisse, antiquitus Sacri Romani Imperii membrum, cum alia tum Rodolphi primi, Henrici septimi, & Caroli quarti Imperatorum clarè edocent diplomata, ubi sese sub Imperii protectione tanquam ejus membrum Chiniacum habere affirmant. Confirmant & hoc privilegia Monasterio Aureæ vallis in dicto Comitatu sito ab iisdem Augustis concessa. Falluntur proindè qui feudum Barri Ducatus Chiniacum esse contendunt, eo scilicet partim argumento persuasi, quod eadem utriusque Ducatus, & Comitatus prælibatorum sint insignia, quasi inde consequatur feudum Chiniacum à Barro Dominium directum accepisse. Verum ejusmodi conjecturas infirmo niti fundamento, vel ex eo liquet, quod arma istorum minime eadem sint, sed longè dissimilia, cum Chinensia duos pisces, trutas nomine, in aureo campo crucibus consito præferant, Barrensia verò binos barbiones in campo cæruleo sive azuratio crucibus resperso conspiciendos exhibeant. Fuit autem Comitatus Chinensis ab Imperii jugo pristino exemptus, dum circa annum Domini 1373 cum Ducatu Luxembur-

gensi

genſi donatione VVenceſlai Romanorum, & Bohemiæ Regis VVenceſlao Comiti Luxemburgenſi facta conjungeretur; ea occaſione, quod Margaretha Chinenſis & Loſſenſis Comitiſſa Iohannis Lotharingiæ Ducis veneno interempti vidua abſque liberis diſceſſiſſet. Hinc igitur Ducibus Luxemburgenſibus ſubſequente tempore, ejuſque Gubernatoribus & Senatui Provinciali paruerũt Chinenſes, ad quem, ac deindè ad magnum Mecliniense Concilium, huc uſque ſolent appellare.

Spectavit autem Chinenſe territorium, priuſquam Comitatus honore ſublimaretur, ad Ricuinum Giſelberti Ducis Lotharingiæ fratrem Ducem Moſellanum, Comitem Ardennæ Bullonenſem, Verdunenſem, Hasbaniæ, Dominumque Guerrii & Chinaci. Hic Everhardi Franconiæ Ducis filiam in thori conſortem accepit, ex cujus geniali thalamo profluxerunt quatuor filii, & duæ filiæ, ſcilicet Godefridus Barbatus, patris in Ardenna, Bullonio, & Verduno ſucceſſor, Ottho, Sigifridus Dominus in Guerrii Luxemburgenſis primus Comes, Falco Marchio ſacri Imperii ſuper Schaldim, Bonna Caroli filii Regis Galliæ uxor & Mechtildis Arnulpho Burgundo primo poſtea Chinenſi Comiti nuptui tradita. Pervenit autem in hujus Burgundi poteſtatem Chiniacum ea ratione, eoque ordine ut ſequitur. Fuit iſte Arnulphus ex

parentibus nobilissimis inBurgundiæ oppido *Granson* vocabulo oriundus, qui dū adolescentiæ tempore facinus quoddam temeritate juvenili perpetrasset, ob idque à Richardo Duce fortunis omnibus spoliatus à paterno solo insuper exulare compelleretur, per diversa errabundus fortuito in Ricuinum Ducem Mosellanum incidit, eique suum obtulit humiliter obsequium: Dux adolescentis tum corporis, tum morum elegantia illectus eum post dierum aliquot circulum in aulæ suæ nobilium album cooptat; & dum successu temporis singularem quandam in eo prudentiam relucere conspiceret, ejus sæpius tam in privatis, quam publicis utebatur consiliis, unde singula advertens prosperè succedere, Provincię Chiniacensis administrandę eū pręponendum censuit. Huic autem muneri cum egregiè incubuisset aliquamdiu, Ricuinus inito cum uxore consilio, dignum etiam eum judicavit, qui sibi fieret gener, ac proindè Mechtildem suam natu postremam filiam illi despondit, assignato pariter loco dotis Chiniacum, & quicquid ad ejus pertinebat territorium, ea tamen conditione, ut si Arnulphus iste nullam ex Mechtilde prolem suscitaret, Dominiū supremum ipsi Ricuino, & successoribus remaneret, sin autem, hoc simul eo feudo in Arnulphum atque hæredes perpetuo transiret. Hæc autem contigerunt Anno Domini 941.

Arnulphus igitur nuptiis cum Mechtilde celebratis ſumpta à ſocero diſcedendi venia in Dominium ſibi contraditum ſeſe una cum conjuge & ampla familia recipit, ubi & à ſubditis locorum in verum, legitimum, & naturalem Dominum præſtito fidelitatis Iuramento, acceptus eſt.

Dum porrò Ricuinus Anno 945. diem claudens extremum, ingentem pecuniarum vim ſuis reliquiſſet poſteris, Arnulphus Chiniaci Dominus uxorio jure æqualem exindè ſibi cum cæteris vendicavit portionem. Summa igitur pecuniæ prægrandi ditatus Arnulphus, tacitus apud ſe diſquirere cœpit, in quem uſum ſatius foret ejuſmodi theſaurum inſumere. Et ecce menti ejus occurrit quod pro Nobilium potentiorum more Caſtrum nullum, ſtatus ſui dignum amplitudine haberet. Advocatis igitur undequaque opificibus peritiſſimis, deſiderium eis ſuum tale eſſe aperit, quod inſigne Caſtrum in rupe excelſa excitare cogitaſſet, cuperetque proindè ſibi ab ipſis mediante ſtipendio hac in parte diligenter ſerviri. Innuentibus autem ejus petitioni operariis, ſtatim manus operi admoveri jubet, dum interim materialia ad tantam ſtructuram neceſſaria conveherentur. Ædificio hoc porrò ad perfectionem deducto ſuaſu Sigifridi Comitis Luxemburgenſis primi, Arnulphus ad Brunonem Archiepiſcopum Colonienſem Ducem

Lotharingiæ, Imperii Cancellarium & magni Otthonis Imperatoris fratrem profectus, ab eo enixe petiit Chiniacam suam provinciam in Comitatum erigi. Archiepiscopus tum Imperii procerum precibus, & suasione permotus, petitioni Arnulphi assentitus est, & nomine Cæsaris absentis eumChinensem Comitem primum instituit, & ordinavit, ea conditione, ut juxta Castrum prædictum Ecclesiam fundaret, dotaretque. His ita fœliciter gestis ad propria reversus Arnulphus à suis summa cum congratulatione exceptus est, & Comes Chinensis cum honore omnibus consalutatus. Nobiles deinde vicini, aliique de plebe viri ad eum confluentes domicilia sibi circa ejus Castrum figere licere expetierunt, quibus ille singulis singula loca assignãs, lubenter condescendit. Cum itaq; temporis successu per Castri viciniam adverteret novus iste Comes domos insignes ac frequentes assurrexisse, muris ac fossis locum cingi, portis firmari, ac denique turribus communiri curavit, ex quo quidem facto Chiniacum illud nobile processit, existentiamque accepit oppidum, & idem cum Castro tanquam primarium Cimitatus membrum nomen Chiniacum accepit. Arnulphus tandem postquam munere suo perquam egregiè cum subditorum, & vicinorum applausu perfunctus fuisset, & una cum uxore usque ad Dominicæ Incarnationis annum 992.

vitam mortalem protelasset, filios duos, & totidem filias, id est Ottonem, Godefridum, Ioannam & Clementiam superstites relinquens viam carnis universæ intravit, cui istorum primus Ottho succedens Margaretham Alberti Comitis Namurcensis filiam uxorem duxit. quæ & Ludovicum, Hugonem, atque Clementiam peperit. Otto demum annis aliquot summa cum laude Comitatum moderatus, mortis tributum exolvit anno 1013.

Ottoni Ludovicus filius successit, cui uxor Catharina Comitis Lossensis filia filium unicum paterni nominis, & Comitatus hæredem edidit Ludovicum.

Accidit autem anno 1028 Hermannum primum Vicecomitem Verdunen. absque liberis mori, cujus frater Fridericus Comitatum ipsum Episcopo Verdunensi, ejusque successoribus in eleemosynam contulerat. Virdunensis igitur Episcopus & Comes, postposito Gozelone Lotharingiæ Duce dictorum Hermanni & Frederici fratre, autoritate sibi ab Imperatore facta, Vicecomitatum Ludovico Chinensi Comiti commisit, at Gozelo proximitatis lege anteponi sese extero debuisse contendens, ira percitus agrum Chinensem populationibus, & vastationibus divexare incœpit, ac deindè coacto exercitu prævalido, Virdunum obsidione cinctum, armorum vi subegit, ibique Ludovicum Comitem Chinensem atrociter peremit.

Imperator horum certior effectus inter partes componere cupiens Gozelonem collatione Ducatus Mosellani pacatum reddidit,& contentum. Isto namque tempore Frederico Theodorici filio necnon Frederici primi Barri Comitum nepote absque mascula prole defuncto, Ducatus ejus Mosellani dispositio penes Imperatorem erat, qui eundem deindè post Gozelonis obitum Alberto Duci Longo-Castri contulit. Vndè Godefridus Gozelonis filius graviter indignatus, dictum Albertum cum armis invasit, & se defendentem occidit. Qua ex re Cæsar valdè infensus non permisit ut Godefridus bonis à se trucidati frueretur, sed ea Gerardo Castinensi Comiti Alberti fratri necnon Frederico Luxemburgensi Comiti distribuit.

Ludovicus junior necem patri illatam vindicare cogitans, militum collecto frequenti exercitu ad Virdunensem civitatem castra metatus, cum Gozelone obviam procedente atrocem pugnam iniit, in qua quam plurimi utrinque mortem oppetijssent, cessit tandem à Ludovici parte victoria, tum enim Gozelone fugam capessente ipse Chiniacum repetiit, illudque cum aliis municipiis præsidiario milite munivit, fuit autem huic conthoralis Sophia Frederici junioris prætacti filia, ex qua filium suscepit Arnulphum vocabulo.

Arnulphus iste Patri in Comitatus fa-

ſtigio ſubrogatus, & Monaſterii Aureæ vallis fundator, Ermegardam Lotharingiæ Ducis filiam matrimonii fœdere ſibi copulavit, è cujus geneali thalamo prodierunt liberi, Otto, Ludovicus, Haluide, Clementia, & Beatrix. Denique Ermegarda defuncta, aliud matrimonium idem Arnulphus cum Agnete Namurcenſis Comitis filia contraxit, quæ ei filium, & filiam peperit.

Otto paternos faſces adeptus Adelardam Folmari Comitis Metenſis filiam, ſuum induxit in thalamum, atque ex ea Albertum in Comitatu ſuum ſucceſſorem, necnon Fredericum Eccleſiæ Rhemenſis Præpoſitum procreavit. In fata autem conceſſit Comes Ottho anno ſalutis humanæ 1150. & in Divæ VValpurgis Eccleſia apud Chiniacum ſepultus eſt.

Albertus cum Agnete Lymburgenſis Comitis filia conjugii fœdus iniit, genuitque in ea ſuum in Comitatu ſucceſſorem Ludovicum, Theodoricum Dominum Eſtalles, Arnulphum Verdunenſem Antiſtitem, & Chriſtinam Domini Arnulphi de Hierges conjugem. Sepultus eſt Albertus in ſuo Aureæ vallis Monaſterio Anno Domini 1172.

Ludovicus extincto patre Chinenſem Comitatum obtinuit, & connubium cum Sophia Rayaldi Comitis Barrenſis contraxit; ex qua fluxerunt Ludovicus Comes, Anſelmus & Beatrix. Fuit autem Ludovicus

vicus horum pater devoto admodum in Christianam religionem affectu, undè & cum aliis quamplurimis Principibus cruce signari ad profectionem in militiam sanctam circa Domini annum 1198. voluit. Sed cum delicatioris esset complexionis, quam ut illius ruditatem aeris perferre posset, quartana febre correptus, post paucos deindè dies in Hungaria vitam præsentem finiit, atque apud Bulgradam tumulo est reconditus. Sophia ejus denique vidua luctu peracto secundas nuptias cum Anselmo de Gerland celebravit.

Ludovicus ætatis effectus legitimæ Mathildem Comitis Barrensis filiam in conjugium accepit, quæ ei unicam filiam Ioannam nomine peperit. Mater etenim Ludovici Comitis Sophia prætacta reliquum vitæ suæ Ivodii transegit, ubi & mortua est.

Nupsit autem Ioanna Comitatus Barrensis hæres, Arnolpho Comiti Lossensi, cui in lucem ædidit Ludovicum paterni & materni Comitatuum hæredem, qui ex uxore sua Ioanna & Blamont proles suscepit Margaretham, Theodoricum & Godefridum, cujus extat Monte Madiensibus datum privilegium sub hoc exordio. *Nos Godefridus de Lox Comes Chinensis notum facimus omnibus præsentes literas visuris, & legi audituris, quod nos ex certa nostra voluntate, & habito consilio fidelium nostrorum &c. Actum Anno 1350*

feria

feria sexta post festum Sanctorum Iacobi & Christophori. In fata porrò ambo isti fratres nulla prole relicta concessere.

Margaretha autem Ioanni Lotharingiæ Duci in conjugem est tradita, sed cũ infœcunda liberis ad mortem permansisset, postrema extitit Comitatus hujus è sanguine Chiniacorum Domina. In Monasterio Aureæ vallis magnifico tumulata habetur loculo, à dextero altaris latere cum ejusmodi Epitaphio.

Hic jacet præstantißima, & illustris Domina, Domina Margaretha suo tempore Comitissa de Loz & Chiny, Ludovici quondam Comitis de Chinii ejus nominis quinti, & Joanne Blamont Comitissæ unica filia: Quæ fuit postea Serenißimi & Illustrißimi Principis Ioannis Ducis Lotharingiæ uxor, & conjunx, qui Parisiis veneno vitam finiit, à suis præparato, cum Neapolim versus iter meditaretur ipsa die Cosmi & Damiani Anno 1382. Quæ quidem Margaretha ex vita decesßit absque liberis, ipso die Divi Remigii Anno 1372. & hic sepulta quiescit. Et quia sola vera hæres remanserat, duo supra dicti Comitatus fidelitatis causa divisi alter ab altero fuere. Primum de Loz scilicet usurpavit Adulphus à Marka, Leodiensis tunc temporis Antistes p st mortem Ludovici Comitis prædicti Margarethæ patris, qui obiit pridie Divi Sebastiani anno 1330 utpotè quem ejus Avus Arnulphus, posteritatis spe destitutus vel diffisus, Hugoni antea Antistiti, sponte in ara Divo Lam-

berto

berto Sacra obtulerat. Alter verò à morte prædictæ Margarethæ, recidit in potestatem VVenceslai Luxemburgensis, Brabantiæ, & Lymburgensis Ducis. Deus Optimus Maximus sit illi clemens & propitius. Amen.

Iam amice lector, si voles ulteriorem, atque in hæc tempora deductam habere Comitum Chinensium lineam, recurrendum tibi erit ad seriem, quam contexuimus Principum Luxemburgensium, ubi à VVenceslao Duce Luxemburgensi, incipiēdo progredi in eo ordine oportet ad hæc nostra tēpora. Nam cum in dicto VVenceslao Ducibus Luxemburgensibus accreverit Comitatus Chinensis, nec indè postea unquam fuerit separatus, eadem erit utriusque deinceps genealogia.

DE AVREÆ VALLIS ABBATIA.

MONASTERII Aureę vallis ordinis Cistertiensis originis, & progressus hoc loco brevem idcirco & succinctam prout instituto convenit meo proponendam existimavi descriptionē, Abbatumque qui ei ab initio præfuerunt seriem, quod in proximo de Comitatu Chinensi tractatu ejus aliquoties habita sit mentio, & ejusdem percelebris cænobii fundatorem Arnulphum inter cæteros Chinenses Comites recensuerimus, ac denique, quod illud ipsum Monasterium in Comitatu Chinensi sit constitutum, adeoque

adeoq́ue ejus quaſi membrum, aut verius ſurculus indè promanans quanquã modo jure affectus eccleſiaſtica exiſtat. Vndè & de eoquod dicendum occurrit, ſtatim ſubjungendum fuiſſe exiſtimavi.

Anno igitur humanæ ſalutis 1070. Imperante Henrico ejus nominis quarto Cæſare, monachi quidam profeſſione Benedictini inſtituti, à ſuo prælato accepta licentia, ex Calabria Euangelii prædicandi, & animas Chriſto lucrifaciendi gratia, in has regiones advenerunt. Cumq́ue huc illucq́ue Lotharingiæ partes, fineſq́ue peragrarent, in locum quendam peramœnum, nemoribus denſum, & fontium lympidorum ſcaturigine irriguum, ab hominum congreſſu ſat remotum, & per omnia ipſorum judicio ad exercitium philoſophiæ Chriſtianæ aptiſſimum, fortuitò, ſeu potius Deo providente inciderunt. Loci hujus commoditate illecti, ad ejus Dominum Comitem ſcilicet Chinenſem pergentes, ei ſupplicārunt inſtanter, quatenus vallem iſtam inter ſylvas deliteſcentem Dei cultui conſecrari, ab ipſiſq́ue inhabitari ex charitate permitteret. Comes iſtiuſmodi precibus, ut vir erat deditus admodum pietati, valdè delectatus, lubenter & hilariter poſtulantium annuit deſiderio, atque ſtatim tantæ amplitudinis locum eis ceſſit, quantæ videlicet videbatur propoſito eorum oportunum; permittens inſuper, ut arbores, & alia quæ

in vi-

in vicino reperiebantur ædificationi commoda, in eum quem demonstraverant locum cederent, & acciperent. Ea potiti Comitis liberali donatione Monachi summa cum diligentia manibus propriis ligna, & alia materialia comportare, adaptare, atque ex eis parvam Ecclesiam in Divæ Virginis Mariæ audem construere, necnon juxta eandem, casulas ad habitandum humili scemate ædificare cœperunt, ac denique evulsis, ejectisque vepribus, dumis, spinis, & aliis inutilibus plantis earũ vice olera, legumina, & quæ de cætero ad sobrium victum inservirent. Vnde partim sustentati, quod præterea necessarium eis erat ad vitam frugaliter traducendam, ex piorum hominum eleemosynis percipiebant. Interim verò dum conversationis eorum insignis sanctimonia apud illarum partium homines magis magisque innotesceret, magnus populorum concursus eò loci devotionis causa frequenter fiebat, cùm ut religiosa horum in omni austeritate, & carnis mortificatione vitæ inspectione ædificarentur, tum ut votis cum eorum devotissimo officio conjunctis Deum sibi propitium, & suis parcentem delictis redderent.

Vivebat id temporis Godefridus cognomentò Gibbosus Lotharingiæ Dux belli gloria insignis, & opum affluentia ditissimus Princeps. Hic cum Balduino consanguineo suo Flandriæ Comiti adversus

versus Frisiæ Dominum Rcbertum continuis bellis occupato opem ferret, in atroci quodam certamine à Capitaneo transfossus, mortem obiit juvencula uxore Mechthilde Barri Comitis filia, necnon parvulo filio relictis superstitibus. Triste istud nuntium, ut audivit Mechtildis Ducissa, assumpto secum unico suo filio ad Godefridum Bullonii Ducem affinem suum consilii captandi gratia perrexit, qui eam prudentibus, & consolatione plenis relevare nitens sermonibus, modum etiam & ordinem administrandi Ducatus amplissimi Lotharingiæ ei suggessit; ac deinde eam ne prætactum filium viro Ecclesiastico sacrarũ literarum peritissimo Ecclesiæ Metensis Decano, posteaque Virdunensi Episcopo instituendũ traderet, quod illa cogitârat dehortatus est; affirmans tanti principatus hæredem potius cum Christiana pietate militari arte, & rerum gerendarum prudentia so re ante omnia imbuendum.

Hiems tum subsequebatur acerrima, tantoque frigore rigescens, ut etiam fluvii nunquam antea ejusmodi vim passi congelarentur, & in tantam duritiem concrescerent, ut equis cum assessoribus terga præberent intacta. Inter hos amnis quidam Lotharingiam Chiniacumque præterfluens *Sumois* nomine præ frigoris actimonia quasi ad lapidis instar induratus, gravia quæque onera dorso perferebat suo. Unde vicini rei novitate,

nec unquam eis prius visæ, attracti, eò catervatim confluere cœperunt, & ea occasione in multitudinem excrescentes frequentiorem, nundinas, & varia spectacula celebrarunt. Dumque his exercitiis sese oblectarent adfuit & prælibatus Ducis defuncti filius, ac hæres octo annos natus. Is sese cum suæ ætatis conviventibus, seu potius (negligentibus ejus curam famulis) aliis pueris commiscens, & per glaciem insimul saltitans, infausto casu, fracto subtus calcãtis vestigia gelu ipse imum petiit, & scindentis glaciei acumine, caput à reliquo corpore dissectum in superiori superficie remansit, sicque iste unus inter alios infinitos colludentes infortunium extremum incurrit, quod studio malignorum accidisse (ut loco pueri istius è vivis sublati hæreditatem ejus obtinerent) plerique existimarunt. Ducissa Mechtildis filio suo se tam inopinato, & infœlici casu orbatam audiens, mœrore inexplicabili correpta, ne quicquam itidem sibi pravorum molitione contingeret sinistri, in Italiam est profecta, ubi luctum super morte filii, (qui anno 1079. id est biennio post ejus patris interitum accidit) habuit continuum. Dolebat verò ipsa graviter, quod acquiescens consilio Ducis Bullonii affinis sui, à proposito recessisset filium apud virum Ecclesiasticum institutionis gratia, ut præfertur, collocandi. Sed cum ejusmodi pœnitudo nul-
lius

lius foret utilitatis aut efficaciç, paulatim luctum remisit, cujus tamen semper aliquæ reliquiæ in ejus corde inhærebant. Solebat autem referre, quod circiter biennium priusquam funestus iste casus circa filium accidisset, aliquid non dissimile in somniis semel vidisset, quod quidem ex eventu hoc tristi postea existimavit ejus fuisse omen infaustum. Corpus porrò filii è profundo aquarum extractum capiti adunatum juxta antecessorum corpora sepeliri curavit. Hæc ipsa Mechtildis vidua vice quadem animi oblectandi gratia suis constipata nobilibus, & aulicis Arnulphum Comitem Chinensem visitavit. Interea cum inter confabulantium sermones filii submersi incidisset mentio, materno affectu permota in lachrymas resoluta est satis effusè. Tum Comes quibus poterat consolatoriis verbis ejus dolorem satagebat delinire, affirmans non adeò dolendum ob puerum ex hac ærumnarum valle ereptum, & ad beatitudinē supernam translatum, priusquam malitia ejus mutasset intellectum, aut fictio decipisset animam illius. Vt verò eam à mœrore magis redderet exemptam, invitavit eam ad visitandum locum ubi Religiosi, quemadmodum narravimus noctu atque interdiu divinis insistebant obsequiis, vitam in terris ducentes angelicam, & ab omnī mundano luxu alienam. Annuit illa Comitis hortatui, atque eo ductum præ-

bente ad locum ſacris deſtinatum officiis acceſſit. Cumque omnia circumquaque curiosè perluſtraſſet, & Oratorii conſtitutionem, habitationum quoque Monachorum humilem ſtructuram, ac denique eorum vivendi auſteritatem, & in divinis obſequiis indefeſſam conſtantiam animo & oculis attendiſſet, intrinſecus multum percipiebat delectationis, & conſolationis ſpiritualis; laudans Deum, qui tales ſibi in famulos delegiſſet. Interrogabat autem loci Priorem, qui fieri poſſet, ut ipſi humana carne ut cæteri hominum circundati, tanto cum rigore frigoris & æſtus, cibi & potus parſimonia, laborumque importunitate ſubſiſterent. At ille. Nihil jucundius, inquit, aut etiam facilius in hac vita reperiri poteſt, quam cum vera pietate Domino Deo famulatum exhibere continuum. Is enim miris ſuos miniſtros afficit conſolationibus, ut vix laborum moleſtiam ullam ſentiant; exiguum verò eſſe ajebat, quod illi præſtabant reſpectu patrum illorum nominatiſſimorum Anthonii, Hilarionis, Pachomii, & aliorum, qui ſolo corpore in mundo conſtituti, cogitationibus avidiſſimè patriam videbantur cœleſtem jam incolere, corporis curam penè totam negligentes, & membra mortificantes, quæ erant ſuper terram. Duciſſa denique conſiderans fontium eo in loco abundantiam ajebat, humiditatem nimiam fore ipſorum incolumitati nocivam;

vam; At cum Prior respondisset tantum abesse, ut fontes illis quicquam allaturi essent incommodi, ut potius causa forent cur locum eis irriguum praelegissent quibuslibet aliis, tanquam instituto eorum aptiorem, desiit illa super hoc instando ulterius opinioni suae insistere. Interim dum suis intenderent confabulationibus Ducissa Mechtildis ad fontem residens manus lavans saepius identidem confricabat, donec inadvertenter illi annulus quem à defuncto marito acceptũ in ejus memoriam gestabat, excideret, & sub aquis ejusdem fontis submergeretur, summam tunc omnes adhibuerunt diligentiam, ut è profundo annulum educerent, cumque in hoc diu frustra laborarent, pertranseuntes interrogabant, quid in aqua tam sollicitè quaererent: quibus respondebant, se aurum quaerere. Ducissa novo exindè moerore correpta, ad Divae virginis Deiparae implorandam opem se convertit, atque ejusmodi ad eam preces ex cordis profundo effudit. O virgo virginum Christi servatoris dignissima mater, obtestor tuam bonitatem, quatenus non patiaris me meo frustrari desiderio, sed annulum hac in aqua submersum tuis meritis, mihi obtineam restitui. locus autem iste si ita placet sub tuo patrocinio, filii tui Domini nostri perpetuis mancipetur obsequiis. Vix verba orationis finierat, & ecce inter bullientes arenulas apparuit simul super-

natans aquis annulus, quem arreptum circumstantibus ostendit dicẽs. En aurũ quod quærebam, verè fœlix hæc vallis quæ ejusmodi producit aurum; & quidem ob hoc deinceps erit illi nomen Aurea vallis, quod etiam in hodiernũ diem perdurans, verum extitisse Ducissæ præsagium comprobat. Hinc etiam monumentum insigne ad fontem istum ex lapide quadrato, juxta fores Ecclesiæ Monasterii Aureæ vallis ostenditur extructum, talem præferens superscriptionem *La fontaine d'Orual.*

Recepto itaque annulo Mechtildis læta ad Monachorum oratorium festinavit, gratias Christo condignas & ejus Divæ Matri peractura, efficit deinde apud Arnulphum Comitem, ut locus ille cum appendicibus, & limitibus certis in perpetuam possessionẽ à novo Monachis irrevocabiliter traderetur, quod accidit Anno reparatæ salutis 1080 prout lucidus ex Archivis & registris Monasterii Aureæ vallis colliquescere potest.

Ivit insuper ipsa Ducissa in Monachos Aureæ vallis munifica, nam priusquam inde recederet, ingentem eis pecuniæ summam donavit, qua Ecclesiam insignem ædificarent, necnon undè de cætero sustentarentur, subsidium non exiguum haberent. Commendans denique sese famulorum Dei devotis orationibus. Inde Verdunum profecta loci Antistiti Sanctimonialium Invigincnse obtulit Mona-

Monasterium ac porrò cunctis quæ ad ejus spectabant curam, ritè dispositis, amicisque valere jussis, in Italiam rursum abiit.

Monachi pecuniam à Mechtilde in Elemosynam accepta, eos in usus impenderunt, in quos ipsa eã destinaverat, Ecclesiã nimirũ à fundamentis longè priori illa sua præstantiorem excitantes. Cui quidem operi cum studiosius intenderent, literas præter spem à suo Abbate acceperunt, quibus citra moram aut tergiversationẽ ullam, ut ad se reverterentur, imperabat. Illi ut veri erant obedientiæ filii Prælati mandatum tanquam desuper emissum humiliter suscipientes, quanquam maluissent opus incœptum ad perfectum deducere, iter statim Calabriam versus dimissis omnibus arripiũt, ex quo accidit ut templi ædificatio minimè consummaretur, undè vicinis Christianis ac præsertim Comiti Arnulpho doloris non parum accidit, qui paulo post, scilicet Anno Verbi incarnati 1110 viam carnis ingressus Metis in Divi Arnoldi Ecclesia sepulturæ est traditus. Ejus filius, ac successor Ottho nomine, dolens opus ad Dei laudem tam eleganter inchoatum non modo non accipere incrementum, sed potius deficere, & ad ruinam vergere, duos convenit sæculares sacerdotes, quibus loci curam cum omnibus eò pectantibus obtulit, at illi minimè ejus

voluntati satisfacere consenserunt, nisi securi, & certi fierent, quod ejusmodi donatio robur perpetuum haberet. Hinc eorum petitioni condescendens Ottho Comes, Treverim cum eis profectus, ad Archiepiscopum loci ordinarium, ab eo præsentibus Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicis collationem Aureæ vallis, & omnium dependentium in dictos sacerdotes factam ratificari, & ab omni jurisdictione laicali liberam pronunciari obtinuit. Quæ dũ solemni ritu peracta fuissẽt, læti & contenti ad propria remearunt.

Ex hoc igitur tempore Aurea vallis Præpositure titulum accepit: cujus primarius regens Præpositus dictus vir sanctitate, & scientia præclarus officiũ suum strenuè obibat, quocirca quamplurimi piæ ejus & cum eo degentium conversationis odore attracti, affatim eò confluebant: alii quidem ut verbo ædificationis refecti, & precibus eorum commendati gratiam à Deo impetrarent: alii verò ut Deo perpetuis temporibus famulaturi, sese eorum contubernio adjungerent, ita fiebat ut intra breve temporis spacium numerus inibi ministrorum Dei non modicum adaugeretur. Interim templi constructio prius intermissa, urgente, & præbente Comite Ottone unà cum aliis devotis media, magna animi cum alacritate est resumpta, tandemque ad fælicem deducta exitum. Tum denique rogatu dicti Ottonis Comitis, Henricus Virdunensium

nensium Antistes in honorem Divæ Virginis matris, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eandem Ecclesiam, præsente ipso Ottone, Adelaida uxore, D. Frederico Ecclesiæ Remensis Præposito, & Comitis filio Albero ejus in Comitatu successore aliisque nobilibus solemniter consecravit. Tandem anno Domini 1150 defunctus Ottho in Ecclesia sanctæ VValpurgis Chiniaci tumulo conditus est.

Post Otthonis obitum Canonici Aureæ vallis remissius in divino obsequio, & laxius in vitæ moribus agere cœperunt, adeo ut desideria carnis consectantes non jam esse Canonici, sed planè seculares, & mundi illecebris servientes comprobarentur, & qui prius omnibus ædificationis spiritualis, & animæ salutis erant occasio, nunc quamplurimis & in primis sibi fiebant extremi causa exitii.

Albero tum temporis Virdunensis Episcopus ex domo Chiniaca oriundus, isthæc intelligens, valde animo tristabatur rationes tacitus exquirens, quomodo in hunc locum pristinum reduci posset pietatis exercitium. Dum hæc igitur admodum sollicitus mente agitaret, audivit Divum Bernardum Clarevallen. Abbatem illius ævi in Christi Ecclesia lumen splendidissimum Remis esse constitutum. Ad hunc ipse Episcopus quosdam è suis Canonicis destinans, rogavit enixè,

quatenus locum Auream vallem dictum à pravis Canonicis sæcularibus occupatum illis ejectis, vellet aliquibus probatis & piis sui ordinis Religiosis committere recolendum. Divus itaque Bernardus preces istiusmodi justas fore arbitratus Constantinum Religiosum utique vitæ sanctitate, & eruditione conspicuū, ut loci eidem tanquam Abbas præesset una cum Monachis aliis septem numero, à quibus insimul Divinum opus persolveretur, distinavit. Qui jussis sancti viri obtemperantes locum adierunt assignatum, atque inibi in sanctitate & justitia, sub Divi Benedicti regula in ordine Cistertiensi tum recens exorto Domino Deo indefessi militare studuerunt; atq; sic augusto illi & celeberrimo Aureæ vallis Monasterio, quod hodieque habetur insigne, initium & origo obtigit, tempore Innocentii secundi Pontificis maximi Anno 1131. Constantino primo Aureæ vallis Abbati à Divo Bernardo instituto successit Theodoricus de Vitry, vir strenuus & amator disciplinæ regularis, cui statim à regiminis sui exordio curæ fuit bibliothecam optimis libris instructam erigere, & in eam undequaque codices diversarum linguarum comportare. Obiit Anno Dominicæ Incarnationis 1152.

In ejus locum, fratrum electione, sufficitur Theodoricus Verdunensis, qui non minus religione quam doctrina Ec-

clesiam

clesiam sibi commissam gubernavit, & tandem Anno Domini 1167 naturæ debitum exsolvit 10. Februarii.

Successit deindè Adamus de Longuiono qui dum suis usque ad annum Christi nati 1177 præfuisset, in fata concessit.

Adamo vita defuncto surrogatus est Stephanus Luxemburgensis, vir moribus & scientia eo honore dignus, in gubernanda Domini familia singulariter idoneus, qui vitam morte commutavit Anno 1188.

Remigius de Longuiono defuncti locum subiens annos quinque cum laude munere suo respondit, è vivis excessit septimo Calend. Octobris. 1193.

Gerardus à Rupeforti statim substitutus, continuos novem annos monasterium idem administravit, mortuusque est Anno 1204.

Ioannes Destalles ejus successor, exacto à suscepto regimine biennio tantum, viam carnis est ingressus Anno scilicet 1206.

VValterus de Vertano deindè in Abbatiali officio succedens, illud administravit, in annum usque 1219. tum enim pridie Calendas Aprilis Deo animam reddidit.

Isti defuncto fratrum suffragiis sufficitur Petrus Leodiensis, qui anno 1214. quarto Nonas Augusti mortis tributum pependit.

Euidem tunc locum obtinuit Henricus

cus de Sathanaco vir multis virtutibus; & sufficienti scientia ornatus qui talentum sibi creditum cum lucro reportavit, migrans ad Dominum anno 1228.

Ioannes de Neufchasteau præcedentis immediate defuncti dignitate, fratrum votis decoratur, atque in eis sic sese habuit, ob singulares animi dotes, & impensa in rempublicam officia ut pater patriæ diceretur. Obiit 1237. 10 Martii.

Successit Ioannes de Feritate (vulgo l'Afferte) vir gravis & prudens, & in gerendis negotiis providus, hunc mors abripuit anno 1245 Idibus Martiis.

Tum denique successit Henricus Bullonienſis ædificiorum, & rerum Monasterii sui egregius instaurator, & insignis pater familias, qui diem clausit extremum ipsis Calendis Februarii 1259.

Ioannes Namurcensis concordi fratrum electione in prædefuncti cathedra constituitur, qui dum spartam sibi creditam satis egregiè exornasset, & Monasterio suo valde utiliter præfuisset, fatis concessit anno 1163.

Guidoni Chiniacensi tum jure legitimo baculus pastoralis ejusdem functionis est traditus, quo scilicet ovile Dominicum magna cum laude pascens, talentum suum justo fœnore auctum Domino consignavit, vitam cum morte commutans anno Domini 1267. 3. Octobris.

Nicolaus de Lupi-fonte canonicè itidem eodem vocatus, vir gravis & sapiens admi-

administrator obiit 5. Octobris anno 1299.

Nicolaus deinde Treverensis non minus prudentiæ quam sapientiæ laude dignus onus Abbatiale sibi impositum usq; ad annum 1311. egregiè sustinuit.

Isti porrò vita functo in ea functione substitutus est Ioannes Huyensis, quo mortem obeunte anno 1317,

Iacobus de Mosono in ejus locum fratrum votis deposcitur, vir certe admodum liberalis, & in Christi pauperes beneficentissimus, vixitque ad annum Domini 1325.

Robertus de Preney excellentis ingenii,& magnæ pietatis vir subrogatus,munus Abbatiale strenue obtinuit, & anno 1342. naturæ debito satisfecit 12. Calend. Martii.

Theodoricus Dansart Roberto succedens doctus & ad familiæ dominicæ regimen idoneus pastor,post multos in officio exantlatos labores anno 1376. animam creatori reddidit.Huic in regimine successit

Ioannes Metensis vir ob vitæ sinceritatem, & singulares quibus ornabatur virtutes plurimum commendatus, obiit. anno 1387.Ioanne è vivis sublato, concorditer à fratribus in Abbatem eligitur Iacobus de Barensio, & ipse prudens admodum magnæque eruditionis vir, qui dum annis duodecim Abbatiale officium administrasset mortem obiit sexto idus Ianua-

Januarias Anno 1399.

Nicolaus dehinc Arlunensis vir strenuus, & in monasterii sui Iuribus tuẽdis valdè solers, frugaliter præfuit usque ad Annum Domini 1423. quo diem clausit extremum.

Huic Ioannes de Provii suffectus consummatusque in brevi complevit tempora multa, mortem obiens Anno Verbi Incarnati 1429.

Ioannes de Philomena tam doctrina quam Religione venerabilis prædefuncti curam accepit, cui postquam ad annos incubuisset aliquot, consenescens hac mortalitate fuit exutus Anno 1442.

Nicolaus de Baionsuilla in ejus locum subrogatus scientia scripturarum & prudentia in agendis sic clarus effulsit, ut ordinis Monasterii propugnator fieret eximius, migravit à seculo Anno 1476.

Godefridus de Aremberg vir nobilis & doctus dicto Nicolao substituitur, qui prædecessorum vestigiis insistens monasterio sibi concredito magna cum laude præfuit. Hic mitræ usum, quo priores caruerant a Summo Pontifice obtinuit, qua ejus deinceps successores dum solemnius sacris operantur, solent insigniri. Obiit Anno 1488.

Nicolaus de Villari Abbatis dignitate inauguratur mortuo Godefrido, cui quo ad virtutis & sapientiæ commendationem nequaquam cessisse dicitur, & ex hac migrasse vita Anno 1504.

Iſti è vivis ſublato ſuccedit deinde Balduinus de Proſſeux vir doctus, & valdè notabilis, qui tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus pater familias ſagaciſſimus eſt habitus, mortemque obiit Anno 1530.

Suggeritur in ejus locum Godefridus de Preſſeux vir religione pariter & doctrina, ſimulquè rerum gerendarum dexteritate pollens, qui poſtquam ſuis præluxiſſet verbo & exemplo, fatis conceſſit ipſis Calendis Novembris 1540.

Concordi indè fratrum electione Abbas deſignatur Matthias à Malmundario in ſacris literis eruditus, & ſæcularis doctrinæ non ignarus, hiſtoriarum etiam lectioni ſingulariter deditus; qui Comitum Chinenſium numerum, ordinem, & vitas brevi & luculento ſermone literis commendans nomen ſuum poſteritati conſecravit. Extat autem hic Tractatulus apud Auream vallem manu ſcriptus. mortuus eſt Matthias Abbas Anno 1555.

Suffectus defuncto Matthiæ eſt, vir vita præſtabilis Lambertus de VVaigne nomine, qui è vivis exceſſit Anno 1562.

Dominicus à Sathanaco in demortui locum ſuccedens cum vitæ moribus, tum ſapientiæ doctrina ſibi commiſſum gregem ædificare ſtuduit, & in tantum ſanctæ converſationis, fidei, pietatis & innocentiæ decorus habebatur habilibus, ut quidam alterum D. Bernardum eum aſſererent, obiit Anno 1570.

Cum

Cum id temporis hæretici vesania incredibili in Ecclesiam grassarentur, ut in aliis Europæ partibus, æque in Belgio templa, altaria, imagines, monasteria, demolirentur, sacra profanarent, Dei viventis & sempiterni nomen sanctum & terribile, adhæc Divos omnes, & Ecclesiam blasphemis vocibus proscinderent, magnus Hispaniarum Rex Catholicus, Philippus secundus, ejusmodi malis occurrere cupiens, inito cū suis consilio, opportunum censuit, ut per Belgii tractum varii de novo instituerentur Episcopatus, quatenus his præfigendi, doctrina, vigilantia, pietate insignes viri, sic gregi suo præesse contenderent, ut malum istud ne longius latiusque serperet, in hominum animis reprimeretur. Cum verò necessum foret hujusmodi novorum Episcopatuum præsulibus dotem undè decenter sustentarentur assignare, visum fuit (ubi alia non succurrebant media,) quibusdam eorum Monasteria sub certis conditionibus eum in finem unire, quod & in pluribus Rege Catholico instante, & Summo Pontifice instituente factum novimus. Erat autem etiam propositum Luxemburgi, uti in aliis locis proprium, qui toti ei provinciæ in spiritualibus præemineret Episcopum ordinare, quæ scilicet causa fuit, & occasio, cur Monasterium Aureæ vallis per integrum septennium Abbate orbatum permaneret, Monachis nimirum prohibitis ad

tis ad electionem novi Prælati procedere, ne fortassis eo ordinato, Episcopus Luxemburgi instituendus, difficultatem pateretur dotem indè percipiendi. Veruntamen quamvis ad tredecim Episcopatus in diversis Belgii partibus tum eximerentur, in tantum tamen valuit Archiepiscopi Terverensis, Leodiensisque Antistitis & aliorum qui exindè sibi præjudicium inferri prætendebant obsistentia, ut Episcopatus Luxemburgi noviter haud quaquam institueretur, sed omnia inibi in suo antiquo statu persisterent. His igitur ita tum constitutis Aureæ valli in Abbatem à Rege Catholico tanquã Luxemburgensi Duce denominatus est Lambertus à Villario, vir simplex & pius, qui cum aliquamdiu Monasterium suum per se quam optimè rexisset, nec ob ætatis gravedinem eo in munere prosequendo satis se sentiret idoneum, Coadjutorem sibi dari petiit, qui onera istius prælaturæ tam in temporalibus, quam spiritualibus aptius sustineret; suæ postulationis tandem optatum impetravit effectũ; dato nimirum sibi in coadjutorem autoritate Regia, Lamberto ab Hansymburg, ejusdem Monasterii pridem à multis retrò annis Priore. Abbas verò ipse senio confectus, non longo post tempore, id est, anno 1589. viam carnis universæ est ingressus.

Ejus dignitatis apicem deindè consecutus Lambertus ab Hansymburg coad-

jutor prælibatus, patria Leodienſis, Monaſterium cum Abbatis titulo laudabiliter adminiſtravit, obiitque Anno Domini 1596.

Huic fratrum ſuffragiis electus, & à Regia Majeſtate denominatus ſucceſſit ejuſdem Monaſterii Religioſus Remaculus Servais à ſancto Huberto, qui Eccleſiam diligenti cura etiamnum gubernat.

Iſta igitur de Comitatus Chinenſis, necnon Abbatiæ Aureæ vallis in eo conſtitutæ, ſimulque Comitibus & Abbatibus qui iiſdem reſpectivè præfuerunt, exordio, progreſſu, & fine habuiſſe, ſufficiat.

DE MARVILLÆ ET ARANCEII DOMINIIS.

ETSI nulla diſquiſitionis habitæ ſedulitate expiſcari potuerim Dominiorum Marvillæ & Aranceii originem, quiſve eorum primus extiterit Dominus, illud tamen certo certius intelligere licuit, eadem ante annos ab hinc quingentos à Dominis de Montioye fuiſſe poſſeſſa, Anno ſiquidem Dominicæ Incarnationis Centeſimo ſupra Milleſimum Ludovicus Comes in Montioye titulo & re dictorum Dominiorum gaudebat. Hic maritali vinculo quandam mihi ignotæ familiæ nobiliſſimam copulavit adoleſcentu-

centulam Iſabellam vocabulo, ex qua prodierunt nati Ludovicus & Ioannes filii, & filia Elyzabetha. Quibus in lucem æditis, Vrbano ſecundo Pontifice Maximo pro concilio Claromontano exhortante, una cum Godefrido Bullonio Duce Lotharingiæ quæ hæreditate ei proximè, ex Imperatoris ſententia obvenerant, aliiſque Principibus eandem expeditionem ſuſcipientibus ipſe Ludovicus Comes bello ſacro contra Saracenos ineundo cooptatus, cum eis pariter in Syriam profectus eſt, ubi dum antè Nicæam noſtri aliquamdiu caſtra metati, nonnihil indè receſſiſſent, audientes Solymannum Turcorum Imperatorem in proximo, ſuum conſtitutum habere exercitum, in eum magno impetu Chriſtiani (ejulantibus more ſolito Barbaris) irruerunt. Dumquè pugna daretur utrinque atrociſſima, Deo ſuis opem ferente, à Chriſtianorum parte ceſſit victoria, fuſis nimirum & fractis Turcorum viribus, quorum ad quadraginta millia ea in acie feruntur cecidiſſe, cum tamen perpauci iſtorum comparatione noſtris occubuerint, in quibus & Ludovicus Comes de Montioye fortis Chriſti athleta cum hoſte congreſſus, interiit.

Iſabella marito hac ratione privata, curam in primis habuit, ut ſtatim à viri profectione ambos ſuos filios mores, & literas competentes diſcendi gratia ad Pariſienſem dirigeret Academiam. Vbi

dùm sedulam studiis navarent operam, nuntio accepto de patris Comitis interitu, Ioannes ex rei adeò insperatæ, & gravis apprehensione, in febrim acutam incidens, cum ea diutius torqueretur, medicorum tandem ope relevatus, eorundem nihilominus consilio, ut paternum solum repeteret, aeris sibi connaturalis hauriendi causa acquiescens, ad firmandam voluntatem, iter Marvillam versùs domicilii videlicet parentum suorum, suæque nativitatis locum ingressus est. Dum vero sub profectione eadem in Rebarcensi insigne Monasterium ordinis Sancti Benedicti, Divum Petrum Archiapostolum ejus patronum salutaturus introisset, à Raynaldo Abbate Religioso admodum viro, perquam humanissimè susceptus, & liberaliter habitus est: & cum eundem ex præclara illa familia ortum ducere intelligeret, majore cum eo usus est familiaritate, eum apud se detinens donec melius, quoad corpus, constitutionē haberet. Adolescens interea hominis benevolentiam admiratus, & etiam subindè in religiosorum ejus loci consortium admissus, cùm modus ille vivendi multum ei probaretur, animum & ipse eo adjecit, ut summo desiderio ad eundem statum monasticum anhelaret. Vndè instanter valdè tum Abbatem ipsum, tum fratres conventuales precibus pulsare cæpit, quatenus ipsum in suam confraternitatem admittere vellent. Abbas

ut vir

ut vir erat longo rerum Monaſticarum uſu expertiſſimus, & prudens, adoleſcentis non ſtatim acquieſcendum petitionibus ratus, ſed ad majorem ſpiritus, & animi explorationem capeſſurus, eum tantiſper à votorum ſuorum conſecutione ſuſpendit, donec datis ad matrem ejus literis, quid ad hoc ea reſponderet intelligeret. Comitiſſa Iſabella filii ſui Ioannis iſtiuſmodi fervore animi intellecto, præ gaudio in lachrymas reſoluta, Deum ex præcordiorum affectu oravit, ut qui in ſui uteri fructu tam ſanctum opus incepiſſet, dignaretur ſua divina clementia ad perfectum deducere, exiſtimans nimirum nihil; ſibi fœlicius circa filios contingere poſſe, quam ſi toti obſequio Divino mancipati, noctes atque dies ei miniſtrare ſatagerent, cui ſervire regnare eſt. Reſcripſit igitur mulier devota, ſibi perplacere, ut filius ſuus, qua erat divinitus gratia præventus, eidem omnino reſponderet, & religionem monaſticam in Rebacenſi Cænobio profiteretur, ubi inter pietatis officia patris & matris ad Deum in precibus haberet memoriam.

Ioannes Matris tam gratum adeptus conſenſum, ſtatim habitu Novitiatus ab Abbate ſibi tradito, conſuetum probationis annum incepit, ubi in humilitatis, patientiæ, charitatis, obedientiæ aliarumque Chriſtianarum virtutum exercitio in dies proficiens, omnibus magis ac magis charior reddebatur. Iſabella interea mater

ejus grati in Deum animi significationem præbere cupiens in Marvilla Capellam à fundamentis in honorem Divi Petri, cujus titulo (uti præfatus sum) insignitur Monasterium Rebacense, extrui fecit, eique ex propriis reditus satis amplos cõsignavit: Atque hæc Divi Petri Ecclesia est quæ modo primaria in Marvillæ oppido censetur. Addidit insuper ipsa Comitissa alium, in proximo Sacellum sub Divi Nicolai patrocinio, quod meminisset maritum suum, dum viveret, huic Divo admodum deditum, imo & ejus corpus religionis ergò visitare pollicitatum fuisse. Hanc autem Ecclesiam sufficiente dote ditatam, & ejus patronatus Ius cum omnimoda jurisdictione prædictis Abbati & Monasterio Sancti Petri Rebacensis in perpetuum contulit.

Imminente porrò solemniter profitendi tempore Ioannes Abbatis permissu Marviliam profectus, ubi matrem salutavit, & ab ea petiit hæreditatis partem quæ sibi contingebat, ut de ea, dum adhuc propriæ voluntatis erat compos, disponeret. Accepta igitur in suam potestatem hæreditate sua Ioannes, eandem solenni donatione in eleemosynam Prioratui Divi Nicolai in Marvilla sita, donavit, cujus scilicet Prioratus dispositionem, & per aliquem è fratribus administrationẽ haberent Abbas & Conventus Rabacensis, quod totum Honorius secundus bulla sua Pontificia confirmavit.

Ioan-

Ioannes suis ita dispositis ad Monasterium reversus, anno probationis evoluto, vota Religionis secundum Divi Benedicti canonem, solemni ritu Domino Deo nuncupavit, & deinceps tanta extitit conversationis probitate, ut post aliquot annorum curriculum, defuncto loci Abbate, in ejus locum concordi fratrum electione expeteretur: ad quod quidem munus vocatus summa cum laude Monasterium suum tam in spiritualibus, quam temporalibus administravit, & tandem bonis auctus operibus hanc mortalitatem, cum immortalitate commutavit.

Ludovicus alter Ludovici & Isabellæ filius, frater Germani in Monasterium ingressu Comes de Montioye, & Dominus in Marvilla & Arencejo effectus, uxore ducta nullam ex ea prolem suscitavit. Vndè soror ejus Elyzabetha dictas possessiones hæreditario jure sibi obtingentes, in VValramum Montisfalconis Comitem maritum suum transtulit, cui & peperit filium VValramum patris in iisdem bonis successorem.

Tandem decursis multorum annorum spatiis accidit, ut Dominus de Marvilla & Arencejo cum omnibus appendicibus suis in Principum Luxemburgensium proprietatem devenirent hoc modo. VValramus Ducis Luxemburgensis filius Ermesindam ejus nominis secundam Luxemburgensem Comitissam uxorem

accepit, ei Marchionatum Arlunensem dotis nomine deferens. Ex horum autem geniali thalamo perfluxerunt liberi, Henricus, Catharina, Margaretha, & Elyzabetha, cui postremæ maritus effectus VValramus Comes Montisfalconis, Dominusque in Marvillo, & Arencejo, easdem possessiones tanquam conjugi una secum appropriavit in dotem.

VValramus iste dum vice quadam inopia laboraret, pecuniæ summam ab Henrico Comite Luxemburgensi, cujus ipse sororius erat, mutuo accepit, ac deindè idem semel iterumque repetiit, donec mutuum cum Dominiis Marvillæ & Arenceii penè æquaretur; tum verò inter partes inito contractu Henricus à sororio suo VValramo vendita ejusmodi Dominia superaddito ad mutuatam summam quod deerat suis possessionibus adjunxit, ipsi VValramo affini oppidum Sancti Viti cum Nudorff in feudum consignans.

Tempore post insequenti gravis exorta est inter Henricum Luxemburgensem Comitem præmemoratum, & Theobaldum Barri Comitem sororium suum, utpotè Margarethæ sororis maritum, quæstio, super Namurcensi Comitatu, cujus nuper (id est anno 1238) Comes Philippus absque hærede ex hac vita decesserat. Hujus sese successioni obtrudere singuli volebant, tam dicti duo affines Comites, quam quidam Flandrorum

Comitis consanguinei. Cum verò ejusmodi controversiæ terminandæ amicitiæ & pacis tractatus non sufficerent, ad armorum subsidium confugerunt, & ipse, Theobaldus Barrensis bello Henrico Luxemburgensi denunciato, oppidum in primis Lyneum in Barrensi Comitatu situm, quod hic ab illo in feudum tenebat armata manu invasit, ac denique tanta vi oppressit, ut in suam illud redigeret potestatem. Henricum Comitem Luxemburgensem sese defendere molientem in Castrum suum Barrense præterea abducens captivum.

Collitigantium istorum consanguinei quidam noti & affines dissidium istud consopire cupientes, eosdem ad pacem inter se componendam serio hortati sunt, quibus, & siquidem ægrè Barrensis acquiesceret, ideò quod adversarium in potestate habens facile potiores obtinere poterát; considerans tamen quam indignum foret inter Principes, affines, vicinos, eosdemque Christianos odium & inimicitias foveri, suadentium importunitate victus consensit, ut de pacis conditionibus ageretur. Sic autem fuit conventum, ut Henrici Luxemburgensis Comitis filia Guidoni Flandriæ Comitissæ filio nuptui traderetur, quibus conjugatis Namurcensis Comitatus ille litigiosus obtingeret. Idem autem Henricus Luxemburgensis Theobaldo suo sororio Barrensi Comiti me-

P 5 dieta-

dietatem omnium bonorum, redituum, fructuum, Iurium,& quorumlibet emolumentorum sibi in dominiis Maruillæ & Arancii cum appendicibus, quæ pridem à VValramo sibi comparaverat, in perpetuum cederet, retento nihilominus integre supremo Dominio, sic nimirum, ut Barri Comes illam suam medietatem à Luxemburgensi Principe, tanquam Domino solo directo in feudum acciperet, & teneret. Quæ quidem rei sic gestę narratione à quoquam in dubiũ revocetur, lubet subnectere quę sequuntur ex mutuo contractu verba:

Nos Henricus Comes Luxemburgensis, Rupensis, & Marchio Arlunensis, & nos Margaretha ejus uxor Comitissa prædictorum locorum. Et ego Theobaldus Comes Barrensis, Notum facimus quod nos acquisivimus Marvillam, Aranceum cum appendicibus omnibus à VValerando Domino de Monteioye & Montisfalconis talibus modo & forma. Quòd nos Henricus & Margaretha antedicti habebimus medietatem in omnibus præeminentiis & reditibus. Et ego Theobaldus teneo, & tenebo in feudum & homagium ab ante dictis Comite, & Comitissa Luxemburgensibus, cum adhuc aliis bonis quæ ab illis habeo & teneo. Actum Anno Millesimo ducentesimo, septuagesimo.

Ista dum fierent defunctus est VValramus Comes Montisfalconis. Vnde Henricus Luxemburgensis Comes sorori vi-

duæ

duæ Elyzabethæ compatiens, eidem medietatem suam in dictis Dominiis liberali donatione reddidit, eandemque donationẽ literis authenticis confirmavit, ac deinde filio ipsius VValramo renovavit, & ratificavit, sic tamen, ut sicut in altera medietate Barrensi in feudum data sibi supremam auctoritatem reservaverat, sic etiam in ista, sorori & hæredibus resignata, auctoritatem itidem principalem retineret; Vnde factum est ut Barrensis Comes & Elyzabetha vidua æquales omninò, quoad Ius, in istis Dominiis evaderent, Henricus autem Luxemburgensis utrique tanquam Princeps præemineret.

Mortua porrò Elyzabetha prædicta, filius ejus egestate coactus, Ius omne illud quod in dictis Dominiis (via memorata) possidebat. Henrico Luxemburgensi Comiti avunculo suo, cum pacto de retroeundo triginta milibus librarum Turonens. vendidit. Hinc itaque effectum est, ut mediante hoc emptionis contractu Dominia Marvillæ & Aranceii pro media parte in Luxemburgensium Principum jus redierint, remanente nimirum altera penes Barrenses Principes, superioritate tamen Principali tota in solidum (id est tam quoad unam, quam quoad alteram medietatem) uti antea Luxemburgensibus competente. Quod verò loca ista & Dominia nomine terræ communis, Galliæ terræ commune designen-

gnentur, id indè causari accidit, quod Iurisdictio eorum omnimoda usfusfructus, census, reditus, & quodvis emolumentum ex dictis Dominijs, & appendicibus proveniens ad Luxemburgensem & Barrensem Duces ex æquo pertineat, excepta suprema autoritate, quam totius esse Luxemburgensis probavimus.

DE COMITATV SANCTI PAVLI alias DE ROVSSY.

GENVIT Henricus Luxemburgensis Comes superius aliquoties memoratus, (cujus etiam occasione placuit statim hæc hic subjungere) ex conjuge sua Margaretha Henricum VValerandum, & Gerardum Dominum Durbutensem, qui præcavere nulla prole relicta, in quodam conflictu periit. Henricus igitur postremo isto filio privatus, volens ne inter duos superstites lis aliqua ob hæreditariæ partis prætensionem oboriretur ea dispositione usus est; ut Henricum primogenitum suum in Comitatu Luxemburgensi declararet successorem, VVallerando autem Comitatum Sancti Pauli, nunc Roussy nuncupatum, possidendum assignaret, cujus tamen ad vitam suam eorum mater perciperet usumfructum, qua denique defuncta fructus dicti Comitatus,

tus, & omnia quæ in Flandriæ Comitatu habebant, itemque Lyneum cum Castellania, & appendicibus, quæ à Barri Comite in feudum acceperat, in utilitatem cederent VValerandi & successorum, qui etiam ratione Comitatus de Roussy Vassalli fierent ac Homagium præstarent Henrico, & ejus in Principatu Luxemburgensi successoribus, prout clarè, ex literis desuper confectis hæc deprompta demonstrant.

Nos Henricus Comes Luxemburgensis, Rubensis & Marchio Arlunensis. Notum facimus omnibus & singulis quod VValerandus filius noster, factus est homo feudalis Henrici fratris sui, nostri charissimi filii, & ab eodem recepit Roussy cum appendicibus, &c. Et nos Henricus & VValerandus, qui in hac consentimus, juravimus ad manus Henrici Comitis Luxemburgensis, omnia inviolabiliter servaturos, & in signum veritatis apposuimus hisce nostra sigilla. Actum 1262. altera Quasi modo, &c.

Est autem Comitatus de Roussy situ medio inter Luxemburgum & Thionisvillam itinere, à quibus æque duobus distat miliaribus. Nomen huic erat antiquitus à sancto Paulo, dum Comitatus sancti Pauli appellaretur; quæ quidem nomenclatura evanuit omnino, substituto in ejus locum Roussy vel Ruttich, ea (ut quidam conijciunt) ratione, quod vir quidam olim præpotens, ex Russia oriundus, hujus

hujus loci filia aut hærede in uxorem accepta, Comitatum ex tunc Russy in patriæ suæ memoriam voluerit nominari. Rustici qui hujus districtu coercentur, interrogati cui ᷣnam pareant Domino, respondere solent, sese & sua spectare ad Simper herren/ quod corrupto, æstimatur idem vellæ quod Sanct Paul herren. Comitatus iste castrum habens vetustissimum loco superius designato membrum est feudale Ducatus Luxemburgensis, ex quo processisse feruntur, qui modo celebres in Gallia dicuntur Comites sancti Pauli quamvis mihi non satis probabiliter; cum potius existimem illos genus trahere ex eo Sancti Pauli Comitatu, qui in Artesiæ partibus extat, hodieque celebris. Spectat modo ille quem descripsimus, ad Marchiones Badenses, & Comites de Manderscheidt indivisim.

DE COMITATV RVPENSI IN ARDENNA.

RVPENSIS Comitatus à peranti-quo Castro, Rupi excelsæ superextructo, atque eatenus Rupis nomine designato, nomenclaturam accipit, complectens suo sinu urbem ejus nominis & territorium satis amplum, atque ad aliquot miliaria extentum, attamen infœcundum

cundum valdè pro maxima sui parte; quanquam hominum industria & improbo labore sic reddatur, ut plurimum fructuosus, incolæ siliginem, avenam, & alia in sui, & pecorum alimentationem opportunam exindè percipiant, utrumque abundanter. Hæc verò sæpius tali evenit modo, ut locis à vepribus, dumis, aliisque lignis ipsa occupantibus usu repurgatis terram diversis proscindant instrumentis, & in partes penè ejusdem formæ divisam componant cumulos ad modum clibani, ac denique vepres & alia minutiora ligna & sarmenta subjicientes ignem admoveant, cujus vi totus iste terræ globus aduratur, & eam consequatur alterationem: undè aptus admodum reddatur producere grana superseminata multipliciter aucta. Indè autē quidam affirmant, hanc & alias adiacentes ejusdem naturæ regiones Ardennam nuncupari ab ardendo, quod scilicet terram ardere necesse sit, priusquam debitos fructus proferat. Hinc etiam fit propter ejusmodi continuos labores, simulque summum frigus, & victum sobrium, quo utuntur istorum locorum inquilini, eos esse corpore perquam robusto, & longæuæ durationis. Antiquitus dum Franciæ limites huc etiam extenderentur, solebant (Reges dum laxandi animi causa Ardennam syluam ad venandum peterent) in Castrum Rupense (tum etiam percelebre, & antiquum, utpotè à Romanis

modo Rupensis Comitatus inter omnia Luxemburgensis Ducatus Dominia, ut dum ejus nobiles bona sua in alios pro pretio aut alia ratione transmittunt, non coram Iudice nobilium patriæ Luxemburgensis, ut ceteri omnes, sed coram dicti Comitatus Præposito & certis Nobilibus transactio ejusmodi celebretur.

Nulli dubium esse debet, quin nobilissimus iste & perantiquus Comitatus Principes habuerit plurimos belli, & rerum agendarum gloria præstantes, qui cum laude semper præfuere, donec ultimus eorum absque mascula prole decedens, & filiam unicam Comiti Namurcensi nuptam relinquens, ipsum Rupensem Comitatum cum ea, & Dominium Durbitense ad Namurcensium Comitum posteritatem transferret. Porrò si lector nosse velit, qua ratione cum Luxemburgensi Principatu dictus Comitatus fuerit conjunctus, eique submissus, uti & modo est, recurrendum erit ad ea quæ superius de Henrico cæco Luxemburgensi & Namurcensi Comite & sequentibus in serie Luxemburgensium Principum narravimus. Ibi enim post grave dissidium inter Theobaldum Luxemburgensem Comitem & Hanoniæ Comitem pro Comitatu Namurcensi, quem uterque Iure uxorio sibi com-

petere prætendebant, habitum, conventum est, ut ipse quidem Namurcensis Comitatus Hannonio cederet, at verò Comitatus Rupensis una cum Dominio Durbutensi in Ius Luxemburgensium accederet, à quo quidem tempore nunquam hæc fuëre ab invicem separata.

DE
DVRBVTENSI
DOMINIO.

DVRBVTVM, amplum Dominium, arce munitum insigni, & urbe ejusdem vocabuli, Ducibus Luxemburgensibus modo paret, quod olim per se separatum habebat sui ipsius juris possessorem. Illud hoc tempore possidet, & inhabitat Comes de Overemdem titulo oppignorario, donec coronatorum aliquot millia ipsi addicta persolvant. Quamvis verò ab illarum partium promiscue vulgò Durbutum Comitatus nomine vocitetur, reipsa tamen non est unquam eo honore per autoritatem superiorem declaratum, sed id indè evenit, quod ejus pro tempore possessor, uti diximus, Comes existat, qui cum ibidem ordinariè resideat Comes Durbutensis communiter appellatur.

DE COMITATU SALMENSI.

EXTAT in Luxemburgensi Ducatu, partibus Ardennæ Castrum perantiquum Salma dictum, à Salmone ejus auctore, & primo Domino qui anno post Christum natum septingentesimo septuagesimo eo loci præerat, non quidem Comitis titulo insignis; sed tantum Domini præcellentis, porrò ut aliqui autumant, Dominium idem Comitatus dignitatem obtinuit circa Ottonis primi Augusti tempora, scilicet dum nongentesimus aut circiter Dominicæ Incarnationis annus ageretur. Habuit olim prædictum Castrum adjunctum sibi oppidulum satis egregium eodem gaudens vocabulo, quod temporum injuria, seu bellorum clade sensim urbis perdidit speciem, cujus tamen hodieque extant alicubi ruinæ, quas indigenæ veterem Salmam nuncupant. Primum Romanis, deindè Francis, postea Principibus Mosellanis paruit, nunc Duci Luxemburgensi, qui ex Mosellanis fluxit, subjicitur. Errorem autem & dubium parit quod diversi à Salma Comites nomen trahant, num videlicet, ex eadem prodeant origine: sunt enim

in Ducatu Luxemburgensi Comites Salmenses propositi Comitatus Domini. Alii item Salmenses dicti sunt Comites, qui in Ducis Lotharingiæ aula, principali funguntur munere: alii tertio extant in Pannonia Comites Salmenses similiter nuncupati. Sed ut sit de his postremo citatis, scrupulum eximi posse de prioribus arbitror, si diversitatem insigniorum utrorumque consideremus, quæ evidens argumentum esse potest aliam atque aliam eorum esse originem. Salmenses enim illi Lotharingici Primates, Salmones duos argēteos in campo rubeo, Luxemburgenses verò binos salmones rubeos in campo argēteo pro armis Gentilitiis præferunt: unde videre est nihil his nisi tantum nomen esse commune, atque adeo æquivocum, quanquam alii existiment Lotharingicos prædictos Salmenses ab annis quadringentis ex Luxemburgensibus descendisse, ac tunc novæ arci & Comitatui ipsis obvenienti nomen prioris Salmæindidisse, & Imperatorum authoritate ad confusionem tollendam armorum colores immutasse: quod an verùm sit necne, studiosioribus penitus indagandum relinquo, illud nihilominus certum habens, quod tam hi quam illi Salmenses Comites antiqua sint, eademque præstantissima Nobilitate

litate exorti, quorum progenitores in virtute, & rerum gerendarum dexteritate fuêre admodum celebres. Salmensis interim Comitatus, cujus nobis est mentio, à Ducatu Luxemburgensi dependet, sic ut qui eo potitur eum fateatur tenere in feudum à Duce, cui ob hoc homagium facere tenetur quisquis in ejus ingreditur possessionem, prout ex fragmentis auctenticorum scriptorum, super ea re confectorum, hic positis colliquescit.

Ego Henricus Comes Salmensis notifico omnibus præsentes literas visuris, & legi auditurus, quod ego accepi Castrum Salmense, & totam Castellariam cum appendicibus omnibus, & aliis ad eam pertinentibus in feudum, & homagium ab Henrico Comite Luxemburgensi, Rupensi, & Marchione Arlunensi, &c. In signum veritatis his præsentibus sigillum meum appendi jussi. Actum Anno 1248. *Die Iovis post festum omnium Sanctorum.* Item. *Nos Henricus Comes Salmensis, notum facimus omnibus, quod nos recipimus in feudum & homagium à Domino Henrico Comite Luxemburgensi Castrum, & Castellariam de Salamis, pro nobis, & successoribus nostris omnibus, &c Datum sub sigillo nostro* 1315. *decima quarta Martii.*

Eidem de Salma Comiti paret alterum non ignobile Dominium Reiverscheidt nomine, non procul à dicto Co-

mitatu ſitum., quod quidam volunt Duci Luxemburgenſi eſſe feudale, negante nihilominus id ipſum conſtanter Salmenſi Comite & aſſerente ſeſe illud nec à Duce prælibato, nec à reliquorum quoquam tenere, ſed eſſe ſui ipſius juris, quanquam & hoc ſimul fateatur; ſi Ducem illinc iter facere fortaſſis contingat, obligatione ea locum eſſe affectum, ut portæ tunc aperiri & tota domus ipſi commodari debeat: Ager Salmenſis, nec non adjuncti Dominii ſterilis quidem eſt, utpotè Ardennæ territorii exiſtens; ſuppeditat tamen humano labore excultus ſat granorum, undè habitatores ejus ſuſtententur. Eſt præterea ſolum hoc nutriendis pecoribus aptiſſimum, adeò ut plures exinde quæſtum faciant non contemnendum: habentur & fodinæ ibidem perplures è quibus tegulæ-lapideæ, eædem optimæ, eruuntur quodammodo infinitæ, & huc atque illuc ad milliaria multa avehuntur, ut & in aliis partibus ædificiorum tectis conſtruendis ſerviant, quæ quidem res multum affert tum incolis, tum præcipuè ipſi Comiti Salmenſi commodi pecuniarii.

DE

DE COMITATV VRSIMONTENSI

IN ea parte Ducatus Luxemburgensis, quæ Gelliis contermina est, non procul à Mazeria Dominium quoddam habetur satis amplum, *Vrsi mons* vocabulo, quod scilicet, ut alii conjiciunt, Vrsini Patritii Romani hujus olim fuerint possessores, aut ut alii (meo equidem judicio probabilius) loci ejusdem indigenę aut proximæ vicini affirmant ex rei cujusdam eventu, hac videlicet ratione quod cum priusquam castrum eo loci ædificaretur, & sylvæ densissimæ adeoque ferarum habitationi perquam aptæ per circuitum haberentur, isthuc territorii Domini venandi gratia sæpius confluerent, acciderit interim una dierum, ut huic exercitio occupatis, canes odore aliquid ferarum percepisse se tum latrando, tum sollicitius vestigando ostenderent. Cumq; exinde ad prosequendum magis magisque, & indagandum feræ delitescentis latibula urgerentur, propinquiores effecti, ejus tandem rugitum auditu percipiunt. Sed posteaquam feram admodum ferocem, & truculentam intellexerunt venatores, neque canum viribus, neque aliis qui-

bus tum muniti erant instrumentis confisi, sese domum in eam noctem recepêre. qua denique transacta, plurimos secum armatos assumentes, casses denique & laqueos quibus ne fuga elaberetur bestia, prohiberent, per circulum cum custodibus constituentes, cœperunt ipsam ferã seriò magis quam pridiè inquirere, inventamque insequi: quam tandem canum importunis latratibus, cursus velocitate, & dentium morsibus, prætereaque accurrentium venatorum cum armorum impetu victam capientes, & ursam fœmellam prægrandem esse conspicientes, ex diversis indiciis catulos insuper in vicino delitescentes intellexerunt. Hos etiam diligenter perquisitos in antro quodam repererunt, ceperunt, abduxerunt. Ista igitur, ut ad propositum redeam, cau ã, & ratio dicitur esse, cur nomen *Vrsi montis* castro paulo post eodem loco, ubi id accidit constructo indiderint.

Fuerunt autores qui voluerint Vrsi montem nunquam Comitatus titulo fuisse insignitum, sed tantummodo nudum Dominium, Chinensi Comiti feudale, ideò fortassis, quod quamvis ejus districtus sit satis amplus reditus: tamen eo spectantes satis exigui sint. Falluntur tamẽ hi opinione sua, quod probatur ex eo, quod . o.nites Luxemburgenses

burgenses Vrsi montis Dominos Comitum titulo compellent; uti habetur ex subjunctis verbis, quæ scriptum autenticum in archivo Abbatiæ Munsteriensis reconditum continet, scilicet *Ego VVilhelmus Comes de Lucelemburch &c. Acta sunt in præsentia Domini Folmarri primi Abbatis, & fratrum, & nobilium virorum, quorum nomina hæc sunt: Hermannus Comes de Salmus: Godefridus Comes de Vrsi monte, Idem Godefridus Comes in Esch, &c.*

Comitatus tamen titulus modo vix in usu habetur, & ejus præfectus communi vocabulo *Le Preuost d'Orcimont* propter euphoniam vulgò nuncupatur, à Duce moderno Arschotano, eodemq; Principe de Chimay, Principis Luxemburgensis ob hoc vasallo loci & quæ eodē attinent Dominio constitutus. Exindè porrò ad eam, qua modo potitur redituum, & censuū exiguitatem devenit hic Comitatus, quod ejus primi possessores pietate Christiana inducti plures Ecclesias fundârint, & ex proprio dotârint, in quibus est & Monasterium Vallis Dei juxta Mazeriam situm, cujùs Comites de Vrsi monte dicuntur fuisse fundatores.

DE COMITATV
Manderſcheid.

MAnderſcheidt inſigne & munitiſſimum Caſtrum in Eyfliæ partibus conſtitutum, & Comitatus honore ſublimatum: domus eſt undè Comites eam denominationem ſortiti originem ducunt, nobilitate generis & opum affluentia plurimum præſtantes, quanquam non omnes Comites de Manderſcheidt nuncupati Ius ſibi eo in Comitatu vendicent: ſed eam indè à longo tempore ex eadem radice prodeuntes in diverſos diviſi videntur ramos, *nomenclaturā quidem* ex Manderſcheidt omnes retinentes, verum ad diſtinctionem inducendam dominiorum, quibus præſunt, nomina ſuperaddunt, undè exempli cauſa, alii dicuntur Comites de Manderſcheidt Schleiden / Alii Comites de Manderſcheid Geiererſtein / Alii denique Comites de Manderſcheid Reyll. Eſt autem Manderſcheidt / Comitatus Duci Luxemburgenſi feudalis, à quo proinde ipſum ejus poſſeſſores ſub homagii exhibitione ſuſcipiunt, & retinent.

DE

DE COMITATV
Virnenbourgh.

IN confiniis territorrii Treverensis Castrum visitur antiquissimum, & nobilissimum Comitum de Manderscheidt / possessionem spectans Virnenbourg nomine Comitatus titulo insigne, quod quidem prius sui juris erat nulli majori subditum potestati, & anno Dominicę Incarnationis 1270. Comitibus Luxemburgensibus pro summa ducentorum librarum denariorum mutuo data feudale effectum, prout ex fragmento instrumenti desuper confecti apparet sic se habente. *Nos Henricus Comes de Virnebourch, notum facimus, quod nos facti sumus homo feudalis Henrici & sui filii, & futurorum Comitum Luxemburgensium, similiter Robertus dilectus filius meus, & deinceps heredes omnes de Virnebourch, &c. Datum Anno 1270 ipsa die sanctæ Margarethæ.*

Cur porrò nomine Virnebourg hic designetur Comitatus, post longam inquisitionem ex ejus Domino & possessore (mecum una dierum prandente) intellexi, id ideò accidisse, quod cum multiplicatæ essent Comitis proles, adeò ut earum quaternus hic Comitatus pro parte legitima sufficere deberet,

deberet, ab eis ex hoc vocabulum sortitum sit & vernaculo idiomate Virnenborgh quasi *vier herren burg* / id est quatuor scilicet Dominorum Castrum dictum, quæ ratio à proprio loci Domino allata, mihi equidem satis videtur probabilis.

DE COMITATV VIENNENSI.

QVANDO Viennensis Comitatus initium sumpserit, quisve ejus fuerit primus Comes, non constat, esse tamen valdè antiquum vel ex eo liquet argumento, quod ex fide digno autore percepi, quendam Monachum Rancherium nomine Comitis Viennensis filium Anno Domini 928. in Monasterio Lobiensi professum vixisse. Vt tamen non nihil de hujus origine Comitatus à vero minimè abhorrens proferam, sciendum quod cum Anno Domini 883. Ludovicum secundum Romanorum Imperatorem in fata concessisse percepissent Imperii hostes, qui vivum valdè expaverant, Northmanni scilicet & VVandali hos eosdem coactis maximis armatorum copiis expeditionē versus Rheni partes suscepisse, quo transmisso statim Tungros, Trajectum, Iuliacum, Aquisgranum,

granum, Novesium, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Tolbaicum, aliaque ejus tractus oppida & loca munitiora ferociter invaserunt, nec non simul Monasteria quævis obvia, itemque Ecclesias, & alia sacra loca ferro, flammis, direptionibus, & prædationibus impetierunt, atque istis in extremum pene exitium redactis oras Mosellæ fluvii persequentes ad urbem Trevérensem castra metati sunt, eamq; post dierum aliquot circulum vi capientes immani clade affecerunt, Ecclesias, & alia loca igne injecto diruentes, nec non personas quasvis sævitia incredibili perimentes, prædas agentes, & ea denique perpetrantes quæ à truculentis solent fieri Tyrannis. Bertulphus Trevirorum tum *Archipræsul* malum hoc declinare præveniens cum aliis plurimis ad Metensem civitatem confugit, ubi à loci Episcopo VValone honorificentissimè exceptus, & habitus, permansit donec Northimanos vastatis quæ obviam fiebant omnibus, ad Metenses itidem expugnandos, & simili clade afficiendos advenire intelligerent. Tum enim consilio de resistentia maturè facienda inito, conclusum est, ut Duce Metensi Comiti Adelhardo, adjunctis duobus Episcopis aliis Principibus viris, & armatorum exercitu prævalido in occursum iretur

adversariis

adverſariis Chriſtiani nominis. Dum igitur ad campum Remich oppido vicinum pertigiſſent, ecce hoſtes ex adverſo venientes Catholicis facti conſpicui ad certamen cum eis ineundum ſeſe obtulerunt. Vndè ſtatim noſtri genibus flexis auxilio Dei devotè implorato, cum hoſte fortiter congreſſi conſtanti animo inſimul ad duodecim horarum ſpacium depugnant. Tandem cum multi utrinque ea in ſtrage mortui cecidiſſent, inque iis à Catholicorum parte Valo Epiſcopus, & Comes Adelhardus, ceſſit victoria à parte Northmannorum, qui iter inceptum proſequentes Metenſem civitatem adeunt, eamque tanta crudelitate invadunt, ut in ſuam poteſtatem redactam igne, ferro, direptionibus totam depopularentur.

Inde Auſtraſii Regnum, nec non Moſellanicum Ducatum peragrantes, nulli loco, perſonæ, alterivè rei pepercerunt, quin ei quantam poſſent inferrent moleſtiam: Porrò ut nihil à tyrannide ſua intactum in iſtis partibus viderunt, in triumphi ſignum, Caſtrum quoddam ad Rupes vaſtas fortiſſimum extruxerunt, cui ipſi VVandali nomen Vandalen à ſua natione deductum indiderunt, atque ſic locus iſte, ſive Caſtrum initium, & vocabulum ea ratione accepit: Cum ve-

rò poſtquam plurimorum annorum ſeriem VVandali dictum Caſtrum, una cum adjuncto territorio poſſediſſent, vicini Principes, hos barbaros loco ejuſmodi occupare diutius non ferentes, collecto exercitu eos partim trucidarunt, fuga ſibi conſulere compulerunt; ex quo accidit ut ex tunc in hæc uſque tempora ad Chriſtianorum jura Caſtrum ipſum una cum ſuis appendicibus ſpectaverit, relicto tamen ei primo nomine à VVandalis impoſito; quod hodieque quamvis nonnihil immutatum perdurat, dicitur namq; Vienna, aut Vianden, aut denique Vienthal, quæ omnia ex uno priore oriuntur vocabulo.

De cætero quantum ad hujus Comitatus poſſeſſores attinet, cum, ut dixi de eorum primo, ſed nec de ſequentibus plurimis conſtet, impoſſibile eſt eorum texere ſeriem. Veruntamen ne noſtro deſimus muneri propoſito conabimur illorum proferre nomina, quæ poſt diligentem inquiſitionem noſſe licuit. Ac in primis in Trevirorum annalib' mentionem fieri Frederici Comitis Viennenſis comperi. *Comes itaque Henricus Luxemburgenſis in principio hujus diſcordiæ ex improviſo, antequam domino ſuo fidelitatem contradixiſſet, cum mille quingentis militibus civitati Treverenſi appropinquat, & Treverenſ-*

renſ. non erant præmuniti, nec vallo, nec muro adhuc cincti, & longa pace bello diſſueti. Et ipſe Archiepiſcopus aberat, in curia Regis exiſtens, potuiſſetque civitatem tunc multum gravaſſe, ſi Deus hoc malum non avertiſſet: Sed Comes Fredericus de Vienna tum fortè fortuito erat in Civitate, & occurrens Namurcenſi multis ſuaſionibus eum redire fecit, demonſtrans magnam illi fore & perpetuam infamiam, ſi quid tale contra Dominum ſuum Archiepiſcopum committeret, & cætera.

Hæc ibi quæ circa Annum Domini 1170. acciderunt. Vndè liquet eos errare, qui affirmare audent, Caſtrum Viennenſe una cum ejus tota appendice ad Templarios pertinuiſſe, donec eo ordine ad interneccionem deleto Imperator Caſtrum hoc, nobili viro alicui contulerit. Longè enim priuſquam Templarii è medio tollerentur (quod Anno 306. accidit) vixerunt dictus Rancherus Monachus, Comitis Viennenſis filius, poſtea Veronenſis Antiſtes effectus, & hic Fredericus, Henricus quoque qui Comitatui eidem Anno 1240 præfuiſſe cognoſcitur. Eſt nihilominus probabile Templarios aliquando Caſtrum Viennenſe inhabitaſſe, non ut ejus Dominos, ſed Comite loci pro divini operis perſolutione ſuſtentatos, ut ſatis picturæ quædam circa templum inibi perdurantes,

tes, quæ Templariorum habitum, & ritus quosdam repræsentant, imo & refectorium oblongum quo uti regulariter solebant, edocent. Dum porrò ordo iste Religiosus vitiorum quorundam, & errorum enormium scateret in Christianæ religionis perniciem nævis, & ob hoc, judicantibus Pontifice, Imperatore, Francorum Rege, & aliis Primatib' Catholicis Zizanium istud è Regno Dei ejiceretur, desierunt Templarii Comitum Viennensium eleemosynis deinceps gaudere.

Frederico Comiti sæpe facto successit (etsi non immediatè) Henricus, qui Anno 1240 vivebat, uxorem habens Margaretham illustris familiæ (licet ignotæ mihi) filiam, è quorum geniali thalamo profluxisse arbitror, propter temporum proximitatem, seu verius identitatem colendam Monasterij Mariæ-vallis vulgo Marienthal ordinis Prædicatorii sanctimonialem quam vidisse se, & affatum fuisse testatur Thomas de Cantiprato S. Theologiæ Doctor eximius, nec non Cameracensis Episcopi Suffraganeus, in opere suo de apibus lib. 2. c. 29. nu. 33. istiusmodi relatione. *Talia & his simul de virginibus facta & gesta meo tempore, si referrem, potius me tempus desereret, quam exempla. Vidimus enim plures filios Comitum & Baronum qui spretis nuptiis in Mo-*

nasteriis, vel congregationibus virginum, vitam cælibem elegerunt. Quarum inter cæteros unam Iolendam nomine, filiam Comitis Viennensis vidi, quæ ad prædicationem cujusdam fratris ordinis Prædicatorum VValteri nomine, cujus supra feci mentionem, inaudita constantia parentes evicit: ut sponso suo Iesu Christo cum sororibus ordinis Prædicatorum in Valle beatæ Mariæ in Diœcesi Trevirensi liberè deserviret. Hæc enim Romanorum moderatoris neptis, & Imperatoris Græciæ consobrina, & Achaiæ Principis soror; à parentibus & amicis præparabatur nobilissimis nuptiis copulari, ut per eam posset eorum posteritas sublimare. Illa autem alias intendens, matrem omninò sollicitavit dicti loci sorores invisere. Quo ubi venit, alias cum militibus & familia matre intenta, filia ut prius ordinaverat vocatis in Capitulum sororibus votum Religionis fecit, habitum induit, & impositum Responsorium Regnum mundi, ipsamet inchoavit. Quod dum Conventũ lætisonis vocibus prosequentem audit mater, miratur concentum repentinæ lætitiæ, mittit unum ex suis videre qu d esset, renunciat ille beatissimam Iolendam habitu sacri ordinis insignitam. Quo audito mater attonita, accurrit filiam rapere furibunda, nec cunctata immunitatem loci violenter infringere, raptam secum abduxit, & in Palatio Viennensi arctissimæ custodiæ mancipavit. Et vide quali constantia vicerit: Cibus tantum Regularibus secundum

eundum ordinem contenta alios comedere nulla violentia cogi poterat. Alia quoque statuta ordinis, à quibus corpus vel animus arceri non poterat, vigilantius observabat. Detracto tantum illi habitu ordinis violenter, coloratis eam vestibus induebant. Nuditatem enim pati virginalem pudicitiam non decebat. Quid moror verbis? per Episcopos, Abbates, & Prælatos, & per alterius professoris moniales & Religiosos diversi generis tentabatur. Nec tamen infra triennium, vel ad reditum sæculi, vel saltem ad laxioris vitæ ordinem animum ejus convertere potuerunt. Dicebat enim verbis innitens Apostoli: In ea vocatione qua vocata sum immobilis permanebo. Parẽtes igitur & amici à revocatione illius finaliter desperati, eam redire ad dictum locum & ordinem permiserunt. Vbi tantis exemplis vita fulget, ut nulla in ea deesse virtutis dignitas videatur.

Hactenus Thomas Cantipratensis autor gravissimus, narrationis testis oculatus, quem idcircò de verbo ad verbum libuit hic attexere, ut indè colliquescat quam illustri prosapia id temporis fulserint Comites Viennenses, qui Romanorum, Græcorumque Imperatores, itemque Achaiæ Principes proximo consanguinitatis sive affinitatis gradu affigerunt, atq; etiam, quod indignum judicaremus, laudes dictæ Iolendæ meri‹t›o debitos hoc loco subticere,

Porro Henricus Viennæ Comes Iolendæ uti arbitror parens, cruce signari, & sacræ militiæ cum aliis Principibus ad Palestinam è barbarorum faucibus eruendam sese inscribi curavit, hæredemque & in Comitatu successorem habuit Philippum filium suum, cui in conjugem devincta est Maria, cujus cognationis nescio. Philippo isti magna amicitiæ necessitudo intercedebat cum Henrico Luxemburgensi Comite, à quo cum semel pecuniæ summam ingentem mutuo accepisset, ut à restituendi debito liberaretur, eidem & successoribus, Luxemburgensibus Principibus, Viennensem suum Comitatum feudalem fecit, prout literarum proinde confectarum tenore clarescit sequenti.

Ego Philippus Comes de Vienna & Dominus de Grunbergen *omnibus notum facio quod mediante summa pecuniaria, & aliis conditionibus, quam Nobilis homo, meus charus Dominus Henricus Comes Luxemburgensis mihi assignavit. Hinc est quod de mea certa scientia, & pura voluntate, illi obligaverim Castrum meum Viennense, & oppidum cum Burgensibus, & quicquid ad dictum Castrum pertinet. Et deinceps ego & hæredes mei Comites Viennenses tenebimus, & ab illo recipiemus, & à successoribus suis Comitibus Luxemburgen. in perpetuum in feudum (salvo tamen feudo Prumiensi)*

mienſi) utque iſtud ratum ſit obligavi, & præſentibus obligo ac onero dictum Caſtrum cum appendicibus &c. Datum Anno 1248. ipſa die Barnabæ Apoſtoli Menſis Iunii.

Profluxit autem ex Philippo & Maria conjugibus, patri in Comitatu ſucceſſor filius Godefridus, cui cum nullam prolem Adelheida uxor peperiſſet devenit Comitatus ad proximum hæredem Henricum, cui filius Symon nomine ſuffectus ex Maria conjuge, unicam tantum filiam genuit. Hæc itaque paterni Comitatus hæres eundem marito ſuo VValramo Comitis de Spanheim filio dotis nomine detulit.

Poſt VValramum Viennæ Comes effectus eſt, Ioannes Comes de Naſſaw agnomento Hueffner/ & hoc defuncto Engelbertus, qui ſucceſſorem habuit Adolphum Comitem de Naſſaw. Hic verò Henricum cujus Ermegarda, ac deindè Genovefa Comitiſſa de VValdecq extitêre conjuges.

Henrico Comiti Viennenſi ſucceſſit Ottho Dux Brunſvvicenſis, & huic Ioannes Comes de Naſſaw/ quem ſecutus eſt Philippus, qui uxorem duxit Adelheidam nomine.

Devenit tamen jure ſucceſſionis legitimæ Comitatus Viennēſis ad Guilhelmum de Naſſaw principem Auraicum, quo, cum eo gaviſus fuiſſet ad annum uſque 1566. tandem judicante

mandanteque certis ex causis Philippo magno Hispaniarum Rege, destituto, fuit idem Comitatui cum appendiciis, una cum Sancti Viti oppido & pertinentiis Generoso Petro Ernesto Comiti in Mansfeldt Ducatus Luxemburgici nomine suæ Regiæ Majestatis prudentissimo Gubernatori in recognitionem fidelissimi obsequii Deo, & Carolo quinto Imperatori, & filio ejus Philippo secundo Hispaniarum Regi præstiti, ad dies vitæ consignatus, quo hodieque fruitur, & denique fruiturus est, quamdju Dei immortalis munere vitali aura gaudebit. Is dum anno 1604. vitam cum morte mutasset, Auriacus Princeps illius fit hæres.

Hæc porrò de primariis Ducatus Luxemburgensis Ducatus dominiis protulisse in medium sufficiat. Vnde ad alia scopo itidem nostro convenientia obiter describenda stylum convertemus, incipientes nimirum ab oppidorum sive urbium ejus Provinciæ descriptione, inter quas primatum sibi jure merito vendicat Metropolis Luxemburgum.

DE LVXEMBVRGENSI OPPIDO TOTIVS

Ducatus ejuſdem nominis Metropoli.

LVXEMBVRGVM caput,& Metropolis ſibi æquivocè Provinciæ, quod ei nomen ſuum communicet, Moſellam ingentem fluvium à parte ſua Meridionali reſpiciens, ab eoque bino miliari diſtans, Trevirenſem civitatem ſex miliarium ſpatio inter orientem & occidentem ſibi habet vicinam;Metenſem verò Mediomatricum Metropolim inter meridiem & occidentem octo miliaribus diſtantem. Situs ejus mirabilis eſt, & admodum inæqualis;potior enim ejus pars in rupium altiſſimarum ſummitate, quæ planiciem ſatis amplam continet,fundatur: at duæ aliæ ejus portiones in declivi duplici montis ſitum obtinet, quarum una propter ejus profunditatem, Fundus: altera eandem ob cauſam Vallis nuncupatur.

Prima porrò illa in ſublimi poſita à loci habitatoribus, Mons dicitur ſive Oppidum ſuperius, quod certè tum ex loci natura, tum humanæ artis indu-

ſtria perquam munitum eſt & adverſum hoſtiles incurſus inſtructum, nam ab auſtrali occidua, orientalique partibus rupibus inſidet altiſſimis iiſdemque ita quaſi ad perpendiculum erectis & complanatis, ut nulli animantium generi (quę vulgarum aduncarum adminiculo uti ſolent) perviæ habeantur, undè ab iſtis penè omnibus partibus inacceſſibilis ſuperior iſta urbs Luxemburgica judicatur: quod verò ad Aquilonarẽ attinet reliquam partem, mœnibus, turribus, foſſis ac quibuslibet ad propugnationem requiſitis ædificiis communitur, proindeque inter totius Belgii loca hic meritò dignitatem à fortitudine obtinet haud poſtremam. Porrò quantum ad cæteras duas ejuſdem oppidi partes, eædem prævalidis muris ac turribus cinguntur, atque cum ſuperiori illo pulchrè conjunguntur, à qua tanquam præſtantiori munimen etiam non exiguum conſequuntur, ut ſi ad hoſti obſiſtendum debiliores fortè extiterint, ab ea ſubſidium facile percipiant. Iſtarum inferiorum pars quam fundum, germanicè Den grundt / gallicè *La ville baſſe*, appellant fluvium Alzet vulgo dictum, per murum ſuum occidentalem admittens alveum ei accommodat, magno urbis commodo uſque ad muros ex adverſo poſitos per quorum

arcus

arcus egressus Rupem quæ Arcem antiquam, & Monasterium adjacens Benedictinorum, itemque alia conjuncta circuiens regirat sese versus alteram, quæ vallis seu vulgo Pfaffenthal appellatur, inferiorem oppidi partem, cui & commoda præstat peroportuna. Nam uti in superiori quam fundum nominari diximus parte molendinorum perplurium rotas impetuoso suo cursu versat, sic illud idem hac inferiori Pfaffenthal efficit, præterquam quod utrinque cerevisiæ coctoribus, itemque coriariis, singulis scilicet juxta opificii sui exigentiam, quicquid ab elemento aquæ accipere habent abundè suppeditet, aliaque aliis quæ ad longũ recensere puto supervacaneum, satis oportune sufficiat Luxemburgense oppidum non uno continuato tempore in sui primordio ad eam, in qua modo cernitur amplitudinem devenit, sed sub diversarum ætatum conditionibus sensim, paulatim, & denique per partes eo tandem excrevit magnitudinis, quæ sanè non contemnenda est. Putatur verò ab ea inferiori parte quam fundum appellant, exordium sumpsisse, eo scilicet loco ex adverso pontis, ubi fabri ferrarii officina & domicilium habetur, indeq; hinc atque inde infra & supra successu temporis reliqua accessisse ædificia,

quanquam mihi quidem probabilius videatur ſuperiorem etiam urbis partem ędificiis ante reliquas egregiis extitiſſe inſtructam, eo videlicet argumento, quod Ptolemæus Mathematicus & Geographus antiquiſſimus locum, quem modo Luxemburgum appellamus Auguſtam Rhomandorum ſive Rhomanduorum indigitârit, ex quo non obſcurè liquet ejus autoris tempore celebrem ſatis fuiſſe locum iſtum, cui Auguſtæ vocabulum (quod primatum quendam denotat) fuit tributum. Sic nimirum Auguſta Trevirorum & Auguſta Vindelicorum dicuntur capita ſive Metropoles eorum regionum ſive nationum à quibus denominantur. Cum igitur eadem ratione probabile evadat Auguſtæ nomen, loco, de quo agimus, fuiſſe inditum, & ante Ptolemæi tempora uſitatum, illud etiam ſit veriſimile, quod ædificiis præfulſerit egregiis, quæ potius in editiori amœnoque loco fuerint conſtituenda quam humili & abjecto fundo. Qui autem, aut quales fuerint Rhomandi iſti, quibus noſtra Auguſta tanquam caput præeminuerit, ſi conjicere liceat, exiſtimo nationem eam dictam fuiſſe, quæ in ejus partibus Rhomando ſermone, quem hodieque retinet media pars Luxemburgenſis Ducatus, & pleræque adjacentes regio-

nes

nes utebantur, & dicitur ab illis, *Romam*, quasi nimirum ex latio sive Romano idiomate derivatum, quod nihil aliud esse videtur quam gallici sermonis corrupta quædam propago barbarizans. Hæc à me probabiliter citra potioris sententiæ præjudicium dicta sunto. Habuit præterea locus iste nomina nonnihil ab hodierno diversa, è quibus nimirũ Luxemburgum (quod modo commune est) deducitur; vocatum enim aliquando fuit Lucisburgum, à luce & Burgo, quod est Castrum, quod videlicet ibidem olim extiterit fanum celebre, in quo à populis gentili superstitione adhuc implicatis, Luci, tanquam Deæ sacrificabatur. Sunt tamen qui velint potius ex germanico vocem latinam derivari. ut Lützelburgh significat parvum Burgum, propter ejus nimirum parvitatem & angustiam. Alii à luxu potius deductũ ajunt Luxemburgum, quod ejus incolæ gentiles inibi luxui, epulis, & carnis voluptatibus superstitiosè solerent incumbere. Cæteri nihilominus Lucum & Burgum partes componentes nomen Lucemburgum faciunt, ea ratione adducti, quod existiment eo loci antiquitus fuisse lucum, qui idem sit quod Nemus arboribus densum, Deo alicui sacrum, à luceo, dictum lucus per antiphrasim, eo quod

quod non luceat, quoniam cum nullę arbores illic propter religionem cæderentur opacus & sine luce erat: ut & sit de diversarum ejusmodi opinionum veritate, putem meritò eam omnibus præferendam, quæ à luce & burgo, originem primam nominis (quo hodie utimur) deducit. Nam satis eodem argumento constat, loca non pauca circumquaque sita similiter ab hujusmodi Deorum portentis nomina obtinuisse, uti suo loco dicturi sumus, ut exempli causa Arlunum, Ara lunæ, Solubrium quasi urbs solis, intelligantur. Luxemburgense oppidum cùm indè à sui origine angustioris fuerit spacii, idque muris quibusdam, quorum hodieque cum portis perdurant vestigia ad amplitudinem in qua modò est confluente eo loci populo, & domicilium figente devenit, & tandem versus meridiem, ubi rupium planicies à natura videbatur extensior, incrementum accepit ducentorum circiter ædium, ac denique duo Franciscani ordinis, alterum virorum, alterum monialium Cœnobia amplexatum est, præter sacratissimę Trinitatis sacellum quod non procul à mœnibus distat, & Divi Iodoci oratorium olim visum, modo mœnibus ipsis absconditum, cujus tamen memoriam multum religiosè populus hujus urbis una cum

Clero

Clero recolit dum altera Pentecoſtes ſingulis annis ſolemni proceſſione locum inviſit, ac ad Divi Nicolai templum redeuntes Miſſæ ſacrificio aſſiſtunt. Continet etiam oppidi Luxemburgenſis pars dicta ſuperior duas inſignes Parochiales Eccleſias, quarum altera inſigni dote inſtructa, in Divi Nicolai Epiſcopi honorem dicata umbilicum urbis ſuperioris occupat; altaria habens (loci ſitu ſic poſtulante) ad meridiem reſpicientia, excepto inſigni ſacello in editiori loco conſtituto orientem aſpiciente Divo Clementi ſacro (quod Patres Societatis Ieſu pro hoc tempore obtinent) Hanc Divi Nicolai Eccleſiam à fundamentis excitaſſe dicitur, prædives quidam vir Hecelo nomine, circa annum Domini 1120. ex conſenſu, tam Ordinarii, quam temporalis Principis, habetque ea inſignem altiſſimamque turrim, in cujus faſtigio per circuitum tecti perelegans conſpicitur ambulacrum plumbo & aliis ad id aptis rebus communitum, quo à turbine & pluvia illæſum perſiſtat, ubi continuò vigiles noctu ac perdiu vigilant, eminus circumſpicientes ſi quid fortè inſidiantis hoſtilitatis aut inopinati incendii animadverſum fuerit. Tum enim ſtatim abſque mora ſignum datur nolæ pulſu, ad cujus auditum quaſi in momento omnes, &

ſinguli

ſinguli cives ad loca ſibi deſtinata armis, aut ad ignem extinguendum ſitulis, ſcalis, harpagonibus & aliis opportunis inſtructi inſtrumentis properant, malumque imminens diligenter amoliri ſtudent: Alteram porro Parochialem Eccleſiam Divi Michaelis archangeli patrocinio nuncupatam, longè antiquiorem eſſe perhibent quam illam Divi Nicolai, fuiſſeque olim D. virgini Deiparæ conſecratum à Comitibus Luxemburgenſibus ſacellum, quod tandem Parochialis Eccleſiæ nomen, & dignitatem obtinuit, cum antea ejus per circuitum vicini cives Parochiæ de Wymnerſkirch ſub urbe ſitæ parochiani extitiſſent, quemadmodum & qui dictæ Divi Nicolai ſubſunt, olim Eccleſiæ de Holrich pago vicino ſuberant, quæ tempore ſubſequente ſolis ruſticis pagorum incolis ſervierunt, uti & etiamnum ſerviunt, niſi quod in Rogationibus ſtationem ad ſingulas iſtas parochias populus Luxemburgicus omnibus annis obſervet. Cænobium deniq; illud virorum quod ordini Franciſcano aſſignatum dixi, peramplum eſt, & loco ſitum amœniſſimo, quod jam inde à Divi Franciſci tempore exiſtentiam habuiſſe plurimi volunt, uti & haud obſcurè oſtenditur ex Epitaphiis ſepultorum per ambitum ejus reſperſis

ætatem

ætatem penè eandem cum ſanctiſſimo Patre habentibus. Huic Monaſterio, egregiis alioquin etiam ædificiis ornato, funeſtus accidit caſus anno Domini 1554. ipſo Divi Barnabæ feſto, luce clara diei: tum enim ignis vehemens devoratis jam plurimis civium domibus tandem in hanc quoque ſacram penetravit ædem, ubi ſub tecti crepidine vaſa pulvere tormentario repleta invadens, cum ipſum templum, tum alias quaſvis per circuitum ſtructuras quaſi in momento deſtruxit; ſed cum fortuito fratres eleemoſynam pro more vicatim petentes loco abeſſent ab hac ſtrage Deo propitio illæſi evaſerunt præter duos id temporis cuſtodiam domus habentes, qui in cellulis ſuis impetu incendii arrepti animam efflaſſe comperti ſunt.

Hi tum & à primævo domus iſtius exordio eorum erant inſtituti, qui Gaudentes dicuntur, & ab anno Domini 1569. Obſervantes Rege Philippo Hiſpaniarum Rege procurante eundem locum obtinent, quorum induſtria, & indefeſſo labore deſolata hæc domus pedetentim ad priſtinum redit nitorem. Inſigne ſiquidem ab hinc paucis annis à fundamentis excitarunt, & abſolverunt dormitorium multis præclaris conſtans ad uſum fratrum cellulis, clauſtrum itidem egregiè

gie repararunt, refectorium tam hyemale, quam æstivale, itemque valetudinarium & alias commodas ædificarunt officinas, undè non parum laudis promeriti sunt.

In hujus Franciscanorum Cœnobii cœmiterii parte orientali nuperrimè, id est Anno Domini 1586, Generosus princeps Petrus Ernestus Comes in Manßfeldt Luxemburgensis provinciæ Gubernator, Sacellum insigne liberali sumptu ædificavit, necnon subter ejus pavimentum, speluncam concameratam sibi & uxoribus filiisq; Comitibus defunctis in sepulturam extrui, ac denique præcellens opere fusorio ex ære monumentum poni curavit, atque præter organum perquam egregium (tametsi melodiæ mediocris) tabulam miro artificio ab excellenti illo Martino de Vos Antverpiensi depictam resurrectionem dominicam repręsentantem ad altare collocari fecit. Sacellum, sacrosanctæ Trinitati consecratum, cujus supra mentionem feci, juris erat Generosi ac Reverendi Domini Ioannis Baronis in Brundenburgh & Meysenburgh sacerdotis Christi, quod cum circumiacentibus territorio in eleëmosynam donatione perpetua contulit in fratres Prædicatores Luxemburgens. quorum ejus temporis Prior Venerabilis & pius vir Giselbertus

Giſclbertus Spechtius: collatione e-juſmodi gratanter accepta, inibi ſtatim ad ſuam, & confratrum habitationem ædificia conſtrui curavit ſatis egregia, colliges undequaque in hoc à devotis hominibus eleëmoſynarum ſubſidia. Qua in re haud dubium, quin laudis plurimum ſibi jure merito conciliaverit; dum tam incommoda temporum conſtitutione in tantum allaboravit, ut ejuſmodi opus ad perfectum paucorum annorum ſpacio deducere potuerit. Acceſsêre & huc Patres Societatis Ieſu Anno 1594. à Catholica Regia Majeſtate deſtinati, quorum ſumma ſolertia, & pietate præſtanti populus Luxemburgenſis in cultu Divino mirè indies proficit. His domicilium obtigit ex adverſo cœmiterii fratrum Minorum ad plagam meridionalem, quod ipſi certa pecunia emptum, egregia inſuper & percommoda ſtructura ampliârunt. Porrò quod ad infernas Luxemburgenſis oppidi portiones attinet, ea quam Pfaffenthall vulgo nuncupant, ſuburbium habet ſubjunctum, cujus incolæ æquè civitatis privilegio gaudent, ac ii qui murorum clauſura cinguntur; in quo ſuburbio templũ videre eſt Divo Mattheo Apoſtolo & Euangeliſtę dicatum, vili quidem factum ſcemate, ſed devoti populi viſitatione ſatis celebre. At

quantum ad alteram inferiorem partem latinè fundus, germanicè der grundt/gallicè verò *la basse-ville* dicitur, hæc continet diversa in diversis sui partibus oratoria, eaque non contemnenda; est enim ab ea parte qua Theonisvillam versus tenditur, in primis Ecclesia parochialis D. Vdalrici Episcopi, una cum adjuncto antiquissimo D. Iacobi Apostoli sacello à quodam ejus patriæ nobili viro Iacobo nomine, ob evasum eo loci à prædonibus & sicariis mortis dispendium excitato; ac deindè ex adverso ei respondet Religiosa Domus Teutonicorum ordinis Prussiæ, sub Sanctæ Elyzabethæ patrocinio, cujus cum non ampli admodum sint census annui, ea tantum unicum ejus ordinis sacerdotem ordinariè sustentat. Iam verò ut partem quæ trans flumen Alzet habetur obiter describamus, habet ea Xenodochium pauperũ, nec non ei annexam parochialem Ecclesiam sancto Ioanni Baptistæ Christi sacram ab Henrico Luxemburgensi Comite eodemque Romanorũ Imperatore Augusto fundatam, una cum Pastore, & tribus capellanis altaristis, qui omnes simul, & separatim suis diebus & horis divinum officium inibi devotè exolvunt. Xenodochium hoc. (alio pauperibus consignato) una cum Ecclesiæ prædi-

ctæ

ctæ omnimodo usu à D. Carolo quinto Cæsare Augusto, accedente ordinarii annisu datum fuit & permissum Religiosis, Abbati, & Monachis de Münster propè Luxemburgum in recompensam diruti eorũ insignis Monasterii, prout in sequentibus latius agetur, agentibus nihilominus & suum officium eodem in templo horis competentibus, prælibatis Pastore, & Altaristis.

Habet Luxemburgum portas quibus in illud ingressus, & ex eo egressus patet ordinariè, quinque, & alias duas ob proditionis sive inopinati hostium irruptionis devitandũ discrimen tempore hoc minus pacato, muro obstructas. Primæ primariarum occidentem aspicienti nomen est vulgare Juden-pfortt id est porta Iudæorum; quod eo loci antiquitus, dum istuc necdum extenderetur civitas, Iudęi sepulturam habuerint. Dicitur tamen à gallis *la porte d'Arlon*, ideò quod recta Arlunum vicinius quarto miliari distans oppidum deducat. Hinc etiam Belgium versus initur profectio. Altera porta, quæ ut & prior penè orientem solem aspiciens dicitur Schloßpfortt/ ideò quod per eam in Castrum olim præstantissimum, nunc verò dirutum ab urbe pateat accessus. Tertia in parte inferiori, quam fundum diximus

five germanicè Das grundt de Dinselpfortt vocabulo, orientem itidem intuens solem, iter Treviros demonstrat, per quam undè & Galli *la porte de Treves* eam appellant. Per hanc Mosellanica quoq; vina in urbem intromittuntur. Quarta in eadem inferiori parte inter meridiem & occidentem sita sunt Vlrichpfort nuncupata & quod Ecclesiæ Sancti Vdalrici penè cohæreat, Theonisvillam & Metas transmittit, quam & Galli vocitant *la porte de Thionville.* Quinta denique porta in valle altera Pfaffenthall dicta, vocatur Seylerspfort / habens sub se citra & ultra pontem, suburbium insigne, hinc Leodium, Trajectum & in alias circum regiones tenditur. Caret quidem Luxemburgensis oppidi pars superior in edito monte saxoso sita, fontium vivorum scaturigine, at horum tamen affert, supplementum indefectibile cisternarum capacissimarum multitudo, quæ penè omnes domos occupant, aquam pluvialem è tectis excipientes, depurantes, & incorruptam servantes, quanquam & duos puteos altissimos apud Franciscanorum & Monialium Sancti Spiritus monasteria aquæ perennis pro necessitate habeant, prçter eos fontes optimos, qui in inferioribus urbis partibus scaturiunt. Post Divi Michaelis (quod
initio

initio sui Divæ virginis Deiparæ nomen præferebat) templum, ad portam quam Schloßport vocari diximus, mœnibus prævalidis & insigni ponte subductili munitam, videre est in rupe altissima, & omni ex parte inaccessibili ruinas prælibati insignis Castri Luxemburgensis, à quo hæc nimirum in totam Provinciam nomenclatura originem ducit, quod minimè profecto hac tanta clade dignum fuit: quippè quod ut antiquissimum valdeque nobile fuerit, ita & Heröes permultos ex sese protulerit immortali laude celebres. Ex hoc enim ut anteriores taceam, Henricus ejus nominis septimus Romanorum laudatissimus Imperator prodiit. Sic, ejus Illustrissimus filius Ioannes Bohemiæ Rex, bellandi peritia valde celebris, qui & Carolo quarto Cæsari Augusto Pater, & VVenceslao atque Sigismundo hujus filiis itidem successive Augustis Avus extitit; eo ipse fælicissimus. Taceo eorum progenitores in utroque sexu, Principes scilicet immortali laude dignos, successores item numero frequenti Comites & Duces; quorum Castrum istud, priusquam tormentorum bellicorum usus emersisset semper inexpugnabile reputatum & appellatum, extitit natalibus notabilitatum. Conspiciuntur

insuper intra Luxemburgicæ urbis complexum ædificia quam plurima satis eleganti opere fabricata, è quibus quædam ædes nobiles nobilibus patriæ plerisque deserviunt. Reliquas porro sua amplitudine magnifica facilè præcellit Palatium Principis quod ordinariè incolit provinciæ Gubernator. Ab hoc non longè dissidet Domus Senatoria, eademque satis magnifica constans structura, quæ communiter Cancellaria nuncupatur, aulas continens diversas, quo cum Senatus Principis Provinciale concilium nuncupatum, tum Nobiles patriæ Iudices ad munera sua exercenda diebus & horis competentibus confluunt. Componitur autem Provinciale Concilium Comitatus Luxemburgensis & Comitatus Chinensis ex uno Præside jurisconsulto & Consiliariis togatis ejusdem professionis quinque ordinariis, itemque quatuor aliis ordinariis nobilibus, quos ad differentiam cæterorum cum brevi toga quidam appellant. Meo tempore quamplures vidi præstanti doctrina celebres viros, hujus Collegii membra, quorum magna pars in fata concessit, aliis itidem egregiis in eorum locum substitutis. Præsides siquidem ibi conspeximus Fœlicem von Hornunck Iuris utriusque doctorem, Ioannem Vieck id est audacem, eodem

gradu

gradu insignem, Petrum Van der Aa Lovaniensem Equitem auratum inter professores Iuris olim in Lovaniensi Academia celebrem, qui inter alia librum de fide creditorum, solida doctrina conscripsit, & typis excusum Iuris studiosis communicavit, ac denique Ioannem ab Hattestein Dominum in Born/ Doctorem, cui à multis retro annis propter insignem, & reconditam eruditionem, itemque dicendi raram facundiam extitit ad Comitia Imperialia Philippi magni Regis Hispaniarum, & Serenissimorum Archiducum Dominorum nomine data provincia comparendi & agendi, quod certè munus magna in finem usq; cum laude obivit, obiens nuper Spiræ (ubi eandem ob causam cum tota familia hærebat) diem extremum. Huic in Præsidis officio per suas Celsitudines Serenissimas surrogatus est præstantissimus Iuris utriusque Doctor Lovaniensis Academiæ eruditissimus, qui prius munia Consiliarii ordinarii, & Procuratoris generalis Regii ad annos aliquot Luxemburgi, ac deindè Consiliarii in supremo Mechliniensi Senatu summa cum laude exercuerat Ioannes Benninch. Consiliarii vero hoc anno 1602, Togati existunt, Remaculus Huart Stabulensis, qui & Archivorum præfectus: Ioannes Guillel-

mus Fabius. Christophorus à Busbach Luxemburgensis.

Ioannes Bomghart Mechliniensis.

Nobiles verò ejusdem Senat⁹ Consiliarii modo habentur (quos etiã Chlamidatos nuncupant) sunt, Iacobus à Rollingen Dominus in Ansenbourgh/ Cureich/ Siwenborn/ Dagstul / &c. qui etiam Nobilium patriæ per Principem est institutus.

Ioannes Baro & Dominus in Wiltz/ Busy/ Stadtbredmis & suarum Celsitudinum Serenissimarum nomine Gubernator Theonisvillæ.

Ioannes de Mercii Dominus ibidẽ.

Ægidius Dufainus Eques, vir doctissimus: atque hi omnes ordinariorum consiliariorum nomen ac dignitatem præferunt.

Extraordinarii verò sunt titulo insigniti Procurator generalis, qui modo idem est Adrianus Gaudius consiliarius supra nominatus, habens substitutum sibi Petrum Crauß Epternacensem Iuris utriusque Licentiatum.

Et Receptor generalis nomine Henricus de Marche, cui cæteri per Provinciam in quibusdam subsunt, rationem nihilominus, ut & iste Bruxellæ in Camera computuum Brabantiæ rationem reddentes.

Est & Abbas Munsteriensis ejusdem Concilii perpetu⁹ & natus consiliari⁹.

Scriba

Scriba hujus Concilii (qui ſubſtitutis juratis, aliiſque plurimis gaudet amanuenſibus) quem Graphęum nuncupant, eſt Ioannes Wildtheim à Sancto Vito, linguarum patriarum ad muneris ſui functionem admodum peritus, idemque Secretarii Principum noſtrorum Sereniſſimorum titulo & re inſignis.

Ad hoc Provinciale Concilium præter cætera ſpectat, unicuique per totum Ducatum Luxemburgenſem, & Comitatum Chinenſem in cauſis civilibus ſive in prima ſive in ſecunda inſtantia, prout caſus exigit, & inſtitutiones præſcribunt, Ius dicere; unde & huc undequaque fit à partibus læſis provocatio, quo ſententiæ perperam fortaſſis latæ correctionem, mediante tam viva voce quam ſcripto per advocatos Iuriſconſultos (quorum numeroſa multitudo hic reperitur) cauſæ collitigantium deductione, obtineant; quibus nihilominus integrum eſt, ſi ſe læſos arbitrentur pro ſimili remedio ad Mechlinienſe magnum Parlamentum appellare. Fiunt autem proceſſus ejuſmodi forenſes coram Tribunali Luxemburgico promiſcuè ſub altera lingua Germanica, vel Gallica, quod ſi per appellationem ad Mechlinienſe magnum Concilium devolvuntur, qui Germanico idiomate

in primis instantiis fuêre compositi, iidem in linguam Gallicam fideliter transfusi, eo diriguntur, ubi solius Gallici sermonis usus habetur.

Luxemburgense oppidū aliud præterea Tribunal habet superiori illi subalternum, & civibus immediate præeminens, cui ad sedendum insignis videtur Domus propè Divi Nicolai templum recens (communi civium sumptu) excitata. Constat autem hoc civicum Tribunal uno capite, quod Richter id est Iudex nuncupatur, qui scilicet in profesto Divi Andreæ Apostoli singulis annis immutatur, expirante tum ejus qui præfuit administratione, & civibus libere eligentibus quempiam alium, sic tamen ut ex civium numero & scabinorum ordine alternatim in id functionis asciscant. Isti scabini numero septem sunt Iudicis assessores, & eo in officio perpetui, nisi sua sponte resignent, aut ad aliud munus sublimius, sive incompatibile evocentur; suntque ex primariis, judicioque hominum magis discretis ac prudentioribus ejus Reip. viris. Horum singulis annis ad octiduum à Vigilia D. Bartholomæi incipiens, ex principum singulari ordinatione suspenditur officii executio, eaque per id spacii in eum Civem lanitextorem, quem ejus officii præ reliquis

liquis ibidem privilegiati artifices deligendum censuerint, qui tum in Cives & Nundinas quæ celebriores Luxemburgi & circa existunt, omnimodam Iudicis gerit potestatem.

Residet præterea alterum Tribunal subalternum Luxemburgi, cujus est Ius dicere rusticis per tractum vicinum, tam in civilibus quam criminalibus; qui tractus Præpositura dicitur, à Præposito nobili viro eidem Tribunali præsidenti, & octo viros habenti assessores, inter quos subditur ejusmodi Præpositura.

Prodierunt ex hoc Oppido viri non pauci gloria & virtute præstantes, quos inter, præter superius recensitos Monarchas, Castrum Luxemburgense protulit Balduinum Archiepiscopum Trevirensem, Henrici Septimi Imperatoris fratrem germanum, & Ioannem Moguntinum Archipræsulem, ambos Sacri Imperii Principes Electores amplissimos. At verò urbs ipsa insigni eruditione, & virtutibus ornatos bono publico penè nostro ævo dedit; Bernardum Luxemburgensem, Lutheranæ & aliarum ex Inferno promanantium hæreseon insectatorem acerrimum; Nicolaum de Naves nobilem virum Iuris utriusque excellentissimum doctorem, ac Concilii provincialis Præsidem. Hujus deindè filium

lium æquivocum, quem ob raram ac singularem rerum agendarum prudentiam & Sapientiam Imperator Carolus Quintus Sacri Romani Imperii Vicecancellarium instituit, Nicolaum, Ioannem insuper istius filium, magnis ingenii dotibus præditum, præclarisque Dominiis auctum, qui à Rege magno Hispaniarum rei militaris annonæ per Belgium supremam obtinuit præfecturam, in cujus exercitio immortale sibi nomen acquisivit. Ex Luxemburgo itidem prodiit Nicolaus Ruterus (cujus familia hodieque extat) summus à primæva ætate musarum cultor, & sapientiæ omnimodæ præsertim Theologicæ egregius consectator. Vnd tandem eo devenit eruditionis, ut à Philippo Archiduce Austriæ Divi Petri Lovanii Decanus, ac deinde Atrebatensis & Cameracensis Ecclesiarum Canonicus fuerit institutus, qui etiam Harlemii, & Brechtii Pastor extitit vigilantissimus. Istiusmodi autem beneficiorum obtentione plurimum ditatus, opes sic collectas in fundationem insignis Collegii (quod in Lovaniensi Academia Atrebatense nuncupatur) impendit. Vbi & redditus annuos ad studiosos numero duodecim una cum præside & reliqua familia alendos consignavit, ea conditione ut horum Alumnorum

norum tres Lovanienſes, Atrebatenſes tres, tres item Cameracenſes, ac denique tres Luxemburgenſes (quibus poſtea quartus acceſſit) exiſterent, qui ſemel eo admiſſi non ſolum uſquè ad magiſterium in artibus & Philoſophia, verum etiam donec Theologiæ aut Iuris Canonici curſum abſolverint perſeverare poſſunt. His præeſt ordinariè vir gravis, doctus & probus, cui pro hoc tempore nomen eſt eximius Dominus ac Magiſter noſter Cornelius Reyneri Goudanus Sacræ Theologiæ profeſſor antiquiſſimus: & Divi Petri Lovanii Decanus, ejuſdemque Almæ Acadèmiæ Cancellarius.

Natus item fuit Luxemburgi virtute prudentia præclariſſimus vir, Dominus Anthonius Houſt Iuris utriuſq; Doctor. & Conſiliarii in intimo Regiæ Majeſtatis defunctæ & Principum noſtrorum Sereniſſimorum Concilio, honore, aliiſque plurimis titulis inſignis multiſq; nominibus commendabilis.

Extra Luxemburgenſe oppidum ad ejus partem orientalem trans fluvium Aleruntiã conſpici datur Manſfeldicum Palatium ad radices altiſſimarum rupium ab Illuſtriſſimo Principe Petro Erneſto Comite in Manſ=feldt / nec non patriæ Luxemburgenſis Gubernatore excitatum, opus videlicet

delicet incredibilis excellentiæ si omnia in eo accuratè spectentur, quæ digna sunt consideratione. Vt enim obiter rem hanc, & superficietenus tantum proponam, habet ea lympidissimorum fontium omni ex parte scaturientium abundantiam, qui subtus terram summa arte per tubos deducti ea irrigant loca, unde ex hoc conspicientibus plurimum delectationis, & utentibus resultet utilitatis non modicum. Erumpit autem hæc aqua viva per hortorum (qui ibi amœnissimi, & admodum spaciosi habentur arbustis, floribus, oleribus, & omnium plantarum generibus consiti.) diversas partes ubi & alvei, & vasa emittentes & excipientes ejusmodi aquam ex jaspide, marmore, alabastro & aliorum præstantium lapidum speciebus diversis, maximo videntur confecta artificio, sic etiam iidem fontes, prout rei necessitas aut oblectanda ratio exigit, grato perfunguntur ubique officio; Piscinis namque & magnis & minoribus quantum requiritur aquarum suppetunt. Itemque Thermis eleganter ibidem constructis, Sarcophagis etiam diversis ad usus quoslibet sese infundunt, adeò ut si nihil præter fontium hanc admirabilem emanationem inibi cernere liceret, esset utiq; unde homines maxi-

mam delectationis capessere possent occasionem. Iam verò si quis ædificia ipsa velit vel tenuiter recensere quam multa, magna, superba & affabre facta sint, librum molis non exiguæ conscribere necesse sit, undè & quantum ad hoc, supersedendum mihi existimo. Sic de pomeriis, hortis olerum, & florum areolis, item vivis sepibus, quibus vix quicquam elegantius in rebus humanis excogitari posset, ut quisquis eorum veram speciem apprehendere cupiat, illa eadem oculis propriis, longo otio usurpet. Picturæ itidem ubique conspiciuntur per hujus Palatii singulas partes, adeò frequentes & elegantes, ut hæ etiam solæ suum inspectorẽ in admirationem trahere debeant, quod eo usque humanum ingenium pertingere potuerit, ut ejusmodi proferret suæ industriæ foetus: inter cætera ostenduntur effigies quibus ad vivum infiniti propè repræsentantur priscæ & recentioris ætatis Principes, Monarchæ & Magnates, similiter & bellorum apparatus, exercitus armatorum, eorundem pugnas, Vrbium & Civitatum obsidiones, impugnationes & expugnationes, quibus præsertim ipse Illustrissimus Princeps Petrus Ernestus Comes in Mansfeld interfuit. Vndè trophæa etiam retulit sæpius, quorum memoria

memoria nunquam oblivione sepelitur. Denique statuæ hic diversæ staturæ & magnitudinis arte itidem præstanti cernuntur suis singulæ locis constitutæ. Imo & hujus artis sculptilis pleraq; prototypa ex remotissimis mundi partibus huc allata & pulchro situ ordinata existunt. Deorum videlicet Dearumque & aliarum antiquitatum ipsamet simulachra, quod certè & ipsum admiratione dignum existit quod scilicet res adeò singulares, & ab annis propè infinitis per pristinos possessores summa cura custoditas donari sibi obtinuerit ad ornamentum domus suæ Princeps perillustris. Ejus ego quoad extimam faciem, per Anthonium Stevens, Mechliniensem pictorem egregium delineatam imaginem in cupro insculpi, ad honorem dicti Principis, & elegantiarum studiosorum in gratiam procuravi; qua imagine propter sui parvitatem, titulus sive monumentum in frontispicio partis anterioris sæpe fati palatii lapidi marmoreo literis aureis inscriptum nequaquam exprimi potuit. Quamobrem ejus hic subjungere licuit copiam.

PETRVS ERNESTVS COMES EX MANSFELT, GVBERNATOR DVCATVS LVXEMBVRGENSIS, ET COMITATVS

MITATVS CHINI, EQVES AVREI VELLERIS, *Regij exercitus Mareschalcus, Concilij Status Senator, postquam annos lvj. ministerio invictorum, & Augustorum Principum D. Caroli Quinti Caesaris, & Philippi Regis Catholici deservivisset. Cum jam indè à bello, Afris: ad Thunet (quod primum militârat) omnibus penè in posterum expeditionibus, conflictibus, urbium expugnationibus interfuisset. Indeque Belgio domesticis motibus turbato, constantem in omnem partem, suam Caesari ac Regi fidem comprobasset, ac varios amplissimorum dignitatum honores. belli atque pacis munia administrasset, ad supremam indè à Rege Catholico totius Belgii, Burgundiaeque praefecturam accersitus extitisset, hos fontes atque aedes excisa rupe, valle complanata D. O. M. Regi D. suo, quibus immortales atque immensas agit gratias sua quod precatur senectutis tranquillitati D. D. M. D. LXXXX.*

Nullatenus sub silentio transire mei praesentis propositi ratio permittit, quin etiam obiter Theriotrophii, quod alendis feris servit, à praedicto Principe Comite in Mansfeldt ad palatii sui partes omnes excepta anteriori aedificavit. Id enim multis jugeribus terrae constans, itemque pratis, campis, vallibus, collibus, praecipitiis, dumetis, arbustis, vepribus, sylvis, stagnis, antris, & aliis fera-

rum habitationi percommodis abundans receptaculis, latissimum habet complexum, qui prævalidis muris per circuitum cingitur, præter insignes turres ac ædificia in eodem circuitu conspicua. Capax igitur existit hoc Theriotrophion ut aliquot cervorum, & damnarum centenis aliisque feris magno numero commodum præstat domicilium, prout & modo non minimam habet multitudinem, ad quam aliæ atque aliæ in dies accedunt variæ speciei feræ, undè plurimum delectationis contuentibus generatur. Atque hæc de Mansfeldico Palatio ejusque quibusdam pertinentiis tantum attigisse sufficiat.

IOAN. BERTELII HISTORIA PRINCIPVM LVXEMBVRGENSIVM:

Vbi de eorum ortu, progressu ac regimine, usque ad Albertum Austriacum.

TRACTATVRVS ea qua potero brevitate & veritate, non de Trojanæ urbis alteriúsve conditione, situ, profectu sivè excidio, sed de Luxemburgicæ domus origine, ejusque Principum genere, nobilitate, ac præstantia, lectorem inprimis meum rogatum enixè cupio, quatenus ejusmodi in hujus opusculi evolutione curet habere animũ candore nimirum & benevolentia affectum, qualem sibi vicissim data occasione ab aliis exigeret. Quod quidem si præstare mihi roganti non detractaverit, futurum spondeo ut exigui in legendo laboris impendendi pro rerum dignitate, & jucunditate inde profectura minimè eum pœniteat. Ecquid enim jucundius, & ut cætera taceam liberali, & ingenuo homini

 convenire

convenire magis, quam ſub ſuccincto verborum complexu, ortum, geſta, ſeriem, ſucceſſionem, ac denique occaſum quàm plurimorum Imperatorum, Regum, Ducum, aliorumque principum ac magnatum ex eadem quaſi radice promanantium, ſibi ob oculos propoſita intelligere, conſiderare, in eoque oblectari? Familiæ igitur (ut exordiar) ſive domus Luxemburgicæ caput, ac principium dico dediſſe Pharamundum magni Marcomiri filium, eumque Franconiæ orientalis Ducem: necnon Gallicanæ Franciæ primum Regem, qui circiter annum Domini 420. *Herbipolis* ſive VVirthenburgi diademate regio redimitus Argottam Cymbrorū Regis filiam poſtea in *matrimonium* ſibi aſcivit, atque ex ea hoſce ſucceſſivè liberos genuit. Clodionem crinitum (qui patrem in honoribus ſecutus eſt) Francionem & Marcomirum.

Pharamundus porrò ſtaturæ extitit mediocris, magnis verò & torvis oculis, barba item admodum atra, adeò ut in eum primum intuentes pavore concuterentur facile: fuit etiam Rex iſte Religionis Chriſtianæ prorſus expers, & à progenitorum ſuorum inſtitutione Paganus, attamen juſtitiæ, pacis, & legum civilium tenax, in morum etiam optima diſciplina populum

pulum continuit suũ, cui ut erat longè gratissimus princeps, ita ejus nimis citatus finis fuit admodum luctuosus proceribus in primis atque militibus. Obiit autem anno Domini 427. Inque ejus locum Clodio primogenitus surrogatus, necnon Regio sceptro insignitus fuit. Hic statim ut ætatem virilem attigit, magnanimum sese, atque generosum valde exhibuit, in id potissimum, ut hæreditatem à patre acceptam in dies auctiorem redderet. Hac igitur de causa exercitu prægrandi collecto, vicinos Regni sui limitibus imminentes fortiter aggressus, eosdem vi & armis loco cedere compulit, atque sic voti compos effectus, Paternis dominiis plurima adjecit. Vxorem habuit Basinam VVidelphi Thuringiæ Ducis filiam, ex cujus complexu, filios quatuor produci accidit, Phrisonem scilicet, Alberonem, Reginaldum, atque Raucharium: inter cætera autem ejus edicta strictè sanxit, quatenus Galli sui luxuriare comam sinerent, quo scilicet sese à Romanorum jugo ac servitute liberos palam contestarentur, cum hi econtra capillitium gestare in servilis conditionis signum prohiberentur. Hinc etiam Clodio iste Francorum Rex criniti sive capillati cognomen sortitus est. Civitates munitas admodum, &

perantiquas Treverim, Metas, Tullum una cum aliquot Brabantiæ oppidis vi expugnavit, Nervios, item circa Carbonariam sylvam commorantes domuit, & è Romanorum potestate eruit, Morinos præterea & Hannoniæ provinciam in suum jus virtute armorum redegit. Phriso hujus maximus natu filius in quodam conflictu, sagittæ ictu fortuito percussus juvenis adhuc interiit, quæ res adeò patrem contristavit, ut statim febri admodum acuta corriperetur, & gravibus longo tempore doloribus confectus, ipse ibidem mortem obiret Regni sui anno vicesimo. Sub mortem, dum quasi certo, eam sibi imminere præsentisceret, convocatis Regni sui primoribus iisque præsentibus testamentum suum more avorum condidit, eoque præter reliqua, postquam uxorem ad liberalem, & tanto gradu dignam filiorum superstitum educationem, maternumque amorem & vicissim hos de amore in matrem filiali una cum debito honore & reverentia ab iis exhibenda serio cohortatus esset, disposuit ac declaravit Merovingum (quem naturalem ejus filium ajebant) equitum exercitus Regii fortissimum, maximeque fidelem Magistrum, eorundem suorum filiorum adhuc minorennium fore tutorem atque protectorem, simulque

mulque Regni, donec ad ætatem legitimam perveniſſent, ſummum adminiſtratorem, quo ejus prudentia, virtute & armis, quibus multum valebat, Regnum ipſum cæteræque adjectæ Provinciæ à Romanorum, VVandalorum, & Gotthorum invaſione, direptioneque defenderetur. Ad quod quidem pro poſſe præſtandum dum Regi ſeſe ſacramento conſtrinxiſſet Merovingus, Rex ipſe vitam cum morte commutavit, & Cameraci terræ mandato ejus corpore Epitaphio ſequenti apud poſteros memoria & fama celebri immortalitatem promeruit.

Quæ Pharamundus erat furioſo Marte meritus,
Clodius armata quæſiit arva manu.
Hic Tungros domuit, Celtas, Sequanamque fretavit
Ac Ligeris populis, prælia ſæva tulit.
Gallorum juſſit redimiri tempora longis
Crinibus, ut nomen cui coma longa dedit.
Romanos varia concuſſos cæde fugavit,
Ipſe metus Gallis, gloria, lauſque fuit.
Tandem qui letho vincebat, febre ſubactus,
Concuſſuſque ſimul corpore, morte luit.

Merovingus igitur Regiarum prolium poſſeſſionumque earundem adminiſter., fidei à ſe Regi datæ egregiè

reſpondens, virum ſeſe præbuit ad annos complures ſtrenuum, & ducem belli fortiſſimum, hoſteſque omnes à finibus Provinciarum ſibi concreditarum virture, & armorũ robore coercuit, adeoque quidem ut ejus nominis fama etiam apud Hunnos, Gotthos, Oſtrogotthos, Nortmannos atq; Romanos hoſtes ſuos infenſiſſimos celebratiſſima redderetur, & nomen indies magis magiſque glorioſum. Dum porrò Regis filii ætate pupillari exacta eo prudentiæ & rerum gerendarum peritia pertigiſſent, ut alterius ad id ſubſidio non admodum indigere judicarentur, Merovingus Regni Franciæ, & Provinciarum adjunctarum gubernacula eatenus ſibi impoſita, in ipſos Regis filios præſentibus Regni proceribus libere reſignavit, inſinuans ſeſe deinceps à tantis curis vacuum, velle ſibi tantum in propriis bonis vivere; Hoc ita accidiſſe, cum perſpexiſſent Romani, quos eò uſquè temporis à Franciæ reliquarumque conjunctarum Provinciarum limitibus, Merovingus præſtanti ſua virtute prohibuerat, copioſa militum manu conſcripta, Regnum ipſum, & quicquid de jure Regiarum prolium erat invadere, nec non depopulari meditabantur: cujus conſilii Regni proceres effecti certiores Merovingum accedunt, ob-

obtestantes majorem in modum, quatenus Regni propugnationem nomine filiorum Regis adhuc ad bella præsertim adversus hostes adeò pugnaces gerenda nimis imbecillium, in se denuo suscipere vellet, & uti anteriori tempore fecerat, hostiles phalanges à suis finibus arcere conaretur. Tum Merovingus propriæ gloriæ & utilitatis cupidine titillatus, quod conspiceret eos præsenti necessitate admodum arctari, nec habere ad manum, qui hisce in angustiis opem commodè ferret, sic consternatis sese neutiquam ipsorum esse Regem respondit, nec proindè posse, aut velle tanto cum propriæ rei, ut antea fecerat, dispendio, alienis servire commodis. Illi quò ejusmodi prætextus vergeret, prudenter advertentes quamquam Regis filiis, utpotè verè propriis suis Dominis, fidelitatis fœdere obstricti essent, iisdem invitis, ac reclamantibus, quo Merovingi fœlicib⁹ auspiciis hostium vim, & tyrannidem, jam jamque cervicibus ipsorum imminentem, evaderent, eidem sese, & omnia sua unà cum Regno unanimiter dediderunt. Qua ex re jure merito Regina regiorum filiorum mater commota, in suæ nativitatis locum, Thuringiam scilicet, tanquam securum à Merovingi grassatione asylum eos ablegavit, ne

in perduellionis hujus truculentas manus incidentes certam in necem incurrerent. Merovingus interim via isthac & occasione prælibata, Dominis suis, dominio privatis, eorum possessiones occupavit, & Regni Francorum diademate insignitus, ab omnibus subditis in Regem susceptus, Regni quosvis hostes brevi tempore expugnavit.

Paucis inde transactis annis Albero Regis filiorum primus, provideque Regni hæres indubius, ætate, corporis robore, & animi virtutibus abundè præstans, de modo tractare cœpit, quo injuriam sibi à Merovingo illatam vindicare, nec non Regnum aliaque dominia nequiter ab eodem occupata, denuò recuperare posset, atque in hac quidem consulatione occurrit nihil præsentius, quàm ut amicitiam iniret cum infensioribus Merovingi hostibus: Hincitaque Argottam Theodemiti Gotthorum Regis filiam matrimoniali sibi vinculo copulavit, & tum soceri sui ope, auxilioque non minimam patrimonii partem à Marcomiro detentam, & occupatam ex hostium faucibus eripuit, nominatim autem Ardennam, Alzatiam inferiorem, Brabantiam, Cameracum, atque Tornacum sua postliminio effecit, unde & Regis Cameracensis

censis vocabulo nuncupatus dicitur. Ex uxore porrò Argotta prænominata, VVaubertum; & præter hunc quatuor filios suscepit, qui omnes præter primum VVaubertum è vivis in infantia excesserunt. Solebat autem Albero ut plurimum nemus Carbonarium incolere, inque eo gentilitio ritu Idolis sacrificare. Vt verò Merovingi manus ipsi continuò insidiantis evadere posset, Montem Hanoniæ Metropolim in densissimarum sylvarum medio sibi in propugnaculum fortissimum exstruxit, ubi pro majori temporis parte agens, rationem secum sollicitus inquirebat, qua totum Regnum in solidum in suam reduceret potestatem, nec non ipsum Merovingum una cum posteritate ad internecionem deleret, qualem itidem cogitationem ipse Merovingus in Alberonem & ejus parentelam gerebat. Iste tandem Merovingus dispositione facta bonorum suorum, in filiorum quos in filia Regis Burgundiæ uxore sua procreaverat, fatis concessit, eoque defuncto Childericus natu maximus filiorum ei in Franciæ Regno successit Anno Domini circiter 458. Hic Childericus in ipso Regni initio turpem admodum, sordidam & impudicam vitam ducebat, adeo quidem ut nobilium & procerum Regni sui pas-

sim

ſim thorum maculare non vereretur, ſed eorum uxores ad libidinem ſecum exercendam pertraheret, quo nimis improbo agendi modo, ſubditorum in ſe acerrimum provocavit odium, ita ut etiam ad Regem invadendum arma corriperent: Childericus itaque anno Regni ſui quarto dum in eas deveniſſet anguſtias, ut ſeſe à propriorum ſubditorum impugnatione propugnare non poſſet, neque uſpiam per ampliſſimum Regni ſui ſpatium ſecurus conſiſtere, fugam ſecretò iniit, Metamque civitatem petiit, ubi à Gubernatore ſupremo honorifice admodum, & regio apparatu exceptus, hoſpitio aliquamdiu commoratus eſt. Interea verò ad priſtinam vitæ ſpurcitiam rediens loco gratitudinis in hoſpitem rependendo, in uxoris ejus amorem vehementer exarſit, eamque amplexibus adulterinis turpiter fœdavit.

Franci porrò, ut Regem ſuum turpiter aufugiſſe compererunt, Gunebaldi cujuſdam ſummæ apud illos auctoritatis viri conſilio & ſuaſu Gilettonem tunc Regni vicini Sueſſionenſis nomine, Romanorum ſupremum Gubernatorem in Regem Franciç delegerunt, & in Throno Childerici deſertoris Règis ſedere fecerunt. Hic itaque Rex Franciæ effectus, prioribus

octo annis magno cum omnium applausu regium munus obivit; verum isto jam tempore satis tranquillo exacto, tyrannide intollerabili in suos grassari exorsus est, atque id præsertim exactiones extorquendo tantas, donec penè nihil amplius eis restaret, unde commodè sese sustentare possent: hinc illi in seditionem conversi adversus Regis improbitatem arma corripiunt, & quod prece non poterant obtinere, eum ab incepto manu valida fortiter cohibent. Tum Childericus eatenus Regno destitutus & absens spe recuperandi ejus præconcepta ad locum suum unde fuga sese præripuerat reversus, ad sceptra pristina postliminio per Regni proceres, aliosque subditos honorificè admissus est, ac deindè adversarium suum Gilettonem Regni invasorem, qui jam Aurelias usque limites Regni dilatârat, repressit, & à Francorum oppressione ulteriùs exercenda cohibuit. Similiter in quosvis Regni hostes arma vibrans, præsertim autem cum Clodionis posteris continuum bellum gerens, prudenter admodum & fortiter sese Childericus Rex habuit, unde & adversariorum copias, fudisse, superasse, & fugasse eidem non raro accidit. A reditu insuper suo in Regnum benignus, atque mansue-
tus

tus in subditos extitit, quare & sui vicissim eum magno affecto honore, atque officiis quibuslibet in finem usque prosecuti sunt.

Childerico è vivis sublato, filius ipsius Clodovæus ætatis anno decimo quinto Regiam dignitatem adeptus est. Cumque necdum è Paganismo ad fidem Christianam accessisset, Gundebaldi Burgundionum Regis neptem, forma elegantem, summæq; prudentiæ puellam sibi in conjugem expetiit: at Burgundiæ Rex primo quidem ideò renuit, quod Clodovęus veræ religionis esset exors, postmodum tamen, ubi mediantibus quibusdam amicis sponsione facta à Clodovæo de abjurando Paganismo, & Religione Christiana amplectenda instantius rogaretur, Burgundiæ Rex petitioni Clodovæi annuit, eique neptem in sponsam tradidit. Clodovæus igitur voti compos effectus, & Regio apparatu apud Suessiones susceptus est: Veruntamen promissi immemor ad Idolorum ut antè culturam rediit, in eaque perstitit donec divinitus ad frugem meliorem quodammodo compelleretur: Nam cum Germanos bello aggressus esset, & in maximum vitæ incurrisset periculum, votum Deo mente tenus nuncupavit sese Christianæ religioni circa ulteriorem mo-

ram nomen daturum, si divino munere isthoc periculo liberatum victoriam de inimicis obtingeret reportare. Vicit igitur & ilico per ministerium D. Remigii Rhemensis Ecclesiæ Antistitis sacro ablutus Baptismate, ac consequenter oleo cælitus per angelum allato in Regem inunctus est & insuper in lilia aurea è cœlis à Deo demissa, Regis insignia, quæ priùs buffones præferebant, fuere immutata.

Clodovæus itaque Francorum Rex, posteaquam Christianorum albo cooptatus est, mirum quam gloriosus evaserit, quamque prosperum in bello, quod ipsi potissimum cum Brabantiæ, & Flandriæ conterraneis intercedebat, successum obtinuerit. Præfixerat autem vicibus suis perfuncturum (ob locorum maximam intercapedinem) dictis Brabantiæ, & Flandriæ provinciis Austrasium quendam, qui eam ob rem Tungrorum, Brabantiæque sese Ducem indigetabat. Hic Austrasius ab Alberone, & fratribus atroci pugna invasus, adeò fortiter obstitit, ut parta de hostibus victoria, ipsi insuper Alberonis fratres ab ipso vincti caperentur, quos & ipse protinus adhibitis custodibus, ad Franciæ Regem destinandos curavit. Rex porro captivos hosce ut conspexit ad se adductos, in furorem conversus districto

gladio

gladio manu propria eosdem trucidavit, & exindè regnum ac possessiones ipsorum nemine obsistente invasit, usurpavitque.

Cum istiusmodi cædem in Clodionis posteritatem exercuisset Clodovæus, ratus totam eam prosapiam è medio hac ratione sublatam, ipsum Austrasium potioribus quam ante muneribus honoravit, atque dominia quamplurima ejus fortitudine Regi acquisita: Regnum Austrasii vocari voluit, ex quo quidem tempore, & deinceps donec Regnum istud in diversas, variasque partes secaretur, singulisque Dominis ipsæ assignarentur singulæ, ejusmodi nomenclaturā obtinuit. fuit autem istud Austrasii Regnum longè vastissimum, complectens nimirum Provincias admodum grandes & illustres perplures, utpotè à finibus superioris Burgundiæ initium ducens, finem verò sortiens in mari Frisiæ, atque suo sinu complectens, quicquid inter Rhenum & Schaldim nominatissimos fluvios situm comperiebatur, Vltrajectum. scilicet cum appendicibus, Coloniam Agrippinam, Treverim, Moguntiam, Metas, Verdunum, Tullum, Brabantiam, Geldriam, Cliviam, Hollandiam, Zelandiam, Hannoniam, Agrum Leodicensem, Luxemburgum, Alzatiam, Palatinatum,

tum, Ardennam, Barrum, Ducatum Lotharingiæ, isti inquam limites, seu potius partes extitere Regni Austrasii, quod modo videmus in quam plurimas partes, dominia & principatus dissectum.

Dum hæc sic sese haberent, solebat interdum Clodovæus fingere dolorem de eo, quod Clodionis stirpem tanta crudelitate occidisset, atque ideo sese optare ajebat, ut vel unus inde oriundus superesset: quæ quidem subdolus eo proferebat consilio, ut si fortassis quisquam blanditiis ejusmodi illectus prodiisset, hunc uti cæteros protinus è medio tolleret: Sciebat namq; propria redarguente conscientia, nullo jure Regnum sese Franciæ occupare, quod omnino ad Clodionem ejusque posteros certò spectabat. Stragem porrò à Clodovæo exercitam evaserat. VVanbertus Alberonis ex Argotta, uti antea diximus, filius, adeoque Clodionis capillati ex filio nepos, qui interdum Belgicas ditiones, quas à patre hæreditaverat, incolebat; interdum verò in iis Aquitaniç partibus quas à matre sua Theodorici Regis Italiæ sororis acceperat, degebat. Hic Lucillam Zenonis Imperatoris filiam uxorem duxit, ex qua filios suscepit duos, Anselbertum videlicet & VVanbertũ. Hos Merovin-

gi posteri subverentes, ne aliquando successu temporis in Clodionis avi ipsorum Regna, & possessiones postliminio redirent, conati sunt, uti cæteros, neci dare. At pater eorũ VVanbertus, eorum insidiarum factus certior, filios suos præfatos Romam ad Zenonem Cæsarem ipsorum scilicet avunculum ablegavit, à quo ut & à Theodorico Argottæ aviæ eorundem fratri perquam honorificentissimè, prout eorum postulabat conditio, suscepti sunt, & ab omni periculo insidiantium hostium erepti.

Romani, ut Imperatoris nepotes in urbem appulisse compererunt, accepta exinde Augusto congratulandi causa ipsos in Senatorum ordinem asciverunt; ad quod quidem munus vocati, dum jam in viros excrevissent, egregiis effulsêre virtutibus, nec non tam in bello, quàm in pace in Iurium Cæsareorum tuendorum munere sese exhibuere præstantissimos. Ex quo etjam prout decebat, Imperator ipse non modo naturali, verum etiam singulari, veroque eorum virtutibus digno amore ipsos complectebatur. VVanbertus tandem pater horum rebus humanis exemptus est, annum Domini circiter IↃXXVIII, cui & subsequens insigne Epitaphium posuerunt superstites amici.

Qui Deos quondam coluit paganos
Ritibus doctus, fide Christiana
Clarius multo patribus peregit
Aurea sæcla.
Regibus natus, Ducis ampla gesta
Posteris liquit, fideique zelo
Præsules natos pietate summos
Protulit orbi.
Inde Romana regionis alma
Prodit Ansbertus sapiens Senator,
Cujus ex ortu tetigit choruscans
Sydera virtus.
Non pater tantum solio Ducatus
Splendivit terris animosa proles,
Sed pari divum numero relata
Numine fulsa.
O satis fœlix Lotharena tellus,
Quæ Duces tantos genuisse digna es
Gentium Divi, quibus & rebelles
Terra dedêre.

Zeno Imperator, summæ prudentiæ, quantum ad Rempublicam politicè administrandam, vir, sed hæresi Arriana infectus, anno Imperii sui decimo septimo mortem obiit, cui in ea functione Anastasius itidem pessimus hæreticis suffectus est. hic in Christianos vereq; fidei cultores tanta rabie grassatus esse dicitur, ut vel ejus rei relatio horrorem humanis afferat mentibus: solebat autem in sedis Apostolicæ contumeliā istiusmodi sententiam proloqui: Nos Pontifici &

aliis jubere volumus, non autem ab aliis juberi: Tandem temeritatis suæ justas exsolvens pœnas, fulmine desuper à Deo percussus interiit miserè.

Horum Augustorum temporib⁹ SanctiMammertus Viennæ, & Remigius Rhemis Galliarum civitatibus, Præsules vitæ sanctitate, & sapientia clarissimi effulserunt.

In impii Anastasii Imperatoris locum, Iustinianus piissimus sacratissimusque Catholicæ religionis propugnator subrogatus, statim omnes Arrianæ perfidiæ Episcopos sedibus suis exturbavit, & ab his prius ejectos in exilium Catholicos summo studio revocari curavit, nec non singulos suis restituit Ecclesiis, favoreque summo, quoad vixit, prosecutus est. Iustiniano Cæsari christianissimo anno Dominicæ incarnationis quingentesimo vicesimo octavo, ex hac mortalitate subtracto, Iustinus ejus ex sorore nepos successit. Hic prædecessoris sui nepotes prætactos, Anselbertũ & VVambertum magno coluit affectu, honoreque affecit singulari, eorum præsertim infortunio condolens, quod ab avita, hæreditate per Merovingorum tyrannidem explosi essent, atque natale solum deserere coacti.

Regnabant eo tempore in Francia quatuor Clodovæi filii, Theodoricus, Clodo-

Clodomirus, Clotarius & Childebertus, qui ex æquo paternam hæreditatem patre defuncto inter se divisserant: horum natu maximo Theodorico nomine, licet illegitimo concubitu procreatus, obtigit Austrasii Regnum, & quia Metis pro majori temporis parte residere solebat, Rex Metensis vulgo cognominabatur. Erat autem hic simul Lotharingiæ inferioris Dominus, nec non & sacri Romani Imperii super Schaldim Marchio.

Porro Clodomirus Aurelianensis, Clotarius autem Suessionensis, Childebertus verò Parisiensis, Reges effecti sunt. Hi quidem etsi ægrè ferrent, fratrem suum Theodoricum ex concubina Arileca vocabulo natum, partem etiam cum ipsis in paternis bonis accepisse, cum tamen ab ejus temporis moribus minimè abhorreret, ferendum existimârunt, donec ipso Theodorico è vivis sublato, ejus unicum filium Theodobertum parte illa per hæreditariam successionem ipsi obtingente inito consilio privare decreverunt. Quæ equidem conspiratio statim atque ipsi Theodoberto innotuit, ut sese adversus imminens periculum oportunè communiret, generi sui Caroli Hasbani Tungrorum Ducis, utpotè unicæ filiæ suæ Clotildis nomine mariti, auxilium imploravit.

Carolus igitur Dux, sua etiam id negotii interesse ratus, nihil prius, nihil antiquius habuit, quam ut Regi socero suo suppetias ferre studeret, atque inprimis visum fuit non inconsultum fore ut ad Cæsarem mitterent, ejusque favorem auctoritatemque instantius implorare prævenirent, atque ut certius voto potirentur suo, obtulit ipse Austrasius Rex, tam proprio, quam posterorum nomine Regnum suum fieri Imperio feudale. Ejusmodi igitur à Rege, Duce, & proceribus habito consilio, legatio imponitur ipsi Carolo Duci apud Cæsarem obeunda. Qua lubenter suscepta provincia, cum potestate plenissima tractandi, & conveniendi cum Imperatore, dummodo pacatè Regnum suis maneret possessoribus, Carolus, Tungrorum Dux iter ingreditur Constantinopolim versus, eo ut devenit, ad audientiam Imperatoris admissus, adventus sui causam mira verborum eloquentia exposuit, nec non pro subsidio, auxilioque enixissimè supplicavit. Tum Imperator à re proposita divertens; Miror (inquit ad Carolum Ducem) socerum ac dominum tuum, cujus nomine legationem istam exequi decrevisti, ea uti temeritate, ut nostram sacri Imperii Marchiam ad Schaldim sitam (continentem videlicet sinu suo

Antverpiam,

Antverpiam, Gandavum, Teneremundam, Tornacum, Mortaigne, Condeum, Valencenas, & castra circum ex utraque parte fluminis constituta) contra æquitatem, & præter Imperialis nostræ majestatis scitum, & consensum usurpare audeat, cum hæc non ad Francorum, sed ad Romani Imperii jura indubitatè pertineant;

Ad hæc Cæsaris verba supra quam dici potest obstupuit Dux Carolus, qui ea de re nullam prius audiverat quæstionem. Resumpta tamen loquendi fiducia, ejusmodi responsum modestissimè dedit Imperatori Augusto. Scio equidem, ô invictissimè Cæsar, Theodobertum Austrasiæ Regem, patrem ad Dominum meum sacri Imperii Marchiam super Schaldim obtinere; attamen non ita in ejus possessionem devenit, ut eam à quoquam vi, aut armis per injuriam extorsisse dicendus sit, sed quod ab Avo suo Artsardo (cui in perpetuam hæreditatem Constantius, magni Constantini pater eandem donaverat) ut hæres legitimus post alios intermedios successerit. Ad quod Imperator: Non inficior (inquit) Constantium prædecessorem nostrum, Duci Artsardo in recompensam obsequiorum Imperio præstitorum Marchia ista honorasse, verum sic ut ad ejus posteros, eo vita functo

transiret, cùm non hæreditarie, uti dicis, sed tantum ad vitam suam ejusmodi Cæsarea munificentia fuerit auctus: unde & jure merito foret integrum Imperatori dictam Marchiam in suam reducere potestatem. Carolus Dux verbis, & rationibus Cæsaris pene convictus, summoperè verens, ne si ulterius in defensionem juris soceri sui Regis quicquam replicaret, non solum nihil ea in re proficeret, verum etiam in indignationem Cæsaris incurreret, atque ideo cum omni spe subsidii, quod expetebat, frustraretur, prompto & alacri animo, quidquid juris in Marchia super Schaldim Theodoberto competebat, in manus Cæsaris resignavit. Hinc postera die, considentibus quam plurimis Principibus, & Imperii proceribus, ipso etjam Duce Carolo præsente, Imperator nepoti suo ex filia Anselberto Senatore Romano, eo temporis in aula agente, Marchiam sacri Imperii super Schaldim in hæreditatem perpetuam pro se, & posteris suis consignavit, eumque de eadem solemniter investivit, reservata nihilominus circa eam Romani Imperii suprema auctoritate.

Isthæc, ut peracta fuere, Imperator Regi Theodoberto adjutorium, quod adversus patruos suos experierat addicit, & ejus Regnum una cum

Lotharingia

Lotharingia inferiore, sub suam recepit protectionem, atque consequenter Carolus Tungrorum Dux ex parte Regis Theodoberti soceri sui, illud à Cæsare feudum, prout condictum erat, accepit. Denique cùm ad aliquot inde dies Carolus Dux à Cæsare fuisset humanissimè tractatus, tandem ut ad Regem Theodobertum regrederetur dimissus est, dato ei, & adjuncto in itineris comitem Anselberto, Senatore sacri Romani Imperii, recens creato Marchione. Mandavit autem Imperator strictissimè suis litteris, ad Suessionensem, Parisiensem, & Aurelianensem Reges datis, ne deinceps quicquam Regi Austrasiæ Theodoberto ipsorum nepoti molestiæ inferre, ratione sui Regni præsumerent, quippe cujus propugnationem adversus quoslibet infestantes, tanquam membrum insigne Imperii nuper effectum suscepisset. Ipsum denique Theodobertum hortatur seriò, quatenus deinceps omni jure in Marchiam super Schaldim nudatum se esse profiteatur, necnon transactionem sive resignationem dictæ Marchiæ per Carolum Ducem, nomine ejus factam, ratam habeat, & perpetuis temporibus valituram: Cui mandato Cæsareo lubens acquievit Rex Theodobertus.

Porrò cum in Franciam Dux Caro-

lus, una cum Marchione Anſelberto, & numeroſo nobilium comitatu appuliſſent, Clotarium in primis Sueſſionæ Regem adierunt, eique Cæſaris voluntatem, & decretum inſinuârunt. Clotarius igitur Rex, ut Anſelbertum tantæ eſſe apud Imperatorem æſtimationis perpendit, ratum, gratum, & inviolabile habuit Cæſareum decretum, necnon filiam ſuam Blitildam in amicitiæ incrementum, majoremque firmitatem ipſi Anſelberto Marchioni in uxorem tradidit, cum qua deinde & reliqua familia Tungros à Carolo Duce deductus, ab eodem admodum honorificè ipſe Anſelbertus exceptus, & exhibitus eſt. Indè tandem in Brabantiam profectus, Marchiæ ſibi hæreditariè à Cæſare collatæ poſſeſſionem accepit, eique magna cum prudentia, & omnium congratulatione præfuit.

Excitavit autē Anſelbertus ex uxore ſua Blitilda, Clotildæ Clotarii Sueſſionum Regis filia, proles maſculinas quatuor, & unam fœmellam, Anchiſen ſcilicet alias Arnoldum, qui patri in Marchionatu ſucceſſit, Ferioldum qui Epiſcopus Trajectenſis, & Martyr effectus eſt, Medericum Epiſcopum Antiſiodorenſem, Condulphum, & Tarſitam, quæ vitam in virginitate ducens, & divinis obſequiis ſingula-

ti devotione intenta ſanctorum albo inſcribi meruit.

Vivebant ea tempeſtate, inſignia Eccleſiæ Chriſti columina Sanctus Benedictus Abbas Monaſtici ordinis in occidente inſtitutor, & Dux celeberrimus, ſancta Scholaſtica ejus ſoror Abbatiſſa, Brigida virgo nobiliſſima Scotiæ, Patritius Scotiæ Archiepiſcopus, Maurus Abbas, Leonardus Monachus, Columbanus Abbas, aliique viri vita & ſanctitate clariſſimi, Priſcianus vir longè doctiſſimus.

Accidit autem ut Clotarii ambo fratres germani ſcilicet Clodimirus Aurelianenſis, & Childebertus Pariſienſis Regis abſque prolibus morerentur, ſimiliter & Theobaldus Theodoberti filius Auſtraſiæ Rex, unde ipſi Clotario ſuperſtiti adhuc jure propinquitatis omnes omnino dictorum defunctorum poſſeſſiones obtigerunt, adeoque ipſe totius Regni Galliæ Monarcha evaſit. Quod cum ſibi præter expectationem, & ex inopinato contigiſſe conſideraret, munificum ſeſe Anſelberto Marchioni genere ſuo exhibere decrevit, eidemque univerſam Moſellæ Provinciam, agrum Moſellanum à Metenſi civitate, Coloniam Agrippinam verſus ducentem, & eum qui nunc Luxemburgicus dicitur, cum vicinis quibuſdã aliis territoriis comprehen-

prehendentem possidendum tradidit. Demum Clotarius ipse gravi infirmitate tactus, & sibi mortem esse vicinam advertens, in hæc verba cum suspirio prorupit. Vah quàm metuendus est cœli Deus, qui sublimiores terræ Reges suo subvertit nutu. Quibus dictis statim animam in faciem provolutus efflavit.

VVanbertus Romanus Senator Anselberti germanus frater, patri VVanberto jam defuncto in Ardennæ & Hannoniæ Principatibus successit, ac Clotildem Almarici Regis Italiæ filiam eleganti specie virginem sibi matrimoniali vinculo copulavit. Huic Clotildi quamvis non modica suppeteret occasio, unde in luxu & mundi deliciis vitam duceret præsentem, à Spiritu tamen Dei præventa, omnes carnis illecebras forti & constanti animo despexit, & magnam vitæ pietatem cum conjugali castitate conjunctam servavit: jejuniis insuper aliisque corporis attritionibus, nec non largissimis in pauperes eleemosynis perpetuo intenta. Quibus quidem Christianæ pietatis officiis in tantum apud homines ejus opinio profecit, ut dum diem extremum clausisset, nullus dubitaret eam ad cælestem perpetuam mansionem à Deo bonorum remuneratore esse assumptam. Nec id

quidem

quidem immerito; relucebat enim in ea, quam diu in hac mortalitate egit, totius virtutis & sanctitatis gratia, adeò, ut non solum propriam salutem sollicitè curaret, sed & maritum præcipuè, & filios, quos binos ipsi pepererat, singulos prout eorum exigebat status,& conditio, ad vitam justè, piè, & sobriè traducendum exhortaretur.

Qua ex re plurimum delectatus VVanbertus ejus maritus, & ipse in pietatem valdè propensus, tanto eam amore complexus est, ut ea præmaturè ad alteram beatioremque vitam evocata, nullatenus ad secundas transire nuptias consentiret, sed potius ab omni conjugis consortio separatus, ea tantum quæ domini sunt animo recogitaret; & factis studiosè in cælibatu persistens exprimeret: filii similiter pietatis & religionis maternæ insignes imitatores, ea præstiterunt, quæ talium parentum gnatos condecebat. Horum prior VVanbertus nomine, patri in dominiis suffectus est. Posterior verò Brunulphus vocabulo Cambresii Comes evasit, habuitque filiũ Brunulphum etiã nuncupatum, qui consequenti tempore Lydulphum sanctæ Agyæ Principissæ Hannoniæ maritum genuit. De horum rebus gestis latius agere, cum mei in præsenti non sit propositi, supersedendum arbitror,&

ad

ad institutam seriem, sivè genealogiam Luxemburgensium Principum prosequendum, unde paululum digressus sum, redeo.

Anchises igitur, qui & Arnoldus cognomento Buggisus, Anselberti Senatoris Romani, Marchionis super Schaldim, agriq; Mosellani, prout diximus, Domini, VVanberti senioris, ex Lucilla Zenonis Imperatoris filia majoris natu filii primogenitus, uxorem accepit Odam Guizonis Ducis Sueviæ filiam, & patri suo Anselberto paulo post defuncto ejusmodi Epitaphium posuit.

Vagos Mosella fluctus extollas tuos
Sublimiori Olympo, qua Anselberti Ducis
Rigas solum natale. Tu Tyberis quoque
Flavas arenas alveo vomas tuo,
Cui Roma quondam sibi Senatoris loco
Voluit praesse Mosellanum Principem,
Arcus triumphales, Roma, tui corruant,
Sit Martius campus, sit circus maximus
Desertus, almis bellatoribus suis
Iam procidant Capitolii fastigia.
Quid est enim, lector nobis praclarius
Virtute, qua magnus Princeps hic floruit?
Cedant, & ô victi, arva vestra flumini
Claro Mosellano multis paribus jugis
Arata fortium boum, qui fertilem
Lotharingiam nunc faciunt lectus segetibus,
Aquilas amicas habuit, sed & lilia
Collegit, ac fortunam vicit acriter:

Quin

Quin prole suscepta vixit beatius,
Virtutibus claris decumbit glorius,
Quaeso, viator, quid restat tanto Duci
Nisi ut sit ex Heroe factus nunc Deus?

Defuncto itaque Anselberto Senatore Romano, necnon Marchione, ut praefertur, super Schaldim, eodemque Agri Mosellani Domino, possessionum ejus haeres universalis effectus est Arnoldus, sive Anchises, quem supra ipsius primogenitum fuisse ostendimus, procreavitque ex conthorali sua Oda, Sueviae Ducis filia, filios tres, & quatuor filias, videlicet Arnulphum Principis successorem, Modoaldum Archiepiscopum Trevirensem, VVandelinum sanctissimum Monachum, Afram sanctam, Severam sanctam Abbatissam Trevirensem, Odam, & Guizam, Geruini Ducis Lotharingiae uxorem. Iste Geruinus fundator extitit amplissimi Monasterii Mediolacensis super Saram fluvium, ordinis Divi Benedicti.

Regit autem Anchises, sive Arnoldus unà cum uxore bona, quae ipsi haereditario jure obvenerant, annis quam plurimis, & donec senio jam inciperet confici, Spiritu sancto, quo penè tota ejus soboles erat jam praeventa, inspirante, petita, & accepta à conjuge facultate, spretis mundi divitiis, in eremum concessit, atque inibi Domino

no Deo ſanctè, & ſedulo ſervivit, & tandem dierum plenus, annum Domini circiter ſexcenteſimum nonum Creatori reddidit animam.

Hoc etiam ævo Eccleſiam Dei ſanctitate vitæ & ſapientiæ doctrina illuſtrabant ſanctiſſimi viri, Goar Trevereníis, Gallus, Abbas Rupertus, Remaclus & Eligius Epiſcopi.

Arnulphus denique Anchiſis filiorum natu maximus, luctu ſuper mortem prædilecti patris exacto, cæpit & ipſe eodem quo pater in vitam religioſam, & à mundi ſtrepitibus remotam propendere animo: adeò, ut niſi bonum publicum cujus procurandi onus ei incumbebat, & amicorum preces, & diſſuaſio obſtitiſſent, ipſe protinus cunctis poſſeſſionibus dimiſſis, religionis monaſticæ ſtatum arripuiſſet: Veruntamen ut ſe non ſibi ſoli natum, ſed maximè reipublicæ cauſa laborandum audiſſet, conſulentium placitis potius, quàm opinioni propriæ acquieſcere elegit. Proinde cum ipſas à patre ſibi obtingentes Provincias, utpotè Marchiam ſuper Schaldim, & Moſellanum dominium, tum etiam alia aliundè ſua effecta magnas ſcilicet Aquitaniæ, & Regni Auſtraſiæ partes ſubiit adminiſtrandas, necnon Dodam, VViberis Comitis Bononiæ filiam, in conjugiũ accepit: Quinetiam

cum

cum eum Clotarius Franciæ Rex, ob eximias, qui in eo relucebant virtutes, & sapientiam summo prosequeretur amore, ipsum in magnum, palatii sui Regii, Maierum assumpsit, necnon eum simul in adolescentiæ filii sui Dagoberti moderatorem ordinavit, cujus etiam præclara institutione Princeps evasit Dagobertus laude dignissimus.

Arnulpho Principi peperit uxor filios tres, Clodulphum Ducem Mosellanum, & Comitem Palatinum, Anchisen sacri Imperii Marchionem, & VValchiisum Seneschalem, & Comitem Verdunensem, qui filiam habuit sanctam VValtrudem.

Ipse verò Arnulphus, dum complures annos munus sibi incumbens maxima cum laude obivisset, secularis principatus, & ejus pompis pertæsus, cum uxoris consensu eremum petiit, ubi summa cum vitæ austeritate, & corporis maceratione Dei obsequiis totus intendit. Similiter & ejus uxor pii conjugis vestigia insequens Treveris Monialiũ ingressa est Cœnobium, atque inibi jejuniis, vigiliis, orationibus, & aliis religiosis exercitiis reliquum dierum suæ peregrinationis absolvit, & cum laude, non sine sanctitatis opinione, animam Christo Domino reddidit.

Dum Arnulphus ſummus quondam in ſæculo Princeps, eremum, in pietatis operibus, plurimum temporis incoluiſſet, & ejus ſanctitatis fama longè, lateque per orbis partes diverſas percrebuiſſet, accidit, ut defuncto eo tempore, Metenſis civitatis Præſule, magno cleri & populi conſenſu ipſe Arnulphus Eremicola in defuncti Epiſcopi locum ſurrogandus poſtularetur.

At ipſe, honorum, quorumlibet ſæculi hujus contemptor pridem effectus, & ſuas in id functionis vires omnino impares eſſe reputans, cœpit in primis munium ad ſe delatum, perquam modeſtè deprecari: Verum ubi nulli tergiverſationi locum eſſe advertit, ne in hac electione Spiritui ſancto reſiſtere videretur, tandem humeros oneri iſti ſubeundo humiliter ſuppoſuit, & tum denique ea animi magnitudine & conſtantia, talentum ſibi creditum impendit, ut dignam pro erogato in populum Dei ſpirituali tritico, à ſummo Patrefamilias menſuram percipere mereretur.

Veruntamen Arnulphus Epiſcopus Metenſis poſt multos in Præſulatu exantlatos labores, & viribus penè exhauſtus, dum ſeipſum ad perſiſtendum eo in munere minus judicaret idoneum, de eo abjiciendo cœpit animum

mum adjicere, & ne tamen Ecclesia, Christi sponsa sibi eatenus concredita, & desponsata, ipsius discessu quid pateretur detrimenti, curam imprimis habuit, de viro digno in locum suum substituendo; & cum hæc animo agitaret, commodè occurrit ipsius cogitationi, Goyerus Prorex Aquitaniæ, ob egregias animi, & corporis dotes, eo Præsulatu longè dignissimus: in hunc igitur, dum Episcopale officium legitimis modis resignasset, dilectum eremum repetiit, & pristina austerioris vitæ, & contemplationis exercitia resumpsit, & tandem senio confectus circa annum Domini 604. vitam mortalem, cum immortali commutavit. Sed id, antequam ei evenit, paulò antè scilicet, quàm hinc emigraret, Anchisen Sacri Romani super Schaldim Marchionem, filium suum ad se vocatum, Dei timorem antè, & super omnia habere seriò docuit, & ut in omnibus actionibus suis divinam retributionem recogitaret, utque hoc, quasi fræno semetipsum ab omni injustitiæ nævo custodiret monuit: Tum etiam illi mandavit, ut Beggam, Pipini primi, cui Carolomannus Tungrorũ, & Brabantiæ Rex Pater erat, filiam in conjugem expeteret, & acciperet. Quæ quidem paterna imperia, cum ad impletionem sanctè spopondisset Anchises,

 placidè

placidè obdormivit Arnulphus ejus parens, Metenſis quondam Epiſcopus in Domino. Cujus inſequẽti tempore, corpus à ſucceſſore Præſule Metas adductum, & terræ, digna omni veneratione, mandatum eſt.

Beggam itaque Ducis Pipini primi filiam, dum amicorum interventu ſibi Anchiſes matrimoniali fœdere copulari obtinuiſſet, conſecutus eſt cum eadem dotis nomine, Ducatus binos, Tungrenſem nimirum, atque Brabantiam: ex quo illud accidit, ut deinceps cum Marchionatu ſacri Imperii ſuper Schaldim incorporati haberentur. Peperit autem Begga, viro ſuo Anchiſi, Pipinum, agnomine Herſtallum, ea ut fertur ratione, quod fortuito caſu, in loco ejus vocabuli, cum mater in hanc lucem ediderit. Fuit autem Begga iſthæc virtutibus heroicis pollens, atque adeo ſexus ſui conditionem præſtantia vincebat, & ſublimitate animi, præter cæteros ejus inſignes actus; Caſtrum etiam quoddam in Ardennæ partibus à fundamentis extruxit, cui nomen indidit Andagium, eique Parochialem Eccleſiam vicinam appoſuit, quæ poſtmodum pluribus aucta ædificiorum, & redituum commoditatibus Divi Huberti Epiſcopi ordinatione, & juſſu Monachis ordinis Divi Benedicti poſſidenda tradita fuit, conſtituto

ſtituto inibi per prælibatum Divum Hubertum, admodum religioſo viro Beringerio, qui pridem ei Sacellanus fuerat in Abbatem, & gregis monaſtici ducem & paſtorem: Hinc exordium duxit Monaſterium illud quod & hodie celeberrimum perſiſtit, à ſancto Huberto nomen trahens.

Beggæ porrò viam univerſæ carnis ingreſſæ epitaphium ejuſmodi comperimus poſitum.

Begga Duciſſa fuit, genitrix quoque germinis hujus,
Quæ fuit Anchiſæ felici fœdere juncta.

Anchiſes deniq; Beggæ maritus ſummâ erat in pauperes liberalitate, adeo ut data ſibi eis benefaciendi occaſione, eam facilè ſibi non pateretur excedere, unde quadam die (ut de eo legitur) dum puerulum quendam recens natum omni deſtitutum hominũ cura expoſitum conſpiceret, ex compaſſione juſſit eundem tolli, ejus curam haberi, necnon impenſis ſuis educari, quem & deinde tanto majori affectu complexus eſt, ut eundem in adoptionis filium ſuſciperet, nomen ei imponens Godivum. Godivus iſte tanta Domini, & principis ſui munificentia ſublimatus, poſtquam grandior effectus eſſet immemor beneficii, citra meritum proprium ſibi impenſi, cæpit

ambitionis agitari ſpiritu, nec non locum patris adoptantis nequiter appetere. Hinc igitur viam inquirere cœpit de eo perimendo, indubitatum ratus ſeſe in ejus locum ſucceſſurum, ſed fefellit eum ſpes. Dum itaque die quadam in ſylvis denſiſſimis remoti à cæterorum hominũm conſpectu venationi operam darent, peſſimus Godivus ſtricto gladio Principem Dominum, ac beneficentiſſimum patrem ſuum peremit. At Dei præpotentis vindicta non diſtulit hunc parricidam diu impunitum conſiſtere, ſed pœnas promeritas non multo poſt ei rependit, cum à tetro dæmone eum invadi, ab eoque ſuffocari permiſit.

Floruerunt hoc ævo Iodocus Eremita, Oſvvaldus Rex, Leodegarius Epiſcopus & Martyr, Gertrudis Abbatiſſa, cultores Dei perquam ſanctiſſimi.

Rebus humanis exempto Anchiſe, Pipinus Herſtallus ejus ex Begga filius Ducatum obtinuit Brabantiæ conjunctim cum Marchionatu Sacri Imperii ſuper Schaldim, una cum Comitatu Namurcenſi, atque inſuper Magni Majeri titulo in Franciæ & Auſtraſiæ Regnorum Palatiis à Childeberto Rege honoratus eſt. iniit autem Pipinus Herſtallus matrimonium cum Plectrude nobiliſſima, ex qua duos filios ſuſ-

cepit, Drogonem videlicet, & Grimoardum; quorum prior Campaniæ, Burgundiæque Comes, & Palatii Franciæ magnus Majerus: uxorem habuit generosissimam Theodaldam: sed ea sterili permanente, ipse absque liberis decessit, Grimoardus verò cum filia Raboth Ducis Frisiæ copula matrimoniali conjunctus est.

Pipinus hic Herstallus agnomine, etsi quidem egregiis pollere virtutum habitibus videretur, id tamen vitii dicitur habuisse, quod fidei matrimonialis oblitus, scortum Alpaidam, sororem Ducis Ardennæ domi secreto foveret, ex qua etiam duos filios procreavit, Carolum videlicet Martellum virum bellicosum, & Carlomannum Monachum: Qua de re commotus Divus Lambertus, tum temporis Tungrorum Episcopus, Ducem ab hoc scelere magno Zelo dehortatus est, sed cum nequicquam proficeret, excommunicationis etiam fulmen sese in eum, nisi resipiscat, vibraturum comminatus est, atque hoc etiam frustra medio usus est in contumacem adulterum sanctissimus Antistes. Ipsa vero pellex ejus perversa Alpaida Divi Lamberti circa Ducem in meliorem frugem revocandum studium intelligens, gravi odio virum sanctum insectari cœpit, & in ejus necem procu-

randam, quanta potuit sollicitudine, incubuit. Dodonem igitur Ardennæ Ducem fratrem suum litteris compellavit, magna instantia ursit, ut Divo Lamberto, ob adulterii reprehensionem vitam eriperet; atque ut id pestilens mulier à fratre suo certius consequeretur, in memoriam ei reducit, quod eorum Germani fratres Richoldus, & Gallus ab ipsius sancti Præsulis amicis ex Lossensium Comitum familia originem ducentibus, non ita pridem morte forent affecti. Hisce pessimis pessimæ meretricis incitamentis malè persuasus Dodo, petitioni ejus sese satisfacturum repromisit, atque demum paucis inde transactis diebus, assumptis secum aliquot ad tanti sceleris perpetrationem aptissimis sociis nocte intempesta Leodium, id quidem temporis vicum obscurum, nunc verò amplissimam, nobilissimamq; Principum Episcoporum sedem cathedralem, advenit, & cum consortibus suis nonnihil in proxima sylva delitescentibus, perlustrare ipse cæpit, quid rerum Divus Lambertus ageret, & cum eum sese ad sacrum Missæ officium orto sole peragendum non improbabiliter applicare advertisset, & orationibus præparatoriis incumbere, evocatos socios paratos esse jubet, tum ipsi simul tempore conceptæ malitiæ explendæ

plendæ

plendæ idoneo, ad locum ubi sacris operabatur vir Dei, assistentibus ipsi duobus Clericis ministris, accedunt, & primum ostiorum, & fenestrarum violenta perfractione aditum sibi fecerunt, tum introgressi ipsos Clericos sancto Episcopo ministrantes, Petrum & Andeletum nomine, viro Dei conspiciente peremerunt, ac deinde ipsum sanctissimum Præsulem Missæ sacrificium ad altare Divorum Cosmæ & Damiani celebrantem, gladio percutientes, Christi martyrem pro justitia fecerunt: Hoc scelere per Dodonem, & complices perpetrato, adfuit divina ultio, per quam ipse Tyrannus in ægritudinem acerrimam eodem anno prolapsus, sensus dolorum persensit inexplicabiles, adeò ut instar flammæ ardentis sua intestina quasi uri se sentire profiteretur, & pejus quotidie habens, teterrimum etiam è corpore suo fœtorem emittebat, ita, ut nec ejus familiares infectum circa eum aërem perferre sustinerent, & tandem omni alio consilio destituti, ipsum suum Dodonem ea morbi diritate laborantem, in Mosam flumen vicinum submerserunt, sicque dignas suæ temeritatis pœnas etiam in hoc sæculo Dux Dodo, Deo vindice exsolvit; quemadmodum & in facinoris complices divinam, gravemque animadversio-

nem contigisse plerique scriptorum testantur.

Cùm tam aperta Dei ultione percussum fratrem suum Dodonem comperisset Alpaida, ne quid etiam simile sibi fortè contingeret, animum applicuit ad Deum offensum bonis actibus placandum, & vitam deinceps instituit lugubrem, peccata sua præterita magno affectu deplorans, & ab eis in posterum studiosè præcavens. Dimisso igitur adulterino concubitu, Monasterium propriis sumptibus excitavit, atque inibi cum Religiosarū puellarum consortio in magna austeritate, & pietate, divinam iram placare studuit, tandemque piaculorum (ut piè creditur) ab ipsa commissorum consequuta remissionem, ad beatorum societatem assumi obtinuit. Pipinus itidem funestum Dodonis exitum intelligēs, pellicis item suæ resipiscentiam cognoscens, cœpit & ipse criminum suorum ex corde detestationem habere, necnon à Deo misericorde gratiam implorare, quam ut consequeretur efficacius, plurimorum Monasteriorum, & Ecclesiarum fundator extitit, & dotator magnificus.

Tandem Pipinus ad ætatem decrepitam perductus, emigrationis suæ diem ex hac vita mortali imminere prospiciens, ritu solemni testamentum condidit,

condidit, quo voluntatem suam circa bonorum suorum dispositionem esse talem declaravit, ut Carolus Martellus ejus ex pellice Alpaida filius, Regni Austrasiæ administrationem obiret. Theodaldus verò, suus ex Drogone filio nepos, Ducatum Brabantiæ, una cum Comitatu Campaniæ obtineret. excesserant autem è vivis ipse Drogo, & Grimoardus ejus fratres germani, quorum mater Plectrudis à Martello alienum admodum gerens animum, totis nisibus conata est impedire, quo minus circa hunc paterna dispositio haberet locum, & nepotem suum Theodaldum, utpotè legitimè procreatum, avo Pipino substituendum, omnibus modis etiam in Austrasiæ Regno esse, contendebat. Veruntamen huic conjugum concertationi, non alius finis obtigit, quam testamentaria Pipini constitutio prærordinaverat: Hincque Martello Austrasii Regni competiit regimen.

At Plectrudis, viro jam rebus humanis exempto, cum id temporis magnæ apud Francos sese cognosceret esse auctoritatis, Martello utantea conditionem destinatam invidens, eum per insidias comprehensum Coloniæ Agrippinæ carceri jussit mancipari, cum tamen ille, eandē semper affectu fuisset prosecutus planè filiali, atque ideo

nihil

nihil tale, ab ipſa fuiſſet commeritus. Tum denique Plectrudis, ejuſque ex filio nepos Theodaldus, utriuſq; Regni, Franciæ videlicet, & Auſtraſiæ præfecturam adeunt, atq; etiam ſuis conſiliis Dagobertum Regem quoquo volunt inflectunt, ſic ut Theodaldus haud difficulter, in Palatii ſummum Mayerum inſtitueretur: Dagobertus iſte Rex, initio quidem minus probatæ erat converſationis, utpote Mulieroſus, & carnis illecebris plurimum deditus, verum in ſe tandem rediens, vitam in melius commutare ſtuduit, & condignã de præteritis flagitiis agens pœnitentiam, ampliſſimum ſub Divi Dionyſii Areopagitæ patrocinio, ſecundo à Pariſiis miliari, Monaſterium Regum Franciæ ſepulturis conſecratum, extruxit, idemque munificentia planè regia, reditibus, & honoribus inſignibus dotavit.

Porrò Franci Mulierem ſibi adeò imperioſe præeſſe graviter ferentes; indignati etiam, quod Theodaldus Palatii ſummus Mayerus nimia tyrannide, in Regni ſubditos graſſaretur, de ambobus ex iſtis finibus propellendis conſilium inierunt. Idque collectis armatorum copiis in effectum deducere aggreſſi ſunt, Danielem quendam eorum in locum, qui Regno præſideret, ſubrogãtes. Vndè Plectrudis vim hanc

ferre non sustinens, sumpto secum Pipini thesauro, ex Franciæ Regno sese proripuit, & Coloniam Agrippinam petiit. Interim verò quod hæc in Francia contingerent, accidit, ut Carolus Martellus è carceris ergastulo amicorum quorumdam molitione evaderet, & circa id temporis Dagoberto Francorum Rege absque liberis defuncto ipse Regni fastigia conscendens, bellum Danieli Regi (qui se alio nomine Gilbericum vocitabat) nec non Raginfredo ejus summo vicario inferre cogitaret atrocissimum: Hi ambo, ut Martelli manum adverterunt admodum validam, de suis diffidentes viribus in fugam versi, incruentam Carolo victoriam reliquerunt: Inde Coloniam ducens exercitum, urbem ipsam munitissimam cepit, & Pipini thesaurum à Plectrude extorsit, hæc autē clam fugiens transmisso post decursa multarum terrarum spacia Danubium ad Bulgaros pervenit. Carolus porrò victoriam fausto marte persequens, Regni Francici amplitudinem, quantumvis Chilperico, & E. Hudone Aquitaniæ Duce obsistentibus, solus obtinuit; nec his contentus terminis, Rhenum cum numeroso exercitu trajiciens in Saxones, Alemannos, Suevos, Bavaros movit, eosdemque virtute bellica in suam redegit

it poteſtatem: Cùm deinde inteſ-
ſſet Hudoni Aquitaniæ Duci Sara-
os ſuppetias ferentes Franciæ Re-
m invaſiſſe, eorum conatibus fe-
anter prolixi itineris confectione
urrere ſategit. Et hoſtem favente
una, circa Turonum fines, fortiter
reſſus, ejus vim & arma repreſſit,
non ab ulteriori rapina exercenda
hibuit, dum penè eos omnes ad
ernecionem deleviſſet: nam eo
flictu trecenta, & ſeptuaginta quin-
Saracenorum millia cecidiſſe ple-
referunt, cum tamen à parte Mar-
i mille tantum & quingentos viros
ubuiſſe iidem aſſerant. Martellus
terea dum bello exercitatiſſimus
beretur, nec non etiam fidei Chri-
næ fervidus cultor exiſteret, in Fri-
es, Idolorum culturæ adhuc dedi-
, bellum movit atrociſſimum, eoſ-
ıque fortitudine militari devicit.
bus domitis; ad Franciam reverſus
Provinciis ſuis à Saracenis clades
gnas, & rapinas denuò exerceri
perit, ſed eos uti anteriores præ-
da manu devicit, proſtravit, ejecit,
, exindè Vicegothis omnibus do-
ari incepit.

arolus Martellus Rex, tandem poſt
tos domi, belliq; perpeſſos labo-
afflictis etiam per ipſum nimis ne-
ter, ne dicam omnino tyrannicè,
Eccle-

Eccleſiaſticis quampluri[mi]s
morbo correptus mortifero
rum ſuaſu poſſeſſiones à ſe
tas, ſuis ex Geltrude filiis Ca
no & Pipino diſtribuit; Ca
no quidem Auſtraſiam & Sue
pino autem Burgundiam, &
partem aſſignans, atque ſic
roli Martelli magiſtratus ipſu
Mayeratum Domus appellan
trigeſimo finis eſt impoſitus.
nonnihil ex ipſius Caroli &
torum ipſius occaſione à
mihi ſeriè Principum Luxe
ſium divagatus, eò me r
fero.

Clodulphus igitur Arnul
genitus, & in agro Moſe
ses, & primus Dux Almabe
lomanni Ducis Brabantiæ
ritali fide ſibi uxorem devin
ex ea ſucceſſu temporis liber
Martinum honorum & poſ
patris hæredem, Baſinum A
nem Trevirenſem, in Mona
cti Maximini propè Treveri
neratione debita ſepultum,
Toloſę Comitem, & Agnora
mitem Calvimontelli. Sole
ipſe Clodulphus diplomati
juſmodi titulum præfigere
dulphus Dux Auſtraſiæ, N
ac Moſelant, Arnulphi Du

Ecclesiasticis quamplurimis personis, morbo correptus mortifero, amicorum suasu possessiones à se bello partas, suis ex Geltrude filiis Carolomanno & Pipino distribuit; Carolomanno quidem Austrasiam & Sueviam, Pipino autem Burgundiam, & Franciæ partem assignans, atque sic vitæ Caroli Martelli magistratus ipsius (quem Mayeratum Domus appellant) anno trigesimo finis est impositus. Sed jam nonnihil ex ipsius Caroli & progenitorum ipsius occasione à proposita mihi serie Principum Luxemburgensium divagatus, eò me rursus confero.

Clodulphus igitur Arnulphi primogenitus, & in agro Mosellanico hæres, & primus Dux Almabertum Carlomanni Ducis Brabantiæ filiam maritali fide sibi uxorem devinxit, atque ex ea successu temporis liberos genuit, Martinum honorum & possessionum patris hæredem, Basinum Archiflaminem Trevirensem, in Monasterio sancti Maximini propè Treverim cum veneratione debita sepultum, Arnoldum Tolosę Comitem, & Agnoraldum Comitem Calvimontelli. Solebat autem ipse Clodulphus diplomatibus suis ejusmodi titulum præfigere. Nos Clodulphus Dux Austrasiæ, Mozellanicæ ac Moselant, Arnulphi Ducis filius, filii

Arnoldi,

Arnoldi, ex antiqua & nobili Francorum Trojanorum stirpe natus.

Exegit autem Clodulphus vitã prudentia, & omnigenis virtutibus decoratam; cumque uxor ejus diem clausisset extremum, firmiter apud se constituit castimoniam in cælibatu deinceps observare; utque ejus animum Deo in dies gratior fieret, cooptari sese curavit in gremium Religiosorum ordinis sancti Benedicti, apud sanctum Maximinum juxta Trevirensem civitatem, ubi quicquid ad perfectionem in statu religioso requiritur, abundè ad omnium cohabitantium exemplum, imitationem & ædificationem, moribus, vita, & conversatione expressit. Quin etiam sanctitatis ejus opinio apud exteros adeò pervulgata est, ut Metensis civitatis Clerus & populus bonæ ejus famæ odore attracti, vacante apud ipsos sede Episcopali, Clodulphum sibi in præsulem magna instantia postularent. At vir Dei, qui mundi honoribus, & divitiis pridem devoto animo nuntium remiserat, nullatenus persuaderi potuit, aut precibus flecti, ut munus oblatum susciperet. Cum verò opportunè & importunè Metenses in sua persisterent petitione, nec quicquam apud ipsum obtinere valerent, Patris spiritualis sive Abbatis cui tanquam Christi vicario in omnibus obsequi-

obsequi devoverat, opem & auctoritatem implorarunt, certò confidentes ut quem rogantium preces inducere non poterant, ipsa majoris potestas ad obtemperandum compelleret: Nec verò eos spes fefellit. Nam Abbas perpendens, eam vocationem à Deo procedere, Clodulpho suo regulari subdito ex parte Christi imperat, quatenus humeros submittere non refragetur ultra oneri oblato. Hic igitur omnem amplius tergiversandi ademptam sibi esse ansam videns, pastoralis officii suscepit curam, quam tanta vigilantia, charitate, & prudentia executus est, ut verè dignus ea functione haberetur, familiam Domini verbo, & exemplo incessanter pasceret, & talentum Dominus ab eo reciperet usuris multipliciter auctum. Tandem expletis in hac miseriarum valle peregrinationis diebus, mortis tributum exsolvit, atque Metis in sancti parentis sui Arnulphi Monasterio juxta ejus sacros cineres conditus est.

Martinus Clodulphi maximus natu filius, ejusque in honoribus mundi & possessionibus hæreditarius successor, matrimonium contraxit cum Beatrice unica Hildulphi Ardēnæ Principis prole, ex qua horum duorū conjunctione factum est, ut Mosellanus Ducatus cum Ardennæ Principatu u-

niretur, & ab eis profecti Principes eadem sanguinis claritate illustrarentur; inter quos Lotharingiæ, & Luxemburgi Duces primatũ facilè obtinent: Vixit autem Martinus cum conjuge sua Beatrice, & possessiones in simul suas administrârunt spacio triginta annorum.

Sub ea tempestate Regni Francici gubernacula moderabatur Tyrannus quidam Ebroinus vocabulo, qui pariter Regni Austrasiæ titulo sub Rege Theodorico honorabatur. Hujus insolentias, atque intollerabilem arrogantiam à suis cervicibus depellere cogitantes Regni proceres, armatorũ coëgerunt exercitum, eumque adversus Ebroinum, & adhærentes Duci Pipinio Martini Ducis Mosellani, & Ardennæ consanguineo direxerunt, cui in summum palatii Mayerum loco Ebroini per proceres designato, ob sanguinis proximitatem sese cum suis copiis adjunxit Martinus: at Ebroinus horum tempestivus certior effectus, collecta itidem militum manu valida, in occursum processit adversariorum, quos tanta ferocitate invasit, ut de eis victoriam referret insignem, Pipinus autem & Martinus fuga sibi consulerent.

Hinc itaque Ebroinus elatione majori turgescens, dum ejusmodi adversum

sum se conspirationem causas primarias in Martinum conjecisset, occasionem secum disquirere cæpit, qua se de eo una dierum vindicare posset, & excursis avidè paucorum mensium spaciis, amicitiam dolo simulans, literas ad Martinum dedit, quibus eum instanter tanquam de Regis expresso mandato invitabat, ut seposita mora in Regis conspectum veniret: Martinus literarum blandis sermonibus nimis credulus statim ad iter sese accingit, & ad locum deveniens, dum Regis conclave ingredi vellet, Ebroinus proditorie eundem invasit, & pugione educto incautum truculenter occidit; cujus corpus ad Divi Martini Trevirensis templum ab amicis delatum, & terræ commendatum fuit. contigerunt autem hæc, annum Domini circiter sexcentesimum, octuagesimum septimum, superstitibus Martini duobus filiis, Eleutherio scilicet & Lamberto.

Horum prior Eleutherius patri in Ducali eminentia successor, Beatricem Sigisberti Comitis Hasburgii filiam sibi connubiali fœdere devinxit, & cum eadem dotis vice Dominium Hasbaniæ obtinuit, sed hac præmature in fata concedente nulla proles ex hoc matrimonio profluxit. Ipse deinde Eleutherius post paucorum annorum

curriculum, quibus suis præfuit divino instinctui morem gerens, omnibus hæreditatibus in fratrem suum liberè resignatis, mundo valedicens vitam Eremiticam in vasta solitudine non procul à Sancti VVandalini oppido instituit, & inibi in magna vigiliarum, jejuniorum, orationum, cæterorumq; piorum exercitiorum observatione reliquum vitæ suæ traduxit.

Lambertus igitur per fratris sui majoris liberam cessionem Ducatus Mosellani, & Principatus Ardennæ fasces consecutus, vxorem sibi ascivit Mariam Comitis Bononiæ filiam, & ex ea filios quatuor suscitavit, quorum nomina hæc sunt, Lotharius, Adelreidus, VValcandus, & VVido. Ferunt Lambertum staturæ fuisse admodum proceræ, aspectu formidabilem, barbam habentem cum capillitio rufi coloris, gradum fixum atque superbum, in armis egregiè exercitatum, & à potu nimio planè abhorrentem. Inter cæteros verò insignes ejus in belligerando actus illud celebre memoratur, quod Gregorium tertium Pontificem maximum virtute militari in sedem suam secundo restituerit, unde à Luitbrando Longobardorum Rege tyrannice deturbatus extiterat. Fuit nihilominus idem Lambertus aliquanto tempore Ecclesiis admodum infestus, quarum

rum etiam nonnullas prædatus
ad summam penuriam expilavit
rum ad se aliquando reversus
scientia propria stimulante, divi
intus spiritu operante, pœnite
egit de tantis sacrilegiis congrue
ablata restituendo, & Monaster
dinis statum in Mediolacensi M
sterio sub D. Benedicti Regula
piendo, in quo deinceps in omn
ctitate, & morũ disciplina vixit, &
dem in Christo vitam mortalem
immortali commutavit, necn
pulturam in eodem Monasteri
tro Divi Luitvumi altaris late
tinuit.

Lamberto suffectus est ejus
genitus filius Lotharius in
Mosellano, ac Principatu Ar
At verò hujus frater Adelrei
Ducem Bullonensem evasit.
autem VValcandus ad Episco
Leodiensem gradatim evectus e
stremus porrò VVido nomine
driæ præfectura fuit honoratu
rum VValcandus Leodii Episco
modum devotus extitit Mon
Andagiensi, idque præterqua
tima in illud collata benefic
Huberti quondam sui in E
munere prædecessoris corpu
in Ecclesia Divi Petri Leod
mulatum ad prædictum A

rum etiam nonnullas prædatus est, & ad summam penuriam expilavit: Verum ad se aliquando reversus, conscientia propria stimulante, divinoque intus spiritu operante, pœnitentiam egit de tantis sacrilegiis congruentem, ablata restituendo, & Monasterii ordinis statum in Mediolacensi Monasterio sub D. Benedicti Regula arripiendo, in quo deinceps in omni sanctitate, & morũ disciplina vixit, & tandem in Christo vitam mortalem cum immortali commutavit, necnon sepulturam in eodem Monasterio à dextro Divi Luitvumi altaris latere obtinuit.

Lamberto suffectus est ejus primogenitus filius Lotharius in Ducatu Mosellano, ac Principatu Ardennæ. At verò hujus frater Adelreidus in Ducem Bullonensem evasit. Tertius autem VValcandus ad Episcopatum Leodiensem gradatim evectus est. Postremus porrò VVido nomine, Geldriæ præfectura fuit honoratus. Horum VValcandus Leodii Episcopus admodum devotus extitit Monasterio Andagiensi, idque præterquam plurima in illud collata beneficia, Divi Huberti quondam sui in Episcopali munere prædecessoris corpus pridem in Ecclesia Divi Petri Leodiensis tumulatum ad prædictum Andagiense

Monasterium transferri curavit; à quo etiam tempore locus ille ab eodem Divo, sancti Huberti nomen sortitus est.

Lotharius Mosellanus Dux, & Princeps Ardennæ bellicosa virtute insignis, cum Terentia Aistulphi Regis Longobardorum filia conjugium iniit, ex qua copula prodierunt Fredericus, & ejus soror Hermegarda Henrici Comitis Salmensis postmodum uxor: fuit autem Lotharius apud Pipinum Caroli Magni parentem Franciæ Regem maximo loco, adeò ut eum numeroso exercitui præfectum in Italiam dirigeret, ut inde Stephanum Papam secundum, in Franciam adduceret. Cumque igitur se præ cæteris Aulæ magnatibus magnifieri adverteret Lotharius, in superbiam cor ejus elevatum est, & Regni subditis admodum gravis, & infestus fuit: Deditus insuper erat carnis vitio supra modum, & in tantam mentis insaniam collapsus est, ut aliquoties Domino ac Regi suo obstrepere non formidaret. Qua ex re exacerbatus Rex, eum læsæ Majestatis reum damnavit, sicque Regno excedere coëgit: in ejusmodi igitur angustias conjectus Lotharius, ut nullibi per Franciæ Regnum tuto consistere posset, fugam ad socerum Longobardiæ Regem arripuit. Et dum ibidem moræ aliquan-

aliquantulum contraxisset, gravi morbo Rex invasus, post paucorum dierum curriculum diem clausit extremũ. Hinc Lotharius jus ad successionem in Regno nomine uxoris suæ prætendens, sese in ejus possessionem intrudere conabatur. At verò Desiderius defuncti Regis filius totius Regni auxilio fretus, Lotharii conatibus manu armata tempestivè occurrens, eundem cum asseclis ex illis finibus excedere coëgit. Ex quo ipse Lotharius gravi ita excandescens, prædas per Italiæ diversas partes agere magna rabie aggressus est, & dum omnia obvia vastaret, contigit Pipinum è vita migrare; quo Lotharius percepto relicta statim Italia, Franciam versus iter repetere constituit, & per interventum amicorum, veniam in defunctum Regem commissorum, à Carolo Magno ejus filio, & successore implorare studuit. Rex itaque supplicantium precibus inclinatus, ad conspectum suum Lothario comparere permisso, & pedibus suæ majestatis advoluto noxam omnem dimisit, eique bona ob perduellionem per fiscum ablata, restitui mandavit. Exinde Lotharius moribus in meliorem frugem commutatis, ea factis exprimere in finem usque studuit, quæ verum, & magnanimum Principem condecent. Desiderius por-

rò Longobardorum Rex Adrianum ejus nomine ſecundum Pontificē ſummum bello acri laceſſivit, & dum divi Petri patrimoniū depopularetur, Pontifex viribus ad reſiſtendum deficiens opem imploravit Caroli Magni Francorum Regis, quatenus cladem cervicibus ejus imminentem, potenti brachio avertere vellet: Nec eum fefellit ſpes, nam ilicò Rex exercitu armatorum prævalido comitatus, Deſiderium Tyrannum forti animo oppugnavit, eundemque Papiam profugientem inſecutus, urbis ejuſdem obſidione, & ad deditionem compulſione comprehenſum, & vinctum Aquiſgranum deſtinavit, ipſumque in temeritatis prę̨ſumptæ pœnam Regno privans, Pontifici verò ablata integrè curans reſtitui, atque ita, Rege optimè providente, Italiæ pacem tranquillam recuperavit. Adfuit in hac expeditione Regii exercitus ab initio ad finem uſque Dux Moſellanus Lotharius, nec non in re militari ſeſe virum exhibuit longè fortiſſimum, habuitque collegas individuos Adelreidum fratrem ſuum germanum, una cum ejus filio Erihengoldo nomine, qui ambo in conflictu percuſſi mortem obierunt: eiſdemque Lotharius frater, & patruus reſpectivè, tanquam ſanguine proximus, in bonis temporalibus ſucceſſit,

adeoque

adeoque plurimum ditatus est. Hic dum vitæ dies ad senilem produxisset ætatem, animo recolere cœpit, quanta jam inde ab adolescentiæ suæ diebus perpetrasset flagitia, tum Ecclesias deprædando, tum proximū quemlibet suum, prout occasio sese obtulit, diversis afficiendo molestiis: unde compunctis rationem inire cupiebat, quibus viis, cum Deo offenso in gratiam redire posset. Et ecce tanta pœnitudine facta sua pristina detestatus est, ut pro posse restitutis *injuste* sublatis vitā insuper Monasticam in Cœnobio Mediolacensi amplecteretur, circa annum Domini septingentesimum septuagesimum octavum, ubi reliquum mortalitatis hujus tempus, in omni sanctitate & justitia, cum omnium mira ædificatione transegit, tandemque fatis concedens ibidem terræ conditus est. Sanctus Hildegrinus Halberstatensis, S. Luitgerus Monasterien. Sanctus Guntherus Hildesemensis & postea Ratisponen. primi Episcopi, sanctitate commendati, ut etiam Fredericus Vltrajectensis Episcopus & martyr florent.

Lothario Duci Mosellano nec non Ardennæ Principi in honorum & opum gloria suffectus est ejus unicus filius vocabulo Fredericus, qui fœdere matrimoniali sibi in conjugem de-

 vinxit.

DucemMosellanum, & Ardennæ Principem, Ottonem Calvi montis Comitem, Theodoricum Alzatiæ Ducem, Vigeberum Monachum, ac denique Lotharium Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconum, Theophilactus doctor Ecclesiæ singularis, primus Bulgarorum Antistes, Valefredus Strabo Abbas S. Galli apud Helvetios, Remigius Altisiodorensis, Anastasius bibliothecarius Romanus præclara eruditione viri illustres habentur.

Ragnero in alteram evocato vitam, Giselbertus filiorum ejus natu maximus anno Domini nongentesimo decimo sexto Regni Lotharingici summam adeptus est,atque insimulDominus Iuppiliensis evasit. Duxit autem Gerbirgam Henrici Aucupis Augusti filiam in uxorem, de hoc uti & de cæteris ejusdem prosapię Principibus copiosa materiæ seges ad scribendum sese offert, verum ne nimium à proposito contingat deflectere scopo, iis studiosè omissis ad seriẽ Principum Luxemburgensium prosequendam me converto. Occurrit autem pro rerum præsenti constitutione Ricuinus alter in ordine Ragneri filius, quem Ducem Mosellanum, & Ardennæ Principem indigetavimus, à quo nimirum ortum duxerunt cæteri qui in hunc usque diem Luxemburgensis Ducatus

tus apicem obtinuiſſe dignoſcuntur.

Hic noſter Ricuinus Gihelberti Lotharingiæ Ducis frater germanus, Caſtro Bullonero; Comitatibus Ardennæ, Hiſpaniæ Virdunenſi (quem ab Imperatore dono acceperat) Dominio item Guerrii (quod modo Luxemburgenſis ager nuncupatur) una cum finitimis territoriis potitus eſt, & cum Mechtilde Everhardi Ducis Franconię & VVormatiæ filia conjugium contraxit, nec non filios habuit Godefridum agnomine barbatum, Ardennæ, Bullonei, & Virduni Comitem, Ottonem Ducem Moſellanum, atque Sigifridum Guerrii Dominum, Bonnam præterea filii Regis Franciæ conjugem, ac denique Mechtildem Arnulphi Burgundi Chinenſis Comitis uxorem.

Regno Prumienſis Abbas, Odollemiacenſis Abbas, Ratbodus Epiſcopus Vltrajectenſis, Radulphus Flavianus viri docti clarent.

Otto Moſellanus Dux thalamo conjugali conjunctã ſibi habuit Helenam Hermanni Bambergæ & Suevię Comitis filiam, Ottonis primi neptem, ex quorum complexu fluxit unicus eorundẽ filius Fredericus, patris in Ducali dignitate ſucceſſor, cui tempore ſuo uxor obtigit Beatrix Hugonis Capet ſoror. Hic ille Fredericus eſt qui Barrenſis Caſtri prima jecit fundamenta,

degit potestatem: Cùm deinde intellexisset Hudoni Aquitaniæ Duci Saracenos suppetias ferentes Franciæ Regnum invasisse, eorum conatibus festinanter prolixi itineris confectione occurrere satagit. Et hostem favente fortuna, circa Turonum fines, fortiter aggressus, ejus vim & arma repressit, nec non ab ulteriori rapina exercenda prohibuit, dum penè eos omnes ad internecionem delevisset: nam eo conflictu trecenta, & septuaginta quinque Saracenorum millia cecidisse pleriq; referunt, cum tamen à parte Martelli mille tantum & quingentos viros occubuisse iidem asserant. Martellus præterea dum bello exercitatissimus haberetur, nec non etiam fidei Christianæ fervidus cultor existeret, in Frisones, Idolorum culturæ adhuc deditos, bellum movit atrocissimum, eosdemque fortitudine militari devicit. quibus domitis, ad Franciam reversus in Provinciis suis à Saracenis clades magnas, & rapinas denuò exerceri comperit, sed eos uti anteriores prævalida manu devicit, postravit, ejecit, atq; exindè Vicegothis omnibus dominari incepit.

Carolus Martellus Rex, tandem post multos domi, belliq; perpessos labores, afflictis etiam per ipsum nimis nequiter, ne dicam omnino tyrannicè, Eccle-

Ecclesiasticis quamplurimis personis, morbo correptus mortifero, amicorum suasu possessiones à se bello partas, suis ex Geltrude filiis Carolomanno & Pipino distribuit; Carolomanno quidem Austrasiam & Sueviam, Pipino autem Burgundiam, & Franciæ partem assignans, atque sic vitæ Caroli Martelli magistratus ipsius (quem Mayeratum Domus appellant) anno trigesimo finis est impositus. Sed jam nonnihil ex ipsius Caroli & progenitorum ipsius occasione à proposita mihi serie Principum Luxemburgensium divagatus, eò me rursus confero.

Clodulphus igitur Arnulphi primogenitus, & in agro Mosellanico hæres, & primus Dux Almabertum Carlomanni Ducis Brabantiæ filiam maritali fide sibi uxorem devinxit, atque ex ea successu temporis liberos genuit, Martinum honorum & possessionum patris hæredem, Basinum Archiflaminem Trevirensem, in Monasterio sancti Maximini propè Treverim cum veneratione debita sepultum, Arnoldum Tolosę Comitem, & Agnoraldum Comitem Calvimontelli. Solebat autem ipse Clodulphus diplomatibus suis ejusmodi titulum præfigere. Nos Clodulphus Dux Austrasiæ, Mozellanicæ ac Moselant, Arnulphi Ducis filius, filii

Arnoldi,

Arnoldi, ex antiqua & nobili Francorum Trojanorum stirpe natus.

Exegit autem Clodulphus vitã prudentia, & omnigenis virtutibus decoratam; cumque uxor ejus diem clausisset extremum, firmiter apud se constituit castimoniam in cælibatu deinceps observare; utque ejus animum Deo in dies gratior fieret, cooptari sese curavit in gremium Religiosorum ordinis sancti Benedicti, apud sanctum Maximinum juxta Trevirensem civitatem, ubi quicquid ad perfectionem in statu religioso requiritur, abundè ad omnium cohabitantium exemplum, imitationem & ædificationem, moribus, vita, & conversatione expressit. Quin etiam sanctitatis ejus opinio apud exteros adeò pervulgata est, ut Metensis civitatis Clerus & populus bonæ ejus famæ odore attracti, vacante apud ipsos sede Episcopali, Clodulphum sibi in præsulem magna instantia postularent. At vir Dei, qui mundi honoribus, & divitiis pridem devoto animo nuntium remiserat, nullatenus persuaderi potuit, aut precibus flecti, ut munus oblatum susciperet. Cum verò opportunè & importunè Metenses in sua persisterent petitione, nec quicquam apud ipsum obtinere valerent, Patris spiritualis sive Abbatis cui tanquam Christi vicario in omnibus obsequi-

obſequi devoverat, opem & auctoritatem implorarunt, certò confidentes ut quem rogantium preces inducere non poterant, ipſa majoris poteſtas ad obtemperandum compelleret: Nec verò eos ſpes fefellit. Nam Abbas perpendens, eam vocationem à Deo procedere, Clodulpho ſuo regulari ſubdito ex parte Chriſti imperat, quatenus humeros ſubmittere non refragetur ultra oneri oblato. Hic igitur omnem amplius tergiverſandi ademptam ſibi eſſe anſam videns, paſtoralis officii ſuſcepit curam, quam tanta vigilantia, charitate, & prudentia executus eſt, ut verè dignus ea functione haberetur, familiam Domini verbo, & exemplo inceſſanter paſceret, & talentum Dominus ab eo reciperet uſuris multipliciter auctum. Tandem expletis in hac miſeriarum valle peregrinationis diebus, mortis tributum exſolvit, atque Metis in ſancti parentis ſui Arnulphi Monaſterio juxta ejus ſacros cineres conditus eſt.

Martinus Clodulphi maximus natu filius, ejuſque in honoribus mundi & poſſeſſionibus hæreditarius ſucceſſor, matrimonium contraxit cum Beatrice unica Hildulphi Ardēnæ Principis prole, ex qua horum duorū conjunctione factum eſt, ut Moſellanus Ducatus cum Ardennæ Principatu uniretur,

niretur, & ab eis profecti Principes eadem sanguinis claritate illustrarentur; inter quos Lotharingiæ, & Luxemburgi Duces primatū facilè obtinent: Vixit autem Martinus cum conjuge sua Beatrice, & possessiones in simul suas administrârunt spacio triginta annorum.

Sub ea tempestate Regni Francici gubernacula moderabatur Tyrannus quidam Ebroinus vocabulo, qui pariter Regni Austrasiæ titulo sub Rege Theodorico honorabatur. Hujus insolentias, atque intollerabilem arrogantiam à suis cervicibus depellere cogitantes Regni proceres, armatorū coëgerunt exercitum, eumque adversus Ebroinum, & adhærentes Duci Pipinio Martini Ducis Mosellani, & Ardennæ consanguineo direxerunt, cui in summum palatii Mayerum loco Ebroini per proceres designato, ob sanguinis proximitatem sese cum suis copiis adjunxit Martinus: at Ebroinus horum tempestivus certior effectus, collecta itidem militum manu valida, in occursum processit adversariorum, quos tanta ferocitate invasit, ut de eis victoriam referret insignem, Pipinus autem & Martinus fuga sibi consulerent.

Hinc itaque Ebroinus elatione majori turgescens, dum ejusmodi adver-

ſum ſe conſpirationem cauſas primarias in Martinum conjeciſſet; occaſionem ſecum diſquirere cæpit, qua ſe de eo una dierum vindicare poſſet, & excurſis avidè paucorum menſium ſpaciis, amicitiam dolo ſimulans, literas ad Martinum dedit, quibus eum inſtanter tanquam de Regis expreſſo mandato invitabat, ut ſepoſita mora in Regis conſpectum veniret: Martinus literarum blandis ſermonibus nimis credulus ſtatim ad iter ſeſe accingit, & ad locum deveniens, dum Regis conclave ingredi vellet, Ebroinus proditorie eundem invaſit, & pugione educto incautum truculenter occidit; cujus corpus ad Divi Martini Trevirenſis templum ab amicis delatum, & terræ commendatum fuit. contigerunt autem hæc, annum Domini circiter ſexcenteſimum, octuageſimum ſeptimum, ſuperſtitibus Martini duobus filiis, Eleutherio ſcilicet & Lamberto.

Horum prior Eleutherius patri in Ducali eminentia ſucceſſor, Beatricem Sigisberti Comitis Hasburgii filiam ſibi connubiali fœdere devinxit, & cum eadem dotis vice Dominium Hasbaniæ obtinuit, ſed hac præmature infata concedente nulla proles ex hoc matrimonio profluxit. Ipſe deinde Eleutherius poſt paucorum annorum

 curricu-

curriculum, quibus ſuis præfuit divino inſtinctui morem gerens, omnibus hæreditatibus in fratrem ſuum liberè reſignatis, mundo valedicens vitam Eremiticam in vaſta ſolitudine non procul à Sancti VVandalini oppido inſtituit, & inibi in magna vigiliarum, jejuniorum, orationum, cæterorumq; piorum exercitiorum obſervatione reliquum vitæ ſuæ traduxit.

Lambertus igitur per fratris ſui majoris liberam ceſſionem Ducatus Moſellani, & Principatus Ardennæ faſces conſecutus, vxorem ſibi aſcivit Mariam Comitis Bononiæ filiam, & ex ea filios quatuor ſuſcitavit, quorum nomina hæc ſunt, Lotharius, Adelreidus, VValcandus, & VVido. Ferunt Lambertum ſtaturæ fuiſſe admodum proceræ, aſpectu formidabilem, barbam habentem cum capillitio rufi coloris, gradum fixum atque ſuperbum, in armis egregiè exercitatum; & à potu nimio planè abhorrentem. Inter cæteros verò inſignes ejus in belligerando actus illud celebre memoratur, quod Gregorium tertium Pontificem maximum virtute militari in ſedem ſuam ſecundo reſtituerit, unde à Luitbrando Longobardorum Rege tyrannice deturbatus extiterat. Fuit nihilominus idem Lambertus aliquanto tempore Eccleſiis admodum infeſtus, qua-

rum

rum etiam nonnullas prædatus est, & ad summam penuriam expilavit: Verum ad se aliquando reversus, conscientia propria stimulante, divinoque intus spiritu operante, pœnitentiam egit de tantis sacrilegiis congruentem, ablata restituendo, & Monasterii ordinis statum in Mediolacensi Monasterio sub D. Benedicti Regula arripiendo, in quo deinceps in omni sanctitate, & morū disciplina vixit, & tandem in Christo vitam mortalem cum immortali commutavit, necnon sepulturam in eodem Monasterio à dextro Divi Luitvumi altaris latere obtinuit.

Lamberto suffectus est ejus primogenitus filius Lotharius in Ducatu Mosellano, ac Principatu Ardennæ. At verò hujus frater Adelreidus in Ducem Bullonensem evasit. Tertius autem VValcandus ad Episcopatum Leodiensem gradatim evectus est. Postremus porrò VVido nomine, Geldriæ præfectura fuit honoratus. Horum VValcandus Leodii Episcopus admodum devotus extitit Monasterio Andagiensi, idque præterquam plurima in illud collata beneficia, Divi Huberti quondam sui in Episcopali munere prædecessoris corpus pridem in Ecclesia Divi Petri Leodiensis tumulatum ad prædictum Andagiense

Monasterium transferri curavit; à quo etiam tempore locus ille ab eodem Divo, sancti Huberti nomen sortitus est.

Lotharius Mosellanus Dux, & Princeps Ardennæ bellicosa virtute insignis, cum Terentia Aistulphi Regis Longobardorum filia conjugium iniit, ex qua copula prodierunt Fredericus, & ejus soror Hermegarda Henrici Comitis Salmensis postmodum uxor: fuit autem Lotharius apud Pipinum Caroli Magni parentem Franciæ Regem maximo loco, adeò ut eum numeroso exercitui præfectum in Italiam dirigeret, ut inde Stephanum Papam secundum, in Franciam adduceret. Cumque igitur se præ cæteris Aulæ magnatibus magnifieri adverteret Lotharius, in superbiam cor ejus elevatum est, & Regni subditis admodum gravis, & infestus fuit: Deditus insuper erat carnis vitio supra modum, & in tantam mentis insaniam collapsus est, ut aliquoties Domino ac Regi suo obstrepere non formidaret. Qua ex re exacerbatus Rex, eum læsæ Majestatis reum damnavit, sicque Regno excedere coëgit: in ejusmodi igitur angustias conjectus Lotharius, ut nullibi per Franciæ Regnum tuto consistere posset, fugam ad socerum Longobardiæ Regem arripuit. Et dum ibidem moræ aliquan-

aliquantulum contraxisset, gravi morbo Rex invasus, post paucorum dierum curriculum diem clausit extremū. Hinc Lotharius jus ad successionem in Regno nomine uxoris suæ prætendens, sese in ejus possessionem intrudere conabatur. At verò Desiderius defuncti Regis filius totius Regni auxilio fretus, Lotharii conatibus manu armata tempestivè occurrens, eundem cum asseclis ex illis finibus excedere coëgit. Ex quo ipse Lotharius gravi ira excandescens, prædas per Italiæ diversas partes agere magna rabie aggressus est, & dum omnia obvia vastaret, contigit Pipinum è vita migrare; quo Lotharius percepto relicta statim Italia, Franciam versus iter repetere constituit, & per interventum amicorum, veniam in defunctum Regem commissorum, à Carolo Magno ejus filio, & successore implorare studuit. Rex itaque supplicantium precibus inclinatus, ad conspectum suum Lothario comparere permisso, & pedibus suæ majestatis advoluto noxam omnem dimisit, eique bona ob perduellionem per fiscum ablata, restitui mandavit. Exinde Lotharius moribus in meliorem frugem commutatis, ea factis exprimere in finem usque studuit, quæ verum, & magnanimum Principem condecent. Desiderius porrò

rò Longobardorum Rex Adrianum ejus nomine secundum Pontificē summum bello acri lacessivit, & dum divi Petri patrimoniū depopularetur, Pontifex viribus ad resistendum deficiens opem imploravit Caroli Magni Francorum Regis, quatenus cladem cervicibus ejus imminentem, potenti brachio avertere vellet: Nec eum fefellit spes, nam ilicò Rex exercitu armatorum prævalido comitatus, Desiderium Tyrannum forti animo oppugnavit, eundemque Papiam profugientem insecutus, urbis ejusdem obsidione, & ad deditionem compulsione comprehensum, & vinctum Aquisgranum destinavit, ipsumque in temeritatis prçsumptæ pœnam Regno privans, Pontifici verò ablata integrè curans restitui, atque ita, Rege optimè providente, Italiæ pacem tranquillam recuperavit. Adfuit in hac expeditione Regii exercitus ab initio ad finem usque Dux Mosellanus Lotharius, nec non in re militari sese virum exhibuit longè fortissimum, habuitque collegas individuos Adelreidum fratrem suum germanum, una cum ejus filio Erihengoldo nomine, qui ambo in conflictu percussi mortem obierunt: eisdemque Lotharius frater, & patruus respectivè, tanquam sanguine proximus, in bonis temporalibus successit, adeoque

adeoque plurimum ditatus est. Hic dum vitæ dies ad senilem produxisset ætatem, animo recolere cœpit, quanta jam inde ab adolescentiæ suæ diebus perpetrasset flagitia, tum Ecclesias deprædando, tum proximū quemlibet suum, prout occasio sese obtulit, diversis afficiendo molestiis: unde compunctis rationem inire cupiebat, quibus viis, cum Deo offenso in gratiam redire posset. Et ecce tanta pœnitudine facta sua pristina detestatus est, ut pro posse restitutis injustè sublatis vitā insuper Monasticam in Cœnobio Mediolacensi amplecteretur, circa annum Domini septingentesimum septuagesimum octavum, ubi reliquum mortalitatis hujus tempus, in omni sanctitate & justitia, cum omnium mira ædificatione transegit, tandemque fatis concedens ibidem terræ conditus est. Sanctus Hildegrinus Halberstatensis, S. Luitgerus Monasterien. Sanctus Guntherus Hildesemensis & postea Ratisponen. primi Episcopi, sanctitate commendati, ut etiam Fredericus Vltrajectensis Episcopus & martyr florent.

Lothario Duci Mosellano nec non Ardennæ Principi in honorum & opum gloria suffectus est ejus unicus filius vocabulo Fredericus, qui fœdere matrimoniali sibi in conjugem de-

vinxit, primò quidē Fœlicitatem Henrici Comitis Salmensis sororem. Deinde verò hac è vivis absque liberis subducta, Annam Regis Britanniæ filiam, quæ ei successu temporis peperit Sadigerum primogenitum, Ethiconem Archidiaconum Treverensem, necnon Elisabetham, Comiti de Zeringem in conjugium traditam. Fredericus tricesimum octavum, aut circiter annum Principatuum suorum administratione perfunctus, infirmitate lethali Treviris laborare se sentiens, loci Archiepiscopo Hannilario nomine, tanquam Christi vicario, peccatorum suorum exomologesim magna cum cordis contritione fecit, & percepta absolutione, aliisque Ecclesiæ communitus Sacramentis, priusquam animam agere inciperet, coram circumpositis sermonem habuit ædificationis plenum, eoque tandem finito, in plurimorum tum Ecclesiastici, tum sæcularis status summatum præsentia, cum magna animi tranquillitate, & certa in Deum confidentia diem clausit extremum, atque in Divi Matthiæ Apostoli præstanti Cœnobio ordinis Sancti Benedicti sepulturam accepit. Fasces paternos Frederico defuncto adiit Sadigerus ejus filius primogenitus, cui Mechtildis Ethiconis Comitis Hannoniæ filia uxor contigit, ex cujus

jus

jus complexu unicus prodiit filius Ragnerus nomine. fuit autem Sadigerus cum à corporis egregiis dotibus, utpotè forma eleganti, & ſtatura procera præditus, tum etiam animi virtute, ſapientia, & rerum agendarum experientia, laude digniſſimus. Quin etiam in bellis, fauſto cum exitu gerendis plurimum valuit: at ut alicujus exercitus ut plurimum varius, imò & poſt plurimas comparatas gloriæ coronas eſſe ſolet funeſtus eventus, ſic noſtro tandẽ uſuvenit Sadigero. A Nortmannis namque, cum quibus penè continuum geſſit bellum, in conflictu quodam percuſſus occubuit, circa annum Domini octingenteſimum, ſeptuageſimum tertium, atque ejus quidem inteſtina Coloniæ Agrippinæ ſub lapide marmoreo recondita ſunt, corpus verò ejus balſamo conditum & Metas dive&ctũ in D. Arnulphi eccleſia, anteceſſorum ſuorum exuviis adunatum extitit.

Ragnerus Sadigeri unicus filius, atque adeò univerſalis hæres, Irmegardam Lotharii primam, primi filiam ſibi in conthoralem aſſociavit fœdere legitimo, atque ex eadem filios hoſce proceſſu temporis excitavit, Giſelbertum in primis Regni Lotharingiæ magnum Gubernatorem, & Iuppilienſem Dominum, Ricuinum, deinde

Ducem

DucemMosellanum, & Ardennæ Principem, Ottonem Calvi montis Comitem, Theodoricum Alzatiæ Ducem, Vigeberum Monachum, ac denique Lotharium Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconum, Theophilactus doctor Ecclesiæ singularis, primus Bulgarorum Antistes, Valefredus Strabo Abbas S. Galli apud Helvetios, Remigius Altisiodorensis, Anastasius bibliothecarius Romanus præclara eruditione viri illustres habentur.

Ragnero in alteram evocato vitam, Giselbertus filiorum ejus natu maximus anno Domini nongentesimo decimo sexto Regni Lotharingici summam adeptus est, atque insimulDominus Iuppiliensis evasit. Duxit autem Gerbirgam Henrici Aucupis Augusti filiam in uxorem, de hoc uti & de cæteris ejusdem prosapię Principibus copiosa materiæ seges ad scribendum sese offert, verum ne nimium à proposito contingat deflectere scopo, iis studiosè omissis ad seriē Principum Luxemburgensium prosequendam me converto. Occurrit autem pro rerum præsenti constitutione Ricuinus alter in ordine Ragneri filius, quem Ducem Mosellanum, & Ardennæ Principem indigetavimus, à quo nimirum ortum duxerunt cæteri qui in hunc usque diem Luxemburgensis Ducatus

tus apicem obtinuisse dignoscuntur.

Hic noster Ricuinus Gihelberti Lotharingiæ Ducis frater germanus, Castro Bullonero; Comitatibus Ardennæ, Hispaniæ Virdunensi (quem ab Imperatore dono acceperat) Dominio item Guerrii (quod modo Luxemburgensis ager nuncupatur) una cum finitimis territoriis potitus est, & cum Mechtilde Everhardi Ducis Franconię & VVormatiæ filia conjugium contraxit, nec non filios habuit Godefridum agnomine barbatum, Ardennæ, Bullonei, & Virduni Comitem, Ottonem Ducem Mosellanum, atque Sigifridum Guerrii Dominum, Bonnam præterea filii Regis Franciæ conjugem, ac denique Mechtildem Arnulphi Burgundi Chinensis Comitis uxorem.

Regño Prumiensis Abbas, Odollemiacensis Abbas, Ratbodus Episcopus Vltrajectensis, Radulphus Flavianus viri docti clarent.

Otto Mosellanus Dux thalamo conjugali conjunctã sibi habuit Helenam Hermanni Bambergæ & Suevię Comitis filiam, Ottonis primi neptem, ex quorum complexu fluxit unicus eorundẽ filius Fredericus, patris in Ducali dignitate successor, cui tempore suo uxor obtigit Beatrix Hugonis Capet soror. Hic ille Fredericus est qui Barrensis Castri prima jecit fundamenta,

menta, Dux Lotharingiæ communi quidem vocabulo compellatus, at non re ipsa talis, sed Mosellanus Dux in Lotharingia existens: hinc ex uxore filius prodiit Adelbero Metensium Episcopus ejusque frater, Theodoricus Dux Mosellanus, & Barri Comes, ex quo posteriore nata est Adela Henrici Comitis Arlunensis conjunx.

Godefridus porrò, & Otto præfati ex Ricuino patre procreati habentur, è quibus moderni Lotharingiæ, & Barri Duces originem ducunt. Sigifridus verò patre eodē Ricuino editus ex quo Luxemburgenses & Ardennæ Principes profluxerunt, quorum nobis in præsentiarum cæteris prætermissis, series sive genealogiam tractare, ac prosequi propositum est.

Sigifridus itaque Ricuini Patris in Dominio Guerrii, uti prætactum est, locum subiit, quem Comitatus titulo sublimari promeruit, annum circiter Domini nongentesimū sexagesimum. Guerrii autem plerique scriptorum omnes constanti affirmant assertione, illud est perantiquum Castrum, quod hodieque in rerum natura consistit, & Curich, communi appellatione vulgò designatur, cujus possessiones per circuitum pro eo quidem tempore longè lateque patebant, omnes ad Sigifridum Comitē supremo jure spectantes.

Sanctus

Sanctus Albertus alias Adelbertus primus Maydeburgensium Episcopus, S. Nosbo in Dania, S. Volcardus in Norvegia, S. Fritestanus Vintoniensis in Anglia, S. Vlricus Augustanus, S. Cōradus Constantiensis, celebres Episcopi, Sanctus Eberhardus primus Abbas eremi Helvetiorum vulgò Einsidlen: ad hæc S. Guibertus Lotharingiæ Princeps, & Vanceslaus Dux Bohemiæ martyr, sacra Christi doctrina omnique genere virtutum conspicui, Ecclesiam Dei latè provehunt & illustrant.

Intra hujus Dominii sive Comitatus ambitum rupes habebantur præruptæ, eæque amœnæ admodum, quarum in parte propè extrema Castrum visebatur à Romanis extructum Lucisburgum vocabulo, tum temporis ad Monasterium Divi Maximini propè Trevirim pleno jure pertinens: cujus loci Sigifridus una cum uxore, ac familia ordinariè residēs in Castro Guerrii amœnitate captus, dum venationibus intentus sæpius eo divertisset, magno expetiit affectu eum in suam redigere potestatem, atque eam ob caussam Abbatis sancti Maximini animum instanter pulsare cepit, quatenus justæ permutationis via in id sibi gratificari vellet: ejusmodi igitur precibus Abbas permotus, de Conventus sui consilio, & consensu Sigifrido Guerrii Comiti

Castrum

Castrum illud quod in literis suis Lucilemburch Castellum nostrum in Arduenna situm vocitabat, pro pago & decimis in Fuilen cessit, & in perpetuum contradidit. Id autem tempestatis Imperii Romani habenas moderabatur Otto Magnus Cæsar Augustus ejus nominis primus, Henrici primi filius. Qui dum in Italiam profectus fratri suo germano Brunoni Coloniensi Archiepiscopo summa cum potestate Imperii gubernacula commisisset: ad hunc Brunonem accessit noster Sigifridus, eique suam de eo Castro Luxemburgensi acquirendo voluntatem exposuit, atque sese ex Castri hujus nomine totum suum Guerrii Dominium appellari deinceps velle declaravit. Quod equidem haud difficulter ei annuit Bruno Archiepiscopus; summus in Imperio vicarius, cujus facti historia scripto subjuncta à dicto Sigifrido desuper confecto patescit.

In nomine unigeniti filii Dei: Certum sit omnibus populis in Christum credētibus, tam præsentibus, quam futuris Clericis, atque laicis. Sigifridus Comes de Guerra nobiliter natus, Castellum quod dicitur Lucelemburgum, in proprietatem desiderans adipisci, perrexit ad Dominum Brunonem, fratrem videlicet Imperatoris Ottonis, qui tunc principatum totius Regni post ipsum tenebat, atque ei suum manifestavit desiderium. Cu-

jus scilicet Episcopi accepto consilio, & impetrata licentia ab eo venit ad Abbatem VVilerum, & ad reliquos Sancti Maximini Monachos, in quorum prædio idem Castellum fuerat positum, petens ut eis liceret cum suo allodio illud commutare, &c. Et in fine literarum sic habetur: Acta est namque hæc mutatio, sive etiam traditio, in Civitate Treverensi, in Monasterio dicti Patroni memorati in die Palmarum, decimoquinto Calendarum Maij, cum consensu & collaudatione Frederici Ducis Lotharingiæ istud peractum est. Anno Domini Incarnationis nongentesimo, sexagesimo tertio, Indictione sexta, Regni Othonis Regis tertio, de patris sui Cæsaris Principatum tenentis secundo.

Ab hoc igitur tempore accidit, ut Guerrii Comitatus in Lucelemburgensem Comitatum commutaretur, & hac alteratione ipsum Guerrii vocabulum ex hominum memoria penè interiret

Sigifridus iste Comitum Luxemburgensium primus, vir fuit prudentia, ac virtute præstantissimus, belli item gerendi peritissimus, simulque Catholicæ religionis cultui singulari animo deditus. In cujus rei evidentiam statim atque in potestatem suam Luxemburgense Castellum accepit, Sacellum quoddam sub intemeratæ Dei genitricis Mariæ patrocinio (quod-

modò à Sancto Michaele Archangelo titulum præfert) juxta idem castellum à fundamentis excitavit. Ipsum deinde castellum prævalidis, ac superbis admodum turribus, aliisque ædificiis ampliavit, sic sane, ut ex castello Arx tandem resultaret longè munitissima, & id temporis, quo tormentorum bellicorum usus necdum erepserat, hominum judicio insuperabilis. Nam præter ædificia, muros, turres, pontesque subductiles quos artificum opera Sigifridus Comes inibi constituerat, locus ille insuper naturaliter pro maxima sui parte inaccessibilis est, adeò ut propter rupium altitudinem, & quasi ad perpendicularem complanationem nimis præruptum, nullis antiquorum belli machinarum concussionibus foret obnoxia: Exinde verò inter Imperii Arces non posteriori loco habitum fuit castrum Luxemburgense. Tempore deinde insequenti, Sigifridus Comes utpote rebus Ecclesiasticis tuendis, imò & adaugendis totus deditus in Advocatum postulatus est vicini Imperialis Monasterii Epternacensis, atque id muneris magna cum laude, & omnium applausu ad Ecclesiæ ipsius utilitatem est executus: & ut erat veræ, & avitæ Religionis zelator maximus, advertens in Epternaco non Monasticę vitę professores,

ſores, ſed ſæculares Canonicos, eoſque admodum diſſolutis, imò & ſcandaloſis moribus ſub æque vicioſo Abbate degere, tantò malo remedium in primis afferre ſtuduit. Vnde citra moram ad Ottonem magnum Imperatorem verſus iter agreſſus eſt, quo deveniens ſuæ Cæſareæ majeſtati clarè, & apertè expoſuit, Monaſterium Epternacenſe à Divo VVillibrordo Epiſcopo Trajectenſi non ſtatus ſæcularis Canonicis, ſed Monachis ſub Divi Benedicti regula Deo militantibus fundatum fuiſſe, aſſignatum, atque traditum, atq; hanc ordinationem ad annum Dominicum octingenteſimum, quadrageſimum octavum uſque in vigore ſuo perſtitiſſe, ac tum demum Monaſtico ordine inde per Andelardum Abbatem opera, & ſtudio cujuſdam Carolomanni eliminato, Canonicos ſæculares introductos, ſeu verius intruſos fuiſſe, hos vero vitam admodum perverſam, & carnis quibuſlibet voluptatibus conſpurcatam, divino opere neglecto, agere.

Quibus ſic explicatis eniꝛiſſimè Imperatori ſupplicavit, quatenus juberet dignaretur, uti Canonicis ſæcularibus, ſæculariter atque damnabiliter viventibus ex Epternacenſi Cœnobio ejectis, pii ac Religioſi ordinis Divi Benedicti Monachi inibi poſtliminio

 repo-

reponerentur, qui nocte dieque Domino universorum creatori juxta vocationis suæ præscriptum, & ejus loco primam fundationem in omni observantia regularis servire satagerent, nec non pro ipsius Cęsaris Augusti salute, & Sacri Romani Imperii pace, & tranquillitati divinam gratiam implorarent. Hæc ut à Sigifrido Comite Imperatori exposita, & postulata fuêre, viri pietatem & verè Christianam sollicitudinem admiratus Cæsar, petitioni ejus protinus annuit, statuitque, ut Sigifrido ejus loci Abbate vita functo, Ravangerus vir ob pietatem, sapientiam, & regulari observantia summè commēdandus in ejus locum subire, Canonici exploderentur, & denuò Monachi reassumerentur. Quod & factum est. Ad Sigifridi Comitis etiam commendationem spectare indubium est, quod confraternitatem Misellorum, quæ hodieque in Epternaco Oppido perdurat, ipse instituerit, & ex propriis bonis liberaliter dotaverit: egit insuper complura alia dum vixit summa laude digna, quæ si prosequi anniterer scriptis, à brevitate mihi in animo suscepta nimis recederem: In uxorem verò ubi adolevit, Mariam cognomine Hardeuvich Eustachii Comitis Sancti Pauli & Guines filiam sibi cooptavit, ex qua unicum procreavit

vit filium vocabulo Giſelbertũ, quem dociles annos jam attingentem in omni ſapientia, morum diſciplina, & virtutum optimarũ exercitatione inſtitui parentes curarunt, adeò ut genitorum præſtantiſſimorum & ipſe filius evaderet præſtantiſſimus. Porrò Sigifridus primus Luxemburgẽſis Comes, vitam produxit ſuam ad annum Chriſti Milleſimum, quantumvis plerique ſcriptorum ipſum diem clauſiſſe extremum longè ante, id eſt, ſeptuageſimo poſt nongenteſimum Domini annum aſſerant, quorum certè aſſertionibus falſitas, noſtri verò veritas ſatis liquet ex tribus auctenticis quæ etiam hodie exſtant ab ipſo Sigifrido emanantib⁹ ſcriptis, quorum primum in Archivis Monaſterii Sancti Maximini repoſitum ſic habet.

In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis. Quoniam omni homini neceſſarium eſſe pernoſcitur, ut in hac vita poſitus de futuris prè meditetur, & rebus tranſitoriis lucem æternæ vitæ mercari conetur, ſacra exhortante ſcriptura, honora dominum de tua ſubſtantia. Itemq; ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Ideo ego Sigifridus Comes cum conjuge mea Hadeuvich do Abbati, fratribus, & Monaſterio Allodium Meerſi, quod ſitum eſt in Comitatu Ardenenſi, &c. Actum, &c. Anno 993. Regni Ottonis tertio. Hæc ex

 primo

primo ſcripto. Alterum verò in Archivis Epternacenſis Cœnobii inventum ita ſonat: *Hac ego Sigifridus, licet indignus, honore tamen Comitis ſublimatus. conſiderans quod ex Regia donatione Abbatiam ſancti VVillibrordi pro beneficio ſuſcepi, eamque per multos annos poteſtative direxi. Acta ſunt hac Anno nongenteſimo nonageſimo ſeptimo.* Sic in ſecundo, cui conforme eſt tertium ſcriptum inter Archiva eadem Epternacenſia repoſitum, ubi Otto magnus Imperator de noſtro Sigifrido tanquã adhuc ſuperſtite ſermonem faciens, eundem Advocatum Epternacenſ. indigerat, ſub data prædicti anni Dominicæ incarnat. nongenteſimi, nonageſimi ſept.

Sanctus Aldegadus Hamburgenſis, apoſtolica auctoritate fultus regnum Dei annunciavit ſeptentrionalib' populis, indè converſæ ſunt ad fidem, Zelandia, Holſatia, Scandia, Norvvegia, Liflandia. Item Ado Viennenſis Epiſcopus, Smaragdus Abbas, Vindechindus, & Luitbrandus Ticinenſis viri docti clarent.

Sigifrido viam univerſæ carnis ingreſſo jure hæreditario in ejus Comitatu Luxemburgenſi, aliiſque poſſeſſionibus ac munere Advocatię Epternacenſis Monaſterii ſurrogatus eſt unicus ipſius filius Giſelbertus, qui cum deſponſata ſibi uxore Bertha Alphonſi

Comitis

Comitis Boloniæ filia suis præfuit ad annos quadraginta quinque, & interea quatuor filios in lucem produxit atque unam filiam. Horum nomina sunt: Fredericus in Comitatu Luxemburgensi successor, Conradus Comes Arlunensis, Godefridus qui absque liberis, quamvis conjugatus obiit, Adelbertus Præpositus sancti Pauli Treverensis, & Ognia Flandriæ Comiti Balduino in matrimonium tradita.

Giselbertus Luxemburgensis ordine secundus, dum jam senectutis dies esset ingressus adjuncto secum Conrado filio suo natu maximo bellum intulit admodũ atrox Megigango Trevirorum Archipræsuli. Hujus autem rei causa ejusmodi extitisse fertur, quod cum illis diebus vacante sede Archiepiscopali, Adelberus Giselberti Comitis secundus natu filius Præpositus Sancti Paulini quorundam Canonicorum summæ ædis suffragio electus, quorundam vero & quidem plurium, & saniorum voto Megigangus Ecclesiæ Metropolitanæ Præpositus designatus foret. Et Henricus tum temporis Imperator Megigangi electionem, Adelberonis præferendam judicasset electioni, eamque proinde suo Imperiali calculo confirmasset, hac inquam de re summopere infensus noster Giselbertus Luxemburgen-

sis Comes cum Conrado filio Megigangum Archiepiscopum gravi bello lacessivit, ejus possessiones deprędando, subditos infestando, & quibuslibet incommodis afficiēdo. Quinetiam Palationense sub urbe Treverensi ab altera parte Mosellæ situm oppidum non ignobile obsidione vallavit, & in suam potestatem non magno labore adegit: tum verò quo Treverenses exinde efficacius divexaret, Castrum ejus loci multo quam antea magis muniri curavit, ac denique pontem Mosellæ ad urbem Treverensem situm ab exteriori parte adhibitis custodiis vigilanter observari curavit, ne cuipiam illas urbes ingredi, aut etiam egredi citra ejus permissum contingeret.

Megigangus in summas conjectus angustias, dum sibi per se minimè subveniri posse conspiceret, ad Cæsaris opem implorandam sese convertit: ex quó cum indignatione commotus Cęsar exercitu prægrandi congregato, Episcopo subventum venit, atque in primis Palatiolum oppidum Treveris valde infestum ex Luxemburgens. Comitis potestate eripere est conatus, at cum circa eas partes frustraneè castra fixisse per menses aliquot sese conspiceret, eam obsidionem re infecta dissolvit. Vnde Luxemburgenses in Palatiolo constituti, majori superbia inflati,

ſtati, in Imperialem exercitum Trever. urbi jam propinquiorem factum, irruptiones frequentes non ſine gravi ipſorum Imperialium jactura fecerunt. Accidit autem ſub hac mutua bellantium concertatione, dum varii generis commeatus utpote in bobus, ovibus, granis, vino aliiſque ſpeciebus conſiſtens ad ſuſtentationē Imperialis exercitus adveherentur, & horū magnus numerus jam ad Virani Montis poſt S. Maximini Monaſterium declivum perveniſſent, Milites Luxemburgenſes id eminus ex Palatiolo conſpicientes eorum ad deſtinatū locum appulſum prævenire feſtinarunt, maximam rerum earū quarum uſus perquam ſibi commodus futurus erat prædam ſecum à Cæſareis, quanquam tota vi obſiſtentibus, abduxerunt. Quam ob cauſam Cæſar ipſe plurimum turbatus, inopſque conſilii Pontem Palatienſem funditus dirui juſſit: & Megigango altera vice in Archiepiſcopatu confirmato, inde deceſſit, Megigangus verò ſibi Treviris non confidens tutum fore Confluentiæ deinceps domicilium fixit, Adelberus autem, patre ſuo Giſelberto Comite ad propria remeante in Palatiolo remanſit.

Dum porrò Giſelbertus anno Domini, 1015. naturæ jura perſolviſſet,

 atque

atque ibidem eodem fermè tempore Megigangus mortis tributum exſolviſſet, lætus exindè effectus Adelbero de novo ſperare cæpit ſeſe citra cujuſquam reſiſtentiam Archiepiſcopatus Trevirenſis jura, planè & pacificè adepturum, verum eventus rei longè alius accidit. Nam Cæſar indignum exiſtimans non vindicare ſeſe de iis quæ (occaſione) ab Adelberone & à Luxemburgenſibus Comitibus ipſe cum Imperii ſtatibus perpeſſus fuiſſet, manum coëgit quam antea multo prævalidiorem, caſtraque ad oppidum Palatiolenſe admovens ipſum cum adjuncto caſtro infra paucorum dierum circulum armorum virtute ſuperavit, in ſuam poteſtatem redegit, ac Adelberonem cepit captivum. Deniq; priuſquam inde abſcederet, Poponem Ratisbonenſem, virum ſanctitate, & doctrina conſpicuum, in Archiepiſcopum Trevirenſ. eligi petiit, quo haud difficulter obtento, Imperiali auctoritate ejuſmodi electionem ratam & firmam eſſe decrevit. Quæ dum fierent, Cæſar ipſe Adelberonem captivum talibus verbis affatus eſt; talem virum (mi Adelbere) huic ſedi Trevericæ præſidere volumus, qui tuæ tuorumque veſaniæ, virtute ſua, atque prudentia reſiſtere poſſit. Quo audito Adelbero ſupra quam dici poteſt obſtupefactus,

pefactus, ad pedes novi Archiepiſcopi Popponis humiliter proſtratus, petiit enixiſſimè ſibi temeritatis præſumptæ culpam clementer ignoſci, quam petitionem haud difficulter ab optimo Præſule impetravit, atque etiam eodem apud Cæſarem intercedente, liber, & vinculis ſolutis evadere meruit. Animo tamen expendens quot & quanta per ſe, & ſuos damna Provinciæ Trevericæ illata injuriosè fuiſſent, & præſertim quod Eccleſiæ poſſeſſiones cladem permaximam inde pertuliſſent; diſtrictum divini tribunalis judicium perhorreſcens, iram ſummi malorum Vindicis, ſibi placare quibus potuit modis curavit, atque eam ob rem præter continuum ob commiſſa peccata lamentum, quo toto reliquo vitæ ſuæ tempore ſeſe confecit, ad damnorum etiam reſtitutionem faciendam animum applicavit, atq; reipſa bonorum ſuorum hæreditariorum partem non minimam damno affectis contulit, utpotè Sarburch / Berrencaſtell / Ruttich cum appendicibus Epiſcopo Trevirenſi, & ſuis ſucceſſoribus de conſenſu Cæſaris, plenè, integrè & abſolutè perpetuis temporib⁹ poſſidenda, abſque illius juris reſervatione, donavit & tradidit. Aliis item Eccleſiis, & Monaſt. circa Trevirenſem urbem conſtitutis, amplas poſſeſſiones

nes in injuriarum ipſis illatarum reparationem devoto, ac liberali animo contulit, legavitque. Nam ut cætera ſileam, D. Matthiæ præſtantiſſimum Monaſterium ad Aquilonarem urbis Trevericæ partem ſitum, ab hoc Adelberone bona ſua in Benraed/Longaſura, & alibi permagni valoris ſibi donata, & collata habere, & etiamnũ poſſidere fatetur. Continuit ſe porrò ipſe Adelbero dum ſeditiones præcitatæ, ut præfertur, ſedatæ eſſent in ſua Præpoſitura ad S. Paulinum, vixitque in omni pietate, juſtitia & membrorum ſuorum, quę erant ſuper terram, mortificatione.

Hinc pauca ſcitu digna, priuſquam ulterius ſeriem proſequar inſtitutam, de prælibato Conrado ſecundo Giſelberti Comitis natu filio, qui patri in bello contra Archiepiſcopum Treveren. agendo conſtanter aſtitit, interſeram, Conradus iſte Comitatum Arlunenſem poſſidendum accepit, & Giſelam Comitis Caſtinenſis filiam connubiali thoro complexus eſt, quæ ei ſucceſſivè peperit Henricum, Conradum Monaſterii Munſterienſis propè Luxemburgũ fundatorem, & Mariam: horum pater Conrardus, de quo nobis in præſenti eſt ſermo, vivente adhuc majore ſuo fratre Frederico conceſſit fatis, eique filius ejus primo natus Henricus

Henricus in Comitatu Arlunensi suffectus est, qui Adelam Theodorici Ducis Mosellani filiam sibi in conjugem desponsavit, ex qua filios binos Falconem & VValramum suscepit: quorum prior Falco Fredericum & Beatricem genuit, & cum eis, necdum ephebis, mortis exsolvit debitum. VValramus deindè solus Henrico Arlunensi Comiti patri superstes filius Isabellam Comitis Lossensis matrimoniali fœdere sibi devinxit, & ejus causa possessiones opimas, quæ hodie, voce Gallica *pays d'Oultre Meuse* nuncupatur, dotis titulo adeptus est, genuitq; ex ea Isabellam, cui Henricus Luxemburgensis factus est maritus, eo scilicet pacto, ut Comitatus Arlunensis vita functis ejus possessoribus propter Isabellam uxorem in Henrici hujus Luxemburgensis deveniret.

Ejusmodi contractu nihil obstante Adela Isabellæ Lymburgensis Avia & ad dies vitæ suę dicto Arlunensi Comitatu gaudens & in eo residens, senio jam confecta, ut morti proximam sesensit, VValrami filii sui, necnon suæ ex ipso neptis Isabellæ prætactæ immemor, Comitatum Arlunensem Ecclesiæ Metropolitanæ Treverensi in hæreditariam possessionē legavit, cui quidem facto tanquam sibi præjudicanti, & contractui pręallegato ex dia-

metro repugnanti statim sese cum solemni protestatione opposuit Henricus Lymburgensis, atque dum non ita multò post, mortem obiisset Adela, ipse Arlunum properanter veniens à civibus fidelitatis juramentum suscepit, & exinde sese Lymburgensem & Arlunensem appellavit Comitē: Isabellæ porrò ejus uxoris una cum parvula unica filia ex hac vita ad futuram translatæ, bona ultra Mosam circa Trajectum & Dalhemium sita ad parentem ejus VValramum jure proximitatis redierunt, à quo deindè absq; hæredibus defuncto in Conradi patrui sui tanquam veri ab intestato hæredis potestatem devenerūt, ac deindè Monasterio Luxemburgensi ordinis S. Benedicti, quod ipse fundavit ab ipsomet donata sunt, & in hunc usq; diem possessa. Fulbertus Carnotensis Episcopus, Radolphus ardens homiliastes, Burchardus Vormatiensis Episcopus, Berno Abbas Augiensis, scriptores celebres fuerunt.

Fredericus (ut eo redeam unde non nihil urgēte occasione digressus sum) Gisberti secundi ordine Comitis Luxemburgensis filius primogenitus, patris demortui primarios titulos, utpote Luxemburgensem Comitatum assecutus, Geertrudem Gozelonis Gibberi Ducis Lotharingiæ filiam sibi in

uxorem

uxorem aſcivit, atque ex ea filios ſuſcepit Sigifridum, Giſelbertum, Henricum, ac filiam Ermeſindam. * Horum Henricus ad Regis Franciæ commendationem in Epiſcopum Colonienſem circa annum Domini 1046. vivente adhuc patre ſuo electus eſt, uti liquidum eſt ex Catalogo Epiſcoporum prælibatæ Eccleſiæ: ſub his verbis Henricus filius Frederici Lotharingiæ Ducis, nec verò movere quenquam debet, eum non filium Luxemburgenſis Comitis, eo loci appellari, id enim eo contigit, quod Fredericus pater ejus non modo Luxemburgenſis Comes, ſed etiam Moſellanus in Lotharingia Dux ab Imperatore pridem extiterat conſtitutus, ex quo tanquam honoratiori patris titulo ipſe Henricus Epiſcopus ſibi cognomentum uſurpabat. Hic autem ſuæ Eccleſiæ regimen tempore haud longo tenuit, abreptus nimirum præmatura morte ex hac vita, in fata ſimiliter ejus duo germani fratres Sigifridus, & Giſelbertus conceſſere juvenes nullo poſt ſe relicto hærede. Vnde accidit ut præter ipſorum ſororem Ermeſindam nulla Frederico patri proles, & ex ejus corpore hæres nemo reſiduus maneret maſculei ſexus.

Cæſar proindè videns mares in Frederici linea deeſſe, Ducatum ejus Moſellanicum

ſellanicum in Gozeloni Lotharingico contulit, prout ex Sigiberti Gemblacenſis Monachi Chronico haud obſcurè colliqueſcit. Ita enim habet: *Frederico Moſellanorum Duce mortuo, quia mares filios non habebant quibus Ducatus competeret, Gozelo Dux impetrato etiam ab Imperatore Moſellanorum Ducatu in Lotharingia potentius principatur.*

Sanctus Eduardus Angliæ Rex magnus, regia gloria, fide & ſanctitate major eluceſcit, & S. Hanno Colonienſis Epiſcopus, S. Petrus Damianus Epiſcopus Hoſtiēſis, S. Lanfrancus Epiſcopus Cantuarienſis, Guitmundus Vmbertus Cardinalis, Theduinus Epiſcopus Leodienſis, Hermannus Cōtractus, & Hilbertus ſcriptis florent. Ermenſindā ſcribunt chronographorum aliqui Comitatui Luxemburgico poſt patris ſui Frederici deceſſum præfuiſſe, Conradum verò primum, & Fredericum patruos ſuos: Item Conradum ſecundum primi ejus nominis filium, ac denique Guillelmum ſecundi Conradi filium, hujuſque filium Conradum tertium extitiſſe nominetenus tantum ac non reipſa Comitatus.

Luxemburgenſis poſſeſſores ac dominos: quæ ita ſcribentium opinio, quam longè à vero aberret, non difficulter advertet, quiſquis præter cæte-

ra originem ac fundationem Monasterii Munsteriensis attenderit. Illud namque ex ejus Monasterii archivis indubitatum habeo, atque adeò Ermesindæ fratrueles ex patruo ipsum Monasterium à fundamentis primus excitaverit, & ex bonis, sive possessionibus suis propriis dotaverit, absque eo quod cujuspiam, & ne quidem Ermesindæ ad id assensum sive confirmationem expetierit, quæ sane nullo pacto constare possunt, & consistere, uti constant atque consistunt, si ipsa Ermesinda non verò dictus secundus Henricus, verus, & realis Luxemburgensis Comes extitisset, ex cujus authentico scripto, hæc huc transumpsi. *In nomine Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti &c. Damus fratribus & Monasterio montem, in quo nullus patrum meorum prius adoraverit, à turri extrema Castri nostri usque ad aquam, cum banno, & aquam à ponte sancti Vdalrici, usque ad Rupẽ Moronis, cum molendinis & furnis. Item damus illi omnia necessaria in Sylvis de* Huffen *&* Sandwyler. *Damus etiam illis pratum nostrum spatiosum propè* Nurhingen/ Curtem Pryß/ *villam Rodinges, Ecclesias Rodo &* Sandwyler *&c.* Hæc ibi, quæ evidenter intentum nostrum comprobant, dum Castrum suum Henricus secundus, & vicina bona ad Comitatum eatenus pertinentia auctori-

tate propria pura, & libera alienis donat. Item Clementia prædicti Henrici vidua, in sui pagi de Merl propè Luxemburgum siti donatione prædicto Monasterio facta dictis satis adstipulatur, in diplomate filii sui Guillelmi his verbis:

Postea quam pater meus in via Hierosolymitana defunctus esset, & post duos annos inde translatus, ac in prædicta crypta tumulatus, eodem die venerabilis mater mea Allodium, quod dicitur Merra, Christo & ejus genitrici, assensu filiorum dedit, &c. Vbi vide lector hanc viduam Henrici bono Comitatus tanquam eorum Dominam in aliorum dominium transferre. Facit & ad horum confirmationem aliud dicti Guillelmi diploma, quo sibi & successoribus suis Castri Luxemburgensis Dominis, atque adeò Comitibus ejusmodi imponit legem. *Dominus autem hujus Castri nullum gravamen illis inferat, nec de placitis eorum se intromittat, & si ab aliquo Monasterio injuria facta fuerit à nobis, seu à posteris nostris justitia requiratur, & nihil pro hac re nobis debetur, &c.* Servit denique huic proposito Brunonis Archiepiscopi Trevirensis confirmatio privilegiorum dicti Monasterii, ita habens:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bruno Dei gratia Treverensis Archiepiscopus, &c. Notum facimus tam præsentis,

sentis, quàm futuri sæculi fidelibus, quòd Comes Guillelmus de Lucemburch, pium patrii sui Conradi votum adimplere desiderans, &c. Hæc sunt autem quæ fratribus illic Deo famulantibus à Comite Conrado, ab uxore ejus Clementia, Item à filio Guillelmo donata & chartis confirmata. Dos Ecclesiæ, Mansum unũ indominicatum, & quatuor mansi vestiti, & mons, & planicies, ab extrema turri Castri, usque ad aquam: Hæc acta sunt tempore Henrici quarti. Accedit his clarus textus literarum Adelberonis Leodiensis Episcopi in hæc verba.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris, quàm præsentibus, quod Conradus bonæ memoriæ Comes de Lucemburch, Ecclesiam, Ecclesiæ Romanæ appendiciam Deo, & Matri ejus muris fundavit, rebus extruxit, religione stabilivit, de Monachica S. Benedicti regula insignivit: Ego autem Alberus gratia Dei Leodiensis Episcopus, Fulmaro Cœnobii illius primo Abbate de Ecclesia De Fouron*(quam Comes Conradus prædictam dotaverat Ecclesiam) bannum feci legitimum, charta & sigillo meo confirmatum, ad ostendendam veritatem, ad tollendam futuri temporis occasionem, ad habendam successoribus meis notitiam. Ad hunc Bannum conduxit eum Comes Guillelmus prædicti Comitis successor, & filius ad generalem Synodum Leodii in Conventu Principum, in præsentia liberorum xiiij. Calendarum Iulii, in secundo consecra-*

tionis meæ anno. Testes hujus sunt Comes Namurcensis Godefridus, Comes Gualeranus, Comes Ottho, &c. Sic Leodiensis Episcopus Adelbero, uti supra. Ex quo luce meridiana perspicacius apparet Conrardum, & ejus filium Guillelmum veros extitisse Luxemburgenses Comites, & Ermesindam nullatenus eidem Comitatui prædominatam, quippè cujus maritus Godefridus Namurcensis Comes in factorum testem non vero approbatorem inducitur. Manet proinde satis confirmatum nostrum assertum, quo Conradum secundum Comitem extitisse veraciter Luxemburgensem asserimus, ac proinde errasse historicos, qui ex eorundem Comitum serie hos tres, Conradum secundum, Guillelmum, & hujus filium Conradum tertium omiserunt. Quod si quis apponat Conradum primum Conradi secundi parentem eo Comitatu minimè gavisum fuisse, respondeo id quidem esse verum, attamen nostræ sententiæ nihil officere. Nam id accidit, quod frater ejus major Fredericus Comes Luxemburgensis ipso moriente superviveret, & tandem absque propria prole decedens fratris prædefuncti posteris, id est Conrado secundo, & ab eo descendentibus, tanquam proximis hunc Comitatum cum aliis bonis suis dimiserit

miserit hæreditario jure possidendæ.

Carthusianorũ ordo Parisiis in Gallia à S. Brunone Coloniensi Germano, & S. Hugone Episcopo Gratianopolitano Gallo cum sociis septem initus anno 1082. quo calcatis sæculi illecebris minore peccandi periculo; majore Deo famulandi libertate, per austeram vivendi disciplinam, & per condigna fidei opera, cum timore vocationem suam & electionem certam facerent. S. Anselmus Episcopus Cantuariensis salutari doctrina & rebus piè gestis præclaram divinitus vitæ sanctæ testificationem consequitur. florebat etiam S. Ivo Episcopus Carnotensis, & VVilhelmus Abbas Hirsanguiensis sanctis animi dotib⁹ commendatus, uti & qui ipsum præcesserat Fredericus.

Circa hæc tempora accidit, ut Henricus Henrici tertii Imperatoris filius in Romani Imperii Regem eligeretur, atque non adeo multò post ad supremum ipsius Imperii fastigium defuncto parente Anno 1057. eveheretur Henricus quartus ejus nomenclaturæ dictus. Cum verò ætate admodum esset immatura, judicioque videretur ad id functionis minus prudenti, Imperii procerum suasu atque consilio, Mater ipsius Cæsaris ac prædefuncti vidua, mulier omnium

judicio prudentissima, filio donec ætate, ac rerum cognitione maturesceret assignata est in subsidium. Verum cum id cæterorum procerum consilium Ottoni Coloniensi Archiepiscopo minimè probaretur, ejus molimine, ab ejusmodi Romani Imperii auxiliari administratione bona mulier paucis inde elapsis temporum spatiis dejecta est, ex quo quidem eventu non parùm turbationis inter Imperii status exortum est. Cujus sedandæ gratia, imò propriæ salutis operandæ causa, divino instinctu tacta Imperatrix, mundi hujus vanitatibus atq; illecebris, nuntium remittere constituit, atque eam ob rem Cœnobiũ Fructuariense Deo, & sibi de cætero vacatura ingressa est. At verò cum Ottho Coloniensis nihil de præconcepta in Augustam malevolentia remisisset, in tantum ejus quietem & religiosam conversationem turbare nisus est, ut devota Deo mulier ejus importunitate coacta, eum locum relinquens Romanum iter inire decreverit, quo magno labore pertingens salutatis piè Apostolorum liminibus, ac reliquis denique sanctis inibi locis magno cum affectu visitatis, in sanctis operibus ac præsertim eleemosynarum largitione profusa, atque corporis afflictione reliquum dierum transmisit, tandemque bea-

to fine consummata, animā Deo creatori reddidit, ejus autem corpus in Divi Petri Basilica juxtà Divæ Petronillæ virginis altare conditum est.

Dum hæc ita agerentur, aut certo brevi indè decursu tempore Henricus quartus Imperator Augustus Corona Imperiali in ipsa urbe redimitus extitit, ac deinde Berthā Lombardiæ Marchionissam sibi matrimoniali vinculo devinxit, genuitque ex ea successivè proles istas Henricum ejus nominis quintum patri in Imperio successorem, Conradum, Clementiam nostri secundi Conradi, Luxemburgēsis Comitis postea conjugem, ac deniq; Agnetem Lupoldi Marchionis Austriæ sponsam è quorum complexu prodierunt sanctus Leopoldus & Poppo Trevirensis Archiepiscopus.

Clementia itaque Henrici quarti Imperatoris filia Conrado nostro Luxemburgensi Comiti conjugali thalamo associata est, ex quo quidem thoro profluxere proles Guillelmus patris in Comitatu successor, Adelbertus Virdunensis Ecclesię Primicerius, Henricus adolescens è vita sublatus, Bertha Comitis de Zeningen uxor, Elizabeta Comiti Hannoniæ nupta.

Hoc Conrado habenas Luxemburgici Comitatus moderante, Poppo Trevirensis Archipræsul uxoris Hen-

rici Clementiæ ex sorore nepos, viam ingressus est carnis universæ. Hinc autem in Pontificali munere surrogari accidit Everhardum Comitis Sueviæ filium, Ecclesiæ VVormatiensis Præpositum, eundemq; à summo id temporis Pontifice Maximo Leone nono Lotharingo, seu potius Germano Alsatio Comite prius Tullensi Episcopo, suæ institutionis confirmationem obtinere. Fuit autem Everhardus iste Præsul magna in Deum pietate præditus, & gregi sibi commisso laudabiliter admodum pastoris officium impendit, sed & Ecclesiæ suæ jura, privilegia, nec non possessiones summa prudentia atque industria gubernavit, ampliavitq;. Contigit porrò una dierum dum hic obeundi pastoralis muneris gratia huc illucque per diocesim suam proficisceretur, obvium eum habuisse Conradum Comitem Luxemburgensem, qui timore Dei abjecto, & nihil etiam majorum offensam veritus, in Christi sacerdotem, eumque suum verum & proprium pastorem, & Patrem spiritualem Everhardum Treverensem Archipræsulem manus violentas ausu temerario immittere præsumpsit, quin etiam eundem secum abduxit, carceri mancipavit, ejus pallium discidit, vestes sacerdotales diripuit, sacrum unctionis chrisma effudit,

effudit, nec non alia nefanda ſimul perpetravit. Triſte iſtud nuntium dum ad Trevirenſium aures eſſet delatum, in luctus ſignum ubique per eccleſias divinum officium publicè & ſolemniter pro more fieri prohibuerunt, donec & quouſque Summi Pontificis ſuper hac re ſententia haberetur.

Summus Pontifex ſtatim atque pro parte Archiepiſcopi, & ejus ſubditorum querimonias ejuſmodi percepit, ſacrilegum hoc facinus magnopere deteſtatus eſt, & deliberatione cum cœtu Illuſtriſſimorum Cardinalium maturè præhabita in excōmunicationis ſententiam jure ipſo Conradum Comitem Luxemburgenſem incurriſſe declaravit, eumque hac cenſura innodatum, una cum complicibus ſuis voluit, donec pœnitentia tactus ab ipſomet Archiepiſcopo tam graviter offenſo veniam humiliter petiiſſet, & eam cum omnimoda abſolutione quā in ipſius Archiepiſcopi poteſtatem Pontifex contulerat, percepiſſet.

Hanc adeo gravem in ſe ſententiam audiens Conradus Comes à ſupremo Eccleſiæ capite promanaſſe, ſalubriter compunctus ilicò Antiſtitem eatenus apud ſe captivatum liberum ad propria abire permiſit, atque ad ejus pedes ſuppliciter provolutus rogavit enixiſſimè ſibi temeritatis tantæ ve-

niam impartiri, nec non à vinculis excommunicationis solutum in Ecclesiæ sacramentorum, suffragiorum & aliorum fidei Christianæ jurium participationem denuo se admitti, promittens de cætero emendationem, & quoad posset partim offensæ satisfactionem præstare. His precibus atque pollicitationibus Treverensis Antistes inclinatus, desideratæ absolutionis à cujuslibet censurę vinculo beneficium elargitus est, nec non salutaris pænitentiæ loco injunxit, ut in commissorum criminum apud districtum judicem Deum promerendam veniā Monasterium ordinis Divi Benedicti in honorem Apostolorum principis extrueret, & sufficientibus ex proprio dotaret reditibus, ac denique profectionem ad terram sanctam devotè susciperet. Comes veniæ, & gratiæ divinæ percupidus libentissimè tale in se suscepit onus; nec mora, loco Luxemburgensi suę arci contiguo in peramœna & mediocriter ampla rupe Monasterium à fundamentis excitavit, in eoque persummam diligentiam pœnè intra biennii spatium absoluto Monachorum collegium instituit, quibus virum religionis usu, & sapientiæ doctrina conspicuum, Fulmarum nomine, Abbatem præfecit, assignatis etiam ex bonis suis, quę in perpetuum

ad

ad eorum congruam ſuſtentationem ſufficerent reditibus. Hoc ita effecto, Comes Conradus, uti in mandatis acceperat, ſeſe itineri Hieroſolymitano accingit, dimiſſiſque uxore & prolibus domi, una cum perpaucis loca quę Salvator noſter dum humani generis ſalutem in medio terræ operaretur, ſuis ſacris veſtigiis preſſit, ſuiſque ſecundum humanitatem nativitate, morte, & ſepultura ſanctificavit peragrare, & ſumma cum religione viſitare ſtuduit: Demum proprium ſolum repetiturus pedem indè retulit, & in ipſo itinere Monaſteria diverſa, nec non Eccleſias aliaque divino cultui conſecrata loca inviſendo, plurimas ſanctorum reliquias ſibi donari obtinuit, quibus Monaſterium recens à ſe fundatum exornare diſponebat. Verum ut vita hominum lubrica, & tenui eſt pendens filo, accidit ut priuſquam metam contingeret propoſitam, in morbum acerrimum incideret, cum quo aliquot diebus conflictatus ſpiritum ſuum in terra non ſua Domino Deo creatori reddidit. Famuli ipſius in eadem peregrinatione comites putarunt ſibi non committendum, quin corpus à corruptione, quantum quidem per induſtriam ſuam fieri poterat, præſervari curarent: quo & integrius ad locum ſuæ originis illud decenter cum

tempore

tempore transferri posset. Balsamo igitur, & aromatibus in id aptis condiri corpus Domini sui defuncti fecerunt, & tum inceptum prosequentes iter, triste de Domini sui obitu nuncium ad ejus uxorem & liberos detulerunt. Quibus mandantibus, quidam tum nobiles, tū inferioris notæ viri in Italiam profecti, corpus inde defuncti Comitis Luxemburgēsis Conradi, domum evehi fecerunt, illudque ad locum destinatum perductum honorificè in crypta Ecclesiæ Monasterii per eum, prout paulò antè diximus constructi, sepulturæ mandarunt: ac denique capsulis Reliquiarum sacrarum inter reliquam dicti Comitis suppellectilem repertis, ac reseratis hæc quæ sequuntur contenta fuisse feruntur. Pars pepli Divæ virginis Matris. Pars spongię qua Christus Dominus in cruce pendēs potatus fuit. Inferior mandibula, eaque integra Sanctæ Luciæ virginis & Martyris. Dens unus Divi Blasii Episcopi & Martyris. Oleum quod ex corpore Beatæ Catharinæ virginis fluxit. Pars lapidis loci ubi crux Domini fuit infixa. Pars ossis S. Simonis Apostoli. Hæ verò sacræ reliquiæ dicto Monasterio per Divinam Clementiam defuncti viduam fuerunt consignatæ, ubi & hucusque in honore & pretio condecenti habentur. At-

que

que is finis vitæ fuit magnanimo, ac verè religioso principi Domino Conrado ejus nominis secundo Luxemburgensi Comiti.

Clementia viro orbata, vitam deinceps agere cælibem in omni pietatis, ac Christianæ religionis exercitio elegit, atque in hoc proposito ad terminum vitæ perducta, & ipsa tandem vitam cum morte commutavit, sepulturamque sortita est juxta prædefuncti mariti corpus in prælibata crypta, ubi ambo quievere donec anno 1542. Franciscus Gallorum Rex Agrum Luxemburgensem unà cum ipso ejusdem nominis provinciæ oppido flammis, cæde, & ferro vastaret: Tum enim majorum jussu cum Monasterium ipsum ab igne devoratum foret, ac pœnè absumptum, ejus loci Abbas Ioannes Hardert nomine, Principum Monasterii fundatorum Sarcophagum aperiri jubens, exinde eorum corpora in Divi Ioannis Baptistę Xenodochium ipsi loco Monasterii diruti per Imperatorem Carolum Quintum assignatum transportari, & quantum ea permiserunt tempora, & loca decenter recondi curavit, ubi generis humani universalem resurrectionem præstolantes delitescunt.

Conrado è vivis prout præmisimus sublato, filius ejus Guillelmus primo-

genituræ jure etiam matre Clementia adhuc superstite anno scilicet 1086. suffectus fuit, duxitque in thori consortem Mechtildē Ducis Sueviæ Frederici cæci filiam, ex cujus complexu prodiêre Conradus ejus nominis tertius Luxemburgensis Comes, Sigifridus, Vdalricus, Fredericus, qui tres annos pueriles minimè sunt egressi, Agnes præterea, & Mechtildis. Guilielmum hunc ferunt opibus admodum fuisse abundantem, mireque liberalem, & in suos subditos benignum & affabilem, extitisse insuper eum dicunt Abbatiarum S. Maximini, Epternacensis, & Mediolacensis summum Advocatum, habuisseq; cum Godefrido Namurcensi Comite (cui Ermesindis Luxemburgensis uxor contigerat) amicitiam singularem, ex quo etiam provenit, ut Godefridi istius filia Elisabetha nomine, Conrado Guilielmi primogenito in uxorem coaptaretur.

Fuit præterea Guilielmus Comes rerum bellicarum longè peritissimus, unde fama ejus percrebrescente, Henricus quartus Romanorum Cæsar Augustus eundem in sui exercitus primarium Ducem ordinavit, Anno reparatæ salutis 1096. Imperii autem prætacti Cæsaris Anno quadragesimo primo.

Hierofo-

Hieroſolymitanum Regnum à Chriſtianis excitatur Anno 1099. ſuſcepta ſacri belli in Saracenos expeditione, cujus Dux lectus eſt heros inclitus Godefridus Comes Bullonius idem Dux Lotharingiæ, quæ hæreditate ei proxime obvenerat: quem Principes viri non pauci peditum ſexcenta millia, equitum centum millia tripartito agmine ſecuti ſunt, qui omnes ſigno ſalutiferę crucis inſigniti fuêre. Primum agmen inconditum facilè hoſtium inſidiis patuit; poſtea Nicea in Aſia minore prima capta eſt, & ad eam cæſus Solymannus cum Turcis; deindè Tarſus tum Antiochia, ubi fuſi ſunt Parthi, Medi, Aſſyrii; tandem Hieroſolyma triceſimo obſidionis die ipſo meridie feria ſexta: quò primus invaſit in muros Godefridus, pulſique ſunt Saraceni cum Calypha Ægyptio, & triennio totus ſubactus eſt Oriens: regionum cuiq; Principi aſſignata provincia eſt; Rex in ſancta urbe Hieruſalem creatus omnium votis Godefridus, qui quod Rex æternus eo loci ſpinis coronatus fuiſſet diadema capitis aureum recuſavit; ſecundus ei ſucceſſit Balduinus frater Anno 1100. Cæterum biennio poſt hanc expeditionem nova alia ſubſecuta eſt Lombardorum, Germanorum, Francorum & Burgundionum. Imperator Henricus à tam

ſancto

ſancto & felici inſtituto ſuis implicitus bellis, longè auxilio, animoque aberat: quin etiam Vrbano ſecundo Pontifice ob id iniquus (aït Æmylius) quod gloriam pii belli ab illo excitati ſuarum partium dedecus exiſtimaret.

Præmonſtratenſium ordo Religioſus initium ſumit à Northberto ſanctiſſimo, & nobiliſſimo viro Lotharingo.

Annum Domini circiter milleſimum, centeſimum, decimum quintum contigit Meteſes graviſſima cum Virdunenſibus habere diſſidia, adeò ut utrinque tantus furor inimicitiarum exardeſceret, ut nunquam, & nuſquam ab invicem tuti prodire poſſent, quin alii alios interciperent, trucidarent, aut certè vinctos tetris carceribus manciparent. Metenſes porrò, ſuis rebus proſpicere cupientes, militem conſcribunt copioſum, eumque in primis ad caſtrum quoddam Dieuleuvart gallico idiomate vocatum, latinè vero Arx Dei reddita, obſidione premendũ deſtinarunt. Quod ut ſolerti ſtudio efficere ſatagerent, milites ea in arce præſidiarii Epiſcopo & Comiti Virdunenſi, ſacramento addicti, certo ſibi propediem à parte ſui domini opem adventuram promittentes, nequicquam Metenſium exercitus molimina morati ſunt.

Erat

Erat autem id temporis Virdunensis Præsul, & Comes, Richardus Grandipratensis Comitis filius, qui Raynaldum Barrensem Comitem virum in re militari plurimum potentem sibi in Vicecomitem asciverat, eique ut obsessis in Dieuleuvart opem, & auxilium armata manu ferre anniteretur præceperat. At verò Raynaldus fratri suo Stephano tum temporis Metensi Episcopo displicere veritus, frigidè admodum, & superficialiter mandatum Virdunensis Comitis perficere aggressus est, quin ipsismet quos defendendos susceperat, multò plura quam adversariis Metensibus mala, prædas agendo intulit, indeque castrum Dieuleuvart subsidio exspectato destitutum, magis magisque obsidentium viribus pressum, in eorum tandem potestatem devenit, dirutumque & solo adæquatum est.

Percipiens igitur Virdunensis Episcopus sibi adeò flaccidè seu potius infideliter à Comite Barrensi suo in re bellica Vicario serviri, ejusque neglectu & dissimulatione insigne istud castrum ab hostibus manu valida superatum, eundem rationem facti hujus redditurum conveniri jubet. At ille cum sic vocatus accedere renuisset per sententiam ipsius Episcopi, in plurimorum nobilium præsentia, Viceco-

mitatus munere dejectus est, ac deindè consultatione super alio in ejus locum subrogando diligenter pręhabita, potissimorum consilium fuit, ut Guilielmus Luxemburgensis Comes ad id vocaretur functionis, utpote cujus insignium in bello & pace actuum fama omnibus per circuitum satis innotuisset. Accersitus igitur Guilielmus noster protinus postulantium acquiescit petitioni, & magno comitatus equitum numero Virdunum petiit, ubi tum ab ipso Antistite, tum denique ab omnibus subditis magno cum applausu susceptus est; ac denique Vicecomitatu loco Raynaldi Comitis Barrensis honoratus, consuetum fidelitatis præstitit juramentum.

Raynaldus ob hanc sibi factam ignominiam ira gravi accensus, ultionem quibuscunque posset modis de Virdunensi Præsule sumere animum apposuit, eaque de causa consanguineorum, aliorumque suorum amicorum, junctis propriis subditis auxiliares copias imploravit.

Præsentiens itaque Guilielmus noster Virdunensi territorio immodicas à Raynaldo infestationes imminere, coëgit & ipse militum manū non exiguam, qua hostiles cuneos à finibus suæ administrationi commissis fortiter arceret. Accidit autem una dierum,

rum, dum uterque exercitus parvo ab invicem ſpacio diſtaret, ut Guilielmus Luxemburgenſis Comes oportunitate accepta, cum ſuis de repente in Raynaldum, & ſuos magno impetu irrueret, copias adverſariorum funderet, proſterneret, & ad fugam capeſſendam ipſum Raynaldum verſus Divi Michaelis oppidum compelleret. Virdunenſes parta iſthac victoria animoſiores effecti, Guilielmo Vicecomiti, ut negotium adeò proſperè incœptum perſequeretur, ſuaſerunt, quibus hic annuens ad Divi Michaelis oppidum unà cum ſuis tetendit, & in ejus circuitu caſtra metatus eſt. Cumque infra dierum paucorum curriculum in tantũ obſeſſis incommodaret, ut diutius eis non foret integrum ſubſiſtere, ultrò ſeſe tandem & ſua in Guilielmi poteſtatem dediderunt: Comes verò Raynaldus & ipſe cum oppidi illius inquilinis obſeſſus, per loca ſecretiora emiſſus ſub noctis obſcuro, equo celeri Barrum aufugit: quo etiam jubente Virdunenſi Præſule eum perſequi Guilielmus incœpit; ubi tamen ob ejus loci firmitatem prius Epiſcopus ipſe ab Imperatore auxiliatricem manum imploraſſet, & impetraſſet. Favebat autem Cæſar Epiſcopo Virdunenſi peculiari affectu, ideò fortè quod in diſſidio quod inter Pontificem ſum-

mum, & dictum Cæsarem, intercedebat, idem Episcopus partibus Imperatoris adhæresceret. Cæsar gratificari Episcopo Virdunensi appetens in propria persona valido exercitu constipatus advenit, & cum in Barrense præsidium manum serio mittere cogitaret, Raynaldus Comes expendens sese ad obsistendum tam Imperatoris quam Guilelmi Vicecomitis Virdunensis copiis simul pro eo tempore coadunatis, nimis imbecillem, ut deteriorem devitaret eventum, reserato Claustro sese in Imperatoris manus cum omnibus suis contradidit: & cum non esset solvendo ingentem pecuniæ summam quæ ab eo lytri & mulctæ nomine exigebatur, obtulit se deinceps cum successoribus suis Imperii feudalem ratione Comitatus sui Barrensis fieri; cui petitioni cum Imperator annuisset in ipso tempore ordinarium ei hunc in finem præstitit juramentum. Ex quo quidem facto, originem accepisse fertur quod Duces Barri Ducatum istum tanquam Imperii feudum recipiant, & teneant hodieque.

Guilelmus his ita constitutis, venia à Cæsare accepta, inde Virdunum reversus, magna totius populi congratulatione exceptus fuit. Cum verò ad prænarrati belli actionem non exigua pecuniarum summa Richardo Episco-

po

po necessaria fuisset, neque ea omnino in suis loculis reperiretur, à Vicecomite suo Guilielmo quantum ad defectus supplementum requiri poterat, mutuatus est; nec non donec tantundem ipsi refudisset loca Sathanay, Astanay & Masacium nuncupata, quæ non ita pridem decessor ejus, Richardus Virduni Episcopus à Mechtilde Ducissa, & Godefrido Bullonæo numerato pretio coëmerat, in pignus consignavit.

Annis deindè aliquot prætervolutis Richardus Episcopus Virdunensis in fata concessit: unde quidam è primaria nobilitate viri in Raynaldum Barrensem Ducem propensè affecti, occasionem captantes, pro ejus in pristinum Vicecomitatus gradum restitutione apud Cæsarem multa instantia egerunt. Cæsar verò non minus Guilielmo Luxemburgensi, quam Raynaldo Barrensi tam sanguine, quam animo junctus, ejusmodi preces exaudire renuit; donec supplicantium importunitate quadam adactus responderet, sibi id lubere, dummodo ipse Guilielmus spontanea voluntate sua cederet administrationi. Hac igitur de re interpellatus Guilielmus non difficulter, utpote ad pacem, & amicitiam colendam, quam bella suscipienda longè proclivior, cupiens et-

jam hac in parte Imperatori gratum præstare obsequium, non difficulter inquam morem gessit postulantibus, atque sic dum usq; ad annum Domini circiter millesimum, centesimum, decimum septimum, Vicecomitatum obiisset Virdunensem, eundem in Raynaldi Comitis Barrensis manum resignavit: recepta tamen prius ab eodem ea pecuniæ summa, quam eum superius diximus Episcopo ad bellum gerendum mutuasse, nec non locis vicissim traditis, quæ eatenus sibi impignorata extiterant; ex quo quidem facto accidisse ajunt, ut prætacta loca dominiis Barrensis Ducatus accesserint, sicut Sathanaicum Castrum Luxemburgensis Comitatus in feudum tunc, & deinceps rejiceret.

Displicuit autem summopere Virdunensibus, ejusmodi pacta inter Guilielmum & Raynaldum intercessisse, atque eam ob rem portas civitatis suæ Raynaldo, ne ingrederetur, præcludere inito consilio proposuere. Quod quidem eorum decretum ut dicti Comites perceperunt, militum multitudinem copiosam unanimiter congerentes aditum sibi armorum vi in dictam civitatem facere pararunt; at Virdunenses de suis diffisi viribus dextras postularunt, & acceperunt, sicque absque sanguine bellū pax subsecuta fuit.

Guilelmus Comes Luxemburgensis ætatis jam provectæ unicum filium habens superstitem Conradum nomine, diem clausit extremum, atq; corpus ejus parentum suorum cineribus est appositum, in Monasterio ab ipsis juxta Luxemburgensem arcem fundato, cui & ipse tum ædificiorum percommodorum additione, tum diversis aliis nominibus plurimum extiterat vivens beneficus, huicque tandem conjunx defuncta eodem conjuncta est loculo.

Conradus ergo ejus nominis tertius post parentem Comitatus Luxemburgensis suscepit dominium, in cujus administratione sui se exhibuit perquam benevolum, & mansuetum, qua etiam ex causa cum illi magno amore sunt prosecuti: fuit autem Elizabethæ Godefridi Namurcensis Comitis filiæ matrimoniali vinculo connexus, ex quorum copula prodiêre Henricus, & Gertrudis Conradi secundi Vadanimontis Comitis postmodum uxor. De nostro hoc Luxemburgensi Conrado, quidam notarunt, quòd primus Principum Luxemburgensium extiterit, qui suis leges condiderit subditi[s]. Vt verò erat catholicæ religioni, & d[i]vinis obsequiis amplificandis sum[me] propensus, inter cætera ejus in Ec[cle]sias beneficia, Monasterio etiam [...]

Guilelmus Comes Luxemburgensis ætatis jam provectæ unicum filium habens superstitem Conradum nomine, diem clausit extremum, atq; corpus ejus parentum suorum cineribus est appositum, in Monasterio ab ipsis juxta Luxemburgensem arcem fundato, cui & ipse tum ædificiorum percommodorum additione, tum diversis aliis nominibus plurimum extiterat vivens beneficus, huicque tandem conjunx defuncta eodem conjuncta est loculo.

Conradus ergo ejus nominis tertius post parentem Comitatus Luxemburgensis suscepit dominium, in cujus administratione sui se exhibuit perquàm benevolum, & mansuetum, qua etiam ex causa eum illi magno amore sunt prosecuti: fuit autem Elizabethæ Godefridi Namurcensis Comitis filiæ matrimoniali vinculo connexus, ex quorum copula prodière Henricus, & Gertrudis Conradi secundi Vadanimontis Comitis postmodum uxor. De nostro hoc Luxemburgensi Conrado, quidam notarunt, quòd primus Principum Luxemburgensium extiterit, qui suis leges condiderit subditis. Vt verò erat catholicæ religioni, & divinis obsequiis amplificandis summè propensus, inter cætera ejus in Ecclesias beneficia, Monasterio etiam Divi

Maximini bona liberaliter contulit, prout ejus loci Archiva edocent undè hæc verba transſumpſi. *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Conradus Comes de Lucelemburch. Poſtquam providente Deo, poſt deceſſum piiſſimi genitoris noſtri VVilhelmi Comitis. Datum* 1135.

Ciſtertienſis ordo ſub Divi Benedicti Regula per Robertum Moliſinenſem Abbatem abdicatis mundi voluptatibus, incipitur, quem mox S. Bernardus mirificè auxit.

Ordo militaris Iohannitarum Hieroſolymitanus, poſtea Rhodius, nunc Melitenſis à Gerardo viro Principe non tam inchoatur, quam inſtauratur. Innovatur etiam ordo S. Lazari olim à S. Baſilio traditus.

Templariorum ordo ab Hugone Pagano, & Godefrido originem duxit.

Teutonicorum ordo Beatæ Mariæ ſub nnocentio tertio ortus eſt, acceſſit his poſteà ordo militum ſeu equitum S. Sepulchri pro fidei Chriſtianæ & terræ ſanctæ defenſione militantiū. Sanctitatis lumina tria præcipuè clarent, Nortbertus Archiepiſcopus fide; Milo Tarvanenſis Epiſcopus humilitate, Bernardus Abbas Clarevallenſis doctor Eccleſię mellitiſſimus charitate. Dum adhuc vitæ præſentis aura foveretur noſter Conradus unicus ejus & primo natus filius annos ephebeos

paululum excedens, vehementi cœpit deſiderio pulſari divinitus, ut ſæculi contemptis illecebris ſtatui inſeri ſe curaret eccleſiaſtico. Cum ea de re verba ad patrem crebrius haberet, hic tandem conſtantia juvenis victus, eundem Epiſcopo Leodienſi commiſit inſtruendum, & optatam vitæ conditionem promovendam. Factum eſt: & ecce uſque adeò inter Canonicos cathedralis Eccleſiæ S. Lamberti in quorum numerum cooptatus extiterat intra annorum paucorum ſpatium coram Deo & hominibus profecit, ut Adelberone Epiſcopo e vivis ſublato, hic Henricus communi Capitularium ſuffragio in defuncti cathedram ſubſtituendus eligeretur: & conſequenter vocatis, & præſentibus patre ejus & matre: Ermeſinda item ſua abavia necnon hujus marito Godefrido Namurcenſi ſacræ Pontificalis unctionis munus ſolemni ritu perciperet, ac denique Eccleſiæ ſibi concreditæ magno cum fructu præeſſet.

Pater ejus Conradus Comes Lux-emburgenſis hac via filio, quoad g-neris propagationem orbatus, vi-hanc mortalem una cum conjuge p-duxit in Annum Chriſti 1174 qu-fata concedens ſepulturam in M-ſterienſi Monaſterio juxta prædec-res ſuos adeptus eſt.

paululum excedens, vehementi cœpit desiderio pulsari divinitus, ut sæculi contemptis illecebris statui inferi se curaret ecclesiastico. Cum ea de re verba ad patrem crebrius haberet, hic tandem constantia juvenis victus, eundem Episcopo Leodiensi commisit instruendum, & optatam vitæ conditionem promovendam. Factum est: & ecce usque adeò inter Canonicos cathedralis Ecclesiæ S. Lamberti in quorum numerum cooptatus extiterat intra annorum paucorum spatium coram Deo & hominibus profecit, ut Adelberone Episcopo è vivis sublato, hic Henricus communi Capitularium suffragio in defuncti cathedram substituendus eligeretur: & consequenter vocatis, & præsentibus patre ejus & matre: Ermesinda item sua abavia necnon hujus marito Godefrido Namurcensi sacræ Pontificalis unctionis munus solemni ritu perciperet, ac denique Ecclesiæ sibi concreditæ magno cum fructu præesset.

Pater ejus Conradus Comes Luxemburgensis hac via filio, quoad generis propagationem orbatus, viam hanc mortalem una cum conjuge produxit in Annum Christi 1174 quo in fata concedens sepulturam in Munsteriensi Monasterio juxta prædecessores suos adeptus est.

Eremitarum S. Gulielmi ordo sub instituto S. Augustini à Gulielmo Aquitaniæ Duce conditur. Ottho Frisingensis Episcopus Imperatorum genere ortus, *Hildegardis* Abbatissa, Euthymius Petrus Commestor, Gulielmus Tyrius Archiepiscopus, Hugo Efterianus, Godefridus Viterbiensis, Ioachim Abbas Calaber, scriptores Ecclesiastici florent.

Sanctus Thomas, Cantuariensis Episcopus, Martyrium in Anglia subit.

Conradò viam carnis universæ ingresso, unicoque prout jam retulimus Ecclesiasticis muniis mancipato ejus filio, linea masculina Comitum Luxemburgensium finem sortita est, hancque ob causam Comitatus ipse proximitatis jure, ad Henricum Cæcum Comitem Namurcensem Ermesindæ filium devoluta est. Huic Henrico duæ erant sorores, altera quidem Agnes nuncupata, Manassis Comitis de Castro Retexto vulgo Rethel, & Campaniæ uxor: altera verò Alexia dicta Balduino Ædificatori Hannoniæ Comiti nuptui tradita. Cur autem Henrico Comiti septimo Luxemburgensi à cæcitate cognomentum acciderit, causam ferunt, quod nescio quo funesto casu ætatis suæ anno quadragesimo quinto, oculi utriusque usum planè amiserit. Vt autem Comitatus

Luxemburgici

Luxemburgici jura ad se per mortem postremi ejus possessoris spectare intellexit, illico magno cum apparatu iter ad eas partes arripuit, ac denique fidelitatis promissum à subditis suis recepit. is Agnetem *Ottonis* Comitis Geldriæ filiam matrimoniali nexu sibi ascivit, quam tamen maritali affectu minime est complexus; quin in ejus contumeliam pellicem quandam domi tenuit ac fovit, ex quo ejus legitima conjunx non parum afflicta querimonias longè acerbissimas ad parentes destinare solebat: unde vir ejus subinde ob inordinatos meretricis amplexus reprehensus tantum aberat, ut in frugem meliorem sese dare cogitaret, ut potius uxorem suam deterius tractaret indies. Hæc proinde tam ingentis *probri* impatiens, clandestina sese indè fuga proripuit, paternosque lares repetiit. Dissimulavit istud Henricus Comes nimio pellicis amore excæcatus, permisitque ad aliquot annos conjugem sibi minimè adesse, quam ejus incuriam seu magis insaniam admodum graviter tulerunt Agnetis parentes, & tandem ut malum istud finem acciperet, Archiepiscopo Coloniensi consanguineo suo supplicarunt, quatenus optimo quo perspiceret modo providere satageret. Hic itaq; assumptis secum Lovaniensi

&

Luxemburgici jura ad ſe per mortem poſtremi ejus poſſeſſoris ſpectare intellexit, illico magno cum apparatu iter ad eas partes arripuit, ac denique fidelitatis promiſſum à ſubditis ſuis recepit. is Agnetem Ottonis Comitis Geldriæ filiam matrimoniali nexu ſibi aſcivit, quam tamen maritali affectu minimè eſt complexus; quin in ejus contumeliam pellicem quandam domi tenuit ac fovit, ex quo ejus legitima conjunx non parum afflicta querimonias longè acerbiſſimas ad parentes deſtinare ſolebat: unde vir ejus ſubinde ob inordinatos meretricis amplexus reprehenſus tantum aberat, ut in frugem meliorem ſeſe dare cogitaret, ut potius uxorem ſuam deterius tractaret indies. Hæc proinde tam ingentis probri impatiens, clandeſtina ſeſe indè fuga proripuit, paternoſque lares repetiit. Diſſimulavit iſtud Henricus Comes nimio pellicis amore excæcatus, permiſitque ad aliquot annos conjugem ſibi minimè adeſſe, quam ejus incuriam ſeu magis inſaniam admodum graviter tulerunt Agnetis parentes, & tandem ut malum iſtud finem acciperet, Archiepiſcopo Colonienſi conſanguineo ſuo ſupplicarunt, quatenus optimo quo perſpiceret modo providere ſatageret. Hic itaq; aſſumptis ſecum Lovanienſi

&

& Flandriæ præpotentibus Comitibus, iter ingreſſus eſt Luxemburgum verſus, quaſi Henrici Comitis amicitiæ ergò ſalutandi viſitandique, ab iſto ut humaniſſimè, prout eorum ſtatus magnitudo poſtulabat, aliquamdiu fuêre habiti, occaſione capta loquendi, adhortari eum cæperunt fidelitatis, & amoris erga ſuam conthoralem, veram, & legitimam, eliminata tandem iſthac nefanda in pellicatu conſuetudine, exhibendi & obſervandi; indignum planè conteſtantes, ut Princeps tantus Chriſtiano nomine inſignitus, adeò turpem & ſcandaloſam ageret vitam, necnon uxorē ſuam adeò nobili proſapia genitam tam grandi afficeret contumelia præter ejus ullum demeritum. Nec in vanum abire horum Magnatum ſermones, nam Henricus iiſdem cedens uxorem ſuam ejecta concubina, ſtatim ad thorum ſuum poſtliminio revocare ſtuduit, quo effecto læti, & hilares ipſi Principes ad propria remearunt. Exinde igitur cum affectu maritali complecteretur Agnetem conjugem ſuam Henricus Comes, ex eadem ante anni unius excurſ in filiam nomine Ermeſindam ſuſcepit.

Henricus idem alieniori fuit animo adverſus ſororium ſuum Balduinum Hannoniæ Comitem, ideò quod ſe inconſulto

conſulto

conſulto filiam deſpondiſſet Henrico Manaſſis Comitis in Rethel & Campaniæ filio in uxorem futuram, quam deſponſationem diſſolvendi gratia omnem conatum expendit eo uſque, ut ſponſum ipſum Henricum induxerit, ut quo tenebatur ſponſalium vinculo ſeſe extricaret, ei in locum ſponſæ prioris conſignans itidem in ſponſam filiam ſuam prælibatam Ermeſindam unius tantum anni infantem; eo pacto ut poſtmodum de præſenti matrimonio plenè inito gener ſocero in Comitatibus Luxemburgenſi & Namurcenſi ſuccederet, excluſis indè Balduino reliquiſque qui fortaſſis proximitatis prætextu jus in ea dominia fuerant prætenſuri.

Iſtorum factus certior Balduinus Hannoniæ Comes Imperatorem imploraturus opem adiit, eidem negotium inter Luxemburgenſem affinem ſuum, & Campaniæ Rethelque Comites intercedens fuſe expoſuit; petiitque juxta juris & juſtitiæ exigentiam hac in re per Cæſarem decerni; quū, omnibus eo facientibus maturè expenſis per ſententiam dixit, & declaravit Comitem Balduinum Hannoniæ, defuncto Henrico Luxemburgenſi, & Namurcenſi Comite in iis Comitatibus debere jure hæreditario ſuccedere.

Henricus

consulto filiam despondisset Henrico Manassis Comitis in Rethel & Campaniæ filio in uxorem futuram, quam desponsationem dissolvendi gratia omnem conatum expendit eo usque, ut sponsum ipsum Henricum induxerit, ut quo tenebatur sponsalium vinculo sese extricaret, ei in locum sponsæ prioris consignans itidem in sponsam filiam suam prælibatam Ermesindam unius tantum anni infantem; eo pacto ut postmodum de præsenti matrimonio plenè inito gener socero in Comitatibus Luxemburgensi & Namurcensi succederet, exclusis indè Balduino reliquisque qui fortassis proximitatis prætextu jus in ea dominia fuerant prætensuri.

Istorum factus certior Balduinus Hannoniæ Comes Imperatorem imploraturus opem adiit, eidem negotium inter Luxemburgensem affinem suum, & Campaniæ Rethelque Comites intercedens fuse exposuit; petiitque juxta juris & justitiæ exigentiam hac in re per Cæsarem decerni; qui, omnibus eo facientibus maturè expensis per sententiam dixit, & declaravit Comitem Balduinum Hannoniæ, defuncto Henrico Luxemburgensi, & Namurcensi Comite in iis Comitatibus debere jure hæreditario succedere.

Henricus

Henricus interim cum prȩfato Henrico jam Comitatu Campaniȩ potiente juvenculo adhuc Namurcum adiit, ubi cives in unum convocatos, prælibato Comiti Campaniæ tanquam eorum futuro Domino fidelitatis juramentum præstare mandavit. Quod ubi Balduinus illuc eodem tempore adveniens nec impedire valens, in ſuam æſtimaret ſummam injuriam vergere VVormatiam, protinus ubi Comitia erant Imperialia induƈta, ſeſe contulit, ubique Cæſare, & Francorum Rege unà cum Romani Imperii proceribus, aliiſq; principibus viris præſentibus & audientibus querimonias graves in Henricum Namurcenſem & Luxemburgenſem depoſuit. Attamen dum juxta juris deciſionem minime judicaret, Cæſar in abſentem non vocatum, nec auditum proferendam eſſe ſententiam, partibus tantum id temporis diē ſtatuit in ſua & Imperii procerum potentia comparendi: comparuerunt igitur præſtituto tempore Comites collitigantes, verum nulla nec Cæſaris nec reliquorum Principum quantumvis ſolerti induſtria in pacem & concordiam potuerunt adduci. Vnde Rex Franciæ pacis inter vicinos Principes Chriſtianos ſtudioſiſſimus, ſuaſit quatenus denuò Ponthoſiæ ſuæ præſentiȩ ſeſe ſiſtere non detreƈtarent, futurum

futurum pollicens, ut ambo contenti indè tandem ad propria remearent. Venêre juxta condiƈtum Comites ad Regis, loco & tempore præordinatis, conſpeƈtum; dumque longè lateque ſinguli ſuas expoſuiſſent prȩtenſiones, hæc tandem ſententia exiit, ut Henrico Cæco è vivis ſublato Comitatus Namurcenſis in feudū daretur; Campaniæ autem Comiti Comitatus Rupenſis in Ardenna cum Dominio Durbutenſi cederet: at de Comitatu Luxemburgenſi, negotium remanſit ſuſpenſum, Cæſariſque determinationi dimiſſum.

Sanƈtus Franciſcus Apoſtolicæ vitæ perfeƈtionem imitando ad regulam Chriſti facultatibus omnibus ſemetipſum deſpolians: non pecuniam, non peram in via, non duas tunicas, non calceamenta neque virgam ſibi ſervat; ac docendi viam ſalutis ſtudio, ſeſe cum ſuis, in omnes penè orbis partes confert: tanto amore Dei flagrans, ut etiam ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo portaret, cujus ordo fratrum Minorum confirmatus eſt ab Innocentio tertio Pontifice.

Sanƈtus Dominicus itidem admirabili ſanƈtitate, priſcorum Chriſtianorum in vita puritatem repetit, Albigenſes hæreticos confutat, Euangelium cum ſuis per orbem prædicat, multoſque

futurum pollicens, ut ambo contenti indè tandem ad propria remearent. Venêre juxta condictum Comites ad Regis, loco & tempore præordinatis, conspectum; dumque longè lateque singuli suas exposuissent prętensiones, hæc tandem sententia exiit, ut Henrico Cæco è vivis sublato Comitatus Namurcensis in feudū daretur; Campaniæ autem Comiti Comitatus Rupensis in Ardenna cum Dominio Durbutensi cederet: at de Comitatu Luxemburgensi, negotium remansit suspensum, Cæsarisque determinationi dimissum.

Sanctus Franciscus Apostolicæ vitæ perfectionem imitando ad regulam Christi facultatibus omnibus semetipsum despolians: non pecuniam, non peram in via, non duas tunicas, non calceamenta neque virgam sibi servat; ac docendi viam salutis studio, sese cum suis, in omnes penè orbis partes confert: tanto amore Dei flagrans, ut etiam stigmata Domini Iesu in corpore suo portaret, cujus ordo fratrum Minorum confirmatus est ab Innocentio tertio Pontifice.

Sanctus Dominicus itidem admirabili sanctitate, priscorum Christianorum in vita puritatem repetit, Albigenses hæreticos confutat, Euangelium cum suis per orbem prædicat, multosque

multoſque ad vitæ emendationem adducit, cujus ordinem Prædicatorum approbavit Pontifex Romanus.

Accidit autem id temporis quam plures Chriſtiani nominis Reges Duces, Comites, reliquarumque notarum primores ſacræ militiæ inſcribi, eo fine, ut armorum ſumma vi terram ſanctam è Barbarorum poteſtate eripere conarentur. Horum in numero extitit etiam Campaniæ Comes Henricus juvenis Henrici Luxemburgenſis filiæ Ermeſindæ ſponſus: qui ſponſalium contractui contraveniens uxorem aliam in Paleſtina duxit, ex qua duas filias procreavit, quarum prior Cypri Regina poſtmodum evaſit: poſterior autem Comiti Briennenſi uxor contigit; Henricus porrò Campaniæ Comes iſtarũ parens, unâ dierũ ex alto ruens ſubitanea morte extinctus eſt.

Henricus Luxemburgenſis Comes ut certo intellexit ſibi, & filiæ ſuæ Ermeſindę ab ejus ſponſo Henrico Campanię Comite fractam eſſe ſponſalium fidem, gravi ob id indignatione commotus, Principum nihilominus more diſſimulavit, & filiam ſuam grandiuſculam jam effectam Theobaldo Comitis Barrenſis filio in conjugem tradidit, indeque brevi ſupervixit tempore. Quo jam ingreſſo viam carnis univerſæ, Theobaldus ejus gener jure uxorio

uxorio utrumq; Comitatum Luxemburgenſem videlicet, & Namurcen. ſibi competere prætendebat. At Cæſar iſtud percipiens filiabus ad hoſce titulos nullatenus patere acceſſum declaravit, ſimulque Otthoni cuidam Burgundo Principatum Luxemburgenſem, Namurcenſem verò unà cum Comitatu Rupenſi Hannoniæ Comiti aſſignavit. Ottho tamen Burgundus, quorundam perſuaſione inductus, magna pecuniarum vi accepta, conveniente etiam in id Imperatore Comitatum Luxemburgenſem Ermeſindæ, ejuſque marito reſtituit.

Dum porrò hæc ejuſmodi obtinuiſſent effectum, Theobaldus Barrenſis animo ſuo revolvens, quanto præ reliquis uxor ejus Ermeſinda proximitatis gradu cum vero Namurcenſi Comite defuncto jungeretur, utpotè ejus unica filia thoro legitimo procreata, æſtimavit ſibi omnino hunc jure conjugali deberi; petit igitur datis literis ad Hannoniæ Comitem ſibi ſpoliũ hoc reſtitui: at hic, iſtiuſmodi petitiones flocci pendens nuncios remiſit vacuos. Theobaldus proinde Barrenſis bello cum adverſario cõgreſſurus, validam coëgit militum manum, & urbem Namurcenſem obſidere aggreſſus eſt.

Namurcenſes cives nequicquã hac adverſariorum molitione animi remittentes,

uxorio utrumq; Comitatum Luxemburgensem videlicet, & Namurcen. sibi competere prætendebat. At Cæsar istud percipiens filiabus ad hosce titulos nullatenus patere accessum declaravit, simulque Otthoni cuidam Burgundo Principatum Luxemburgensem, Namurcensem verò unà cum Comitatu Rupensi Hannoniæ Comiti assignavit. Ottho tamen Burgundus, quorundam persuasione inductus, magna pecuniarum vi accepta, conveniente etiam in id Imperatore Comitatum Luxemburgensem Ermesindæ, ejusque marito restituit.

Dum porrò hæc ejusmodi obtinuissent effectum, Theobaldus Barrensis animo suo revolvens, quanto præ reliquis uxor ejus Ermesinda proximitatis gradu cum vero Namurcensi Comite defuncto jungeretur, utpotè ejus unica filia thoro legitimo procreata, æstimavit sibi omnino hunc jure conjugali deberi; petit igitur datis literis ad Hannoniæ Comitem sibi spoliũ hoc restitui: at hic, istiusmodi petitiones flocci pendens nuncios remisit vacuos. Theobaldus proindè Barrensis bello cum adversario cõgressurus, validam coëgit militum manum, & urbem Namurcensem obsidere aggressus est.

Namurcenses cives nequicquã hac adversariorum molitione animi remit-

tentes, plus ipsis obsidentibus obsessi afferebant incommodi, quam è diverso, excursiones in eos frequentius exercentes, & quam plurimos occidentes. Indè hebdomatibus aliquot evolutis partis utriusque amicorum suasu, de mutua reconciliatione & pace tractare cœperunt; qui quidem tractatus eo fine terminatus est, ut Hannoniæ Comiti Namurcensis Comitatus plenè cederet relinqueretur que. Theobaldo verò Luxemburgensi Comiti Comitatus Rupensis unà cum Durbutēsi Dominio pro se & successoribus, loco prætensi sui in Namurco Iuris obtineret. Dimissis igitur hac ratione exercitibus Comites mutuo reconciliati aliquamdiu simul Namurci magna cum humanitatis exhibitione fuerunt. Deinde Luxemburgensis Comes affini suo Namurcen. Comite salutato Luxemburgum rediit; ubi non multos egit dies, cum ecce aliorum id temporis Principum Christianorum exemplo cruce signaretur; atque sanctæ sese curaret inscribi militiæ, statuens in primis optimo quo poterat modo, ea quæ ad pacificam & tranquillam subditorum suorum spectabant gubernationem: & ut coram Dei conspectu locum mereretur gratiæ Ecclesiæ majori Virdunensi, ejusque Canonicis Abbatiam quandam

quandam Lammes nomine tradidit perpetuo possidendam, ea conditione ut pro animæ suæ item uxoris, & prædecessorum salute anniversarium deinceps celebrarent.

Dum porrò pro terræ sanctæ ex Barbarorum potestate ereptione tanquam strenuus Christi miles laboraret, accidit funesto casu, ut biennio circíter in hoc sacro bello completo, sagittæ ex adverso advolantis ictu percussus vulnus mortale acciperet, ex quo etiam nulla ex sua uxore Ermesinda Luxemburgēsi Comitissa prole suscepta diem clausit extremum, filium Henricum nomine ex priore conjuge, suum in Barrensi Comitatu successorem superstitem relinquens.

Hinc patriæ Luxemburgensis proceres pro successore & hæredibus in eo Comitatu soilliciti, suæ Dominæ ac Comitissæ, finito ob mariti mortem luctu consueto, multis verbis, & rationibus suaserunt, quatenus de altero matrimonio ineundo cogitaret secundo, quorū illa cedens consiliis VValramo secundo genito Henrici Ducis Lymburgensis filio sese nuptui tradidit, inque dotem à suo sponso Marchionatum Arlunensem, quem pater ei donaverat, accepit. Ex quo eventu idem Marchionatus in hunc usque diem ad Luxemburgensium Princi-

quandam Lammes nomine tradidit perpetuo possidendam, ea conditione ut pro animæ suæ item uxoris, & prædecessorum salute anniversarium deinceps celebrarent.

Dum porrò pro terræ sanctæ ex Barbarorum potestate ereptione tanquam strenuus Christi miles laboraret, accidit funesto casu, ut biennio circiter in hoc sacro bello completo, sagittæ ex adverso advolantis ictu percussus vulnus mortale acciperet, ex quo etiam nulla ex sua uxore Ermesinda Luxemburgēsi Comitissa prole suscepta diem clausit extremum, filium Henricum nomine ex priore conjuge, suum in Barrensi Comitatu successorem superstitem relinquens.

Hinc patriæ Luxemburgensis proceres pro successore & hæredibus in eo Comitatu solliciti, suæ Dominæ ac Comitissæ, finito ob mariti mortem luctu consueto, multis verbis, & rationibus suaserunt, quatenus de altero matrimonio ineundo cogitaret seriò, quorū illa cedens consiliis VValramo secundo genito Henrici Ducis Lymburgensis filio sese nuptui tradidit, inque dotem à suo sponso Marchionatum Arlunensem, quem pater ei donaverat, accepit. Ex quo eventu idem Marchionatus in hunc usque diem ad Luxemburgensium Princi-

pum jura pertinuit. Protulit ſucceſſu temporis matrimonium iſtud filium unicum Henricum vocabulo, treſque filias Catharinam ſcilicet Ducis Lotharingiæ uxorē, Margaretham Theobaldi Comitis Barrenſis ſponſam, & Elizabetam conjugem VValrami Comitis Montisfalconis, qui ei in dotem Dominia de Marville & Arancii conſignavit.

Sanctus Thomas Aquinas doctor Angelicus genere, fide, doctrina, & ſanctitate illuſtris Monaſticam vitam ab ineunte ætate amplexus, ut Deo unicè vacaret, plurima profundo & luculento ſpiritu in ſacram Theologiam commentatus eſt, quibus illius rationes, fundamenta, & dignitatem delibandam faciliore methodo quibuſque propoſuit.

D. Bonaventura Albanenſ. Epiſcopus Cardinalis doctor Seraphicus, Gulielmus Durandus, Iacobus de Voragine, Ioannes Duns Scotus, Henricus à Gandavo doctores Theologiæ inſignes partim ſimul, partim conſequenter florent

Henricus Ermeſindæ filius, patri ſuo VValramo vita defuncto in Comitatibus Luxemburgenſi, & Rupenſi, Marchionatuque Arlunenſi fit ſucceſſor, atque Margaretham Henrici Comitis Barrenſis filiam maritali ſibi conjugavit

vinculo. Quæ illi peperit filios tres & duas filias, Henricum videlicet patris ſucceſſorem, VValerandum Comitem ſancti Pauli alias de Rouſſy, Gerardum Dominum Durbutenſem, & Seneſchallum Luxemburgenſem, Iſabellam Comitis Flandriæ ſponſam, & Margaretham Comitis Hannoniæ uxorem.

Inter hunc Henricum & ejus ſororium Theobaldum ſurculi quidam futuræ litis cæperunt pullulare ratione Comitatus Namurcenſis; ſed priuſquam in altum excreviſſet controverſia ejuſmodi, interventu utriuſq; partis amicorum conſopita extitit, modo *inferius dicendo.*

Obiit autem dictus Henricus cum in *ætatē virilē vix aliquos feciſſet ingreſſus, & in Monaſterio Clari fontis Monialiū propè Arlunum Ordinis Ciſtercienſis* tumulum obtinuit; & *ejus demde* uxor dum poſt aliquot annos etiam in fata conceſſiſſet, ſepulturam juxta maritum eſt adepta, & iſtiuſmodi Epitaphio cohoneſtata:

Cy giſt la Conteſſe honorée
De Luxembourgh Marguerítte nōmée
Qui moult fut ſaige
Et fut extrait de linaige
De Bar & de Brittaigne
Et faict deſploier meintes enſeignes.

In prædicti demortui Henrici locum

 Henricus

vit vinculo. Quæ illi peperit filios tres & duas filias, Henricum videlicet patris ſucceſſorem, VValerandum Comitem ſancti Pauli alias de Rouſſy, Gerardum Dominum Durbutenſem, & Seneſchallum Luxemburgenſem, Iſabellam Comitis Flandriæ ſponſam, & Margaretham Comitis Hannoniæ uxorem.

Inter hunc Henricum & ejus ſororium Theobaldum ſurculi quidam futuræ litis cæperunt pullulare ratione Comitatus Namurcenſis; ſed priuſquam in altum excreviſſet controverſia ejuſmodi, interventu utriuſq; partis amicorum conſopita extitit, modo inferius dicendo.

Obiit autem dictus Henricus cum in ætatē virilē vix aliquos feciſſet ingreſſus, & in Monaſterio Clari fontis Monialiū propè Arlunum Ordinis Ciſtercienſis tumulum obtinuit; & ejus deinde uxor dum poſt aliquot annos etjam in fata conceſſiſſet, ſepulturam juxta maritum eſt adepta, & iſtiuſmodi Epitaphio cohoneſtata:

Cy giſt la Conteſſe honorée
De Luxembourgh Marguerittte nōmée
Qui moult fut ſaige
Et fut extrait de linaige
De Bar & de Brittaigne
Et faict deſploier meintes enſeignes.

In prædicti demortui Henrici locum

 Henricus

Henricus ejus primogenitus filius ſuffectus eſt, qui Beatricem Ioannis de Aveſnes Comitis Hannoniæ filiā connubiali fœdere ſibi ſociavit. Ex cujus geniali thalamo prodiêre Henricus poſtea Romanorum Imperator, VValramus Comes Rupenſis, Balduinus Archiepiſcopus Treverenſis.

Cum una dierum ſoror ejus Iſabella Luxemburgen. Guidonis Flandriæ Comitis conjunx viſitatum veniſſet, inter cætera confabulantium verba, ſermo incidit de Ioanne Leodienſium Epiſcopo, cui neſcio qua de cauſa, infenſam graviter ſe affirmabat Iſabella: frater itaq; ejus Henricus, verbis mulieris hujus fidem leviter tribuens de vindicta ab Epiſcopo ejus nomine ſumenda ſponſionem fecit. Nec multò poſt exercitu valido conſcripto bellum Epiſcopo Leodienſi Ioanni denunciari curat, ſtatimque ejus agros depopulari cœpit, & ſenſim Leodienſi Civitati magis magiſque graſſando appropinquat. Cives igitur Leodienſes ſumpta audacia in vicinum hoſtem magno furore inſurgunt, & eundem non ſine ſanguinis effuſione è ſuis finibus profligant. Qua de re Henricus non modicè exacerbatus ad aſtum ſibi confugiendum exiſtimavit: ſimulans igitur ſeſe proprium repetere ſolum in ſilvas Bullonienſes cum aliquot armatis vi-

ris conceſſit, quo nimirum venandi gratia Leodienſem Epiſcopum convenire ſolere ſciebat. Hic igitur dum deliteſceret, advenit ſolito more cum pauculis venatoribus Epiſcopus inſidiarum ignarus; nec mora, ab ipſo Henrico Comite Luxemburgenſi ejuſque aſſeclis facili negotio captus, & Luxemburgum abductus eſt, & ad quinque menſes integros detentus. Hoc ipſum autem cum Leodienſes ignorarent nec ulla via de ſuo Epiſcopo & Principe quicquam cognitionis haurire poſſent, Beatrix Luxemburgenſis Comitiſſa Henrici Comitis uxor, ſecretè per literas & fidum nuncium Epiſcopi apud ipſos captivitatem ſignificavit. Accidit exinde, ut Magnatum plurimorum interventu medianteque pecuniæ ſumma non exigua Epiſcopus liber abire permitteretur, facta tamen prius ſponſione de injuria ſibi illata minimè ulciſcenda.

Suſcepit & aliud bellum ſibi longè infæliciſſimum, ut mox apparebit, hic noſter Henricus cum Ioanne Brabātiæ Duce, ea nimirum ratione quod ex ambabus ſuis ſororibus querulosè crebrius audiiſſet eundem Brabantiæ Ducem, plurima Luxemburgenſibus bona ſurripuiſſe, eaque in eum uſque diem injuſte detinere. Henricus itaq; ejuſmodi ſpolium è Brabanti manibus

ris conceſſit, quo nimirum venandi gratia Leodienſem Epiſcopum convenire ſolere ſciebat. Hic igitur dum deliteſceret, advenit ſolito more cum pauculis venatoribus Epiſcopus inſidiarum ignarus; nec mora, ab ipſo Henrico Comite Luxemburgenſi ejuſque aſſeclis facili negotio captus, & Luxemburgum abductus eſt, & ad quinque menſes integros detentus. Hoc ipſum autem cum Leodienſes ignorarent nec ulla via de ſuo Epiſcopo & Principe quicquam cognitionis haurire poſſent, Beatrix Luxemburgenſis Comitiſſa Henrici Comitis uxor, ſecretè per literas & fidum nuncium Epiſcopi apud ipſos captivitatem ſignificavit. Accidit exinde, ut Magnatum plurimorum interventu medianteque pecuniæ ſumma non exigua Epiſcopus liber abire permitteretur, facta tamen prius ſponſione de injuria ſibi illata minimè ulciſcenda.

Suſcepit & aliud bellum ſibi longè infæliciſſimum, ut mox apparebit, hic noſter Henricus cum Ioanne Brabãtiæ Duce, ea nimirum ratione quod ex ambabus ſuis ſororibus querulosè crebrius audiiſſet eundem Brabantiæ Ducem, plurima Luxemburgenſibus bona ſurripuiſſe, eaque in eum uſque diem injuſte detinere. Henricus itaq; ejuſmodi ſpolium è Brabanti manibus

 eripere

eripere cogitans Geldriæ Ducis sui avunculi; itemque Archiepiscopi Coloniensis implorato auxilio, sumptis præterea secum duobus fratribus suis grandi instructo exercitu Brabantiæ Ducem infestare cæpit. Hic verò utpotè maximis viribus longè valentissimus ad resistendum forti animo sese accingit, & virtute adeò valida se invadentium hostium phalanges aggressus est, ut prima acie noster Comes Henricus una cum suis duobus fratribus interiret: Geldriæ verò Dux atque Archiepiscopus Coloniensis captivi ad castrum Lovaniense deportati; ibidem firmę custodię manciparentur, donec insequenti tempore, ingenti pecuniarum summa, lytri nomine persoluta libertatem abeundi perciperent. Atque hic Henrico Comiti vitæ mortalis exitus.

Huic Henricus filius in Comitatu successor cum Margaretæ Ducis Brabantiæ filia conjugium iniit, atque ex horum matrimoniali copula fluxerunt Ioannes, Beatrix & Maria Henrici Vadanimontis uxor, cui Henricum, & Mariam peperit, & deinde his impuberibus è vita sublatis una cum patre, Carolo Pulchro Franciæ Regi conjuncta est.

VValramus Henrici frater ducta uxore BonnaBarrensi Comes Sancti Pau-

li,

li, & Rupensis, itemque Durbutensis Dominus effectus est. Hic cum ista sua conthorali copiosam acquisivit prolem, ex qua in tertia generatione prodiit Sanctus Petrus Cardinalis dictus Luxemburgensis.

Balduinus porrò Henrici itidem atque adeò VValrami frater spiritu divino inspirante mundi vanitatibus vitam spiritualem præeligens in summę ædis Treverensis Canonicorum numerum cooptatus est, & post aliquantum temporis spatium defuncto ibidem Præposito in ejus locum legitimè surrogatus: Deinde Parisios profectus in tantum inibi diligenti & indefesso studio profecit, ut in Theologiæ sacræ facultate haud vulgariter haberetur doctus. Cumque iis in partibus hæreret absens & Treverensis Præsul cum morte vitam commutasset, Capitularium summo consensu anno millesimo tricentesimo septimo in Trevirensem Archipræsulem est electus annum agens vicesimum secundum. at verò cum ætatis defectum plerique objicientes ejusmodi electionem infirmare conarentur, horum occurrens molitionib' Clemens ejus nominis quintus Pontifex maximus de plenitudine potestatis Apostolicæ, tum ætatis defectum dispensatione supplevit, tum electionem ipsam utpote de person-

 Ecclesi

li, & Rupenſis, itemque Durbutenſis Dominus effectus eſt. Hic cum iſta ſua conthorali copioſam acquiſivit prolem, ex qua in tertia generatione prodiit Sanctus Petrus, Cardinalis dictus Luxemburgenſis.

Balduinus porrò Henrici itidem atque adeò VValrami frater ſpiritu divino inſpirante mundi vanitatibus vitam ſpiritualem præeligens in ſummę ædis Treverenſis Canonicorum numerum cooptatus eſt, & poſt aliquantum temporis ſpatium defuncto ibidem Præpoſito in ejus locum legitimè ſurrogatus: Deinde Pariſios profectus in tantum inibi diligenti & indefeſſo ſtudio profecit, ut in Theologiæ ſacræ facultate haud vulgariter haberetur doctus. Cumque iis in partibus hæreret abſens & Treverenſis Præſul cum morte vitam commutaſſet, Capitularium ſummo conſenſu anno milleſimo tricenteſimo ſeptimo in Trevirenſem Archipræſulem eſt electus annum agens viceſimum ſecundum. at verò cum ætatis defectum plerique objicientes ejuſmodi electionem infirmare conarentur, horum occurrens molitionib⁹ Clemens ejus nominis quintus Pontifex maximus de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, tum ætatis defectum diſpenſatione ſupplevit, tum electionem ipſam utpote de perſona

Ecclesiæ secundum spem plurimum utile transactum, ratam habuit & confirmavit. Deniq; anni sequentis Martio mense per Cardinalis cujusdam administrationem sacerdotio est Balduinus initiatus, & postridie ab ipso summo Christi in terris Vicario, Petrique successore, Episcopali dignitate Pictavii insignitus. Demum à summo Pontifice cum benedictione dimissus, ad sedem suam profectus est, ubi matre, fratribus, sorore, nec non aliis consanguineis & amicis præsentibus, à suis capitularibus, & aliis utriusque status proceribus magna omnium gratulatione susceptus est.

Henricus natu maximus proximè tactorum frater, cum in adolescentiæ annis aliquos fecisset progressus, & ætatis suæ annum circiter decimum octavum ageret, robusto erat corpore, & animo virili, adeò ut vicinis quibusq; terrori foret & horrori. Subiit autem ejus mentem castrum quoddam quantitate quidem exiguum, at fortitudine præstans satis in quadam Mosellæ insula non procul à Machren ædificare, unde à transeuntibus isthac naucleris & mercatoribus telonium exigere, imo & extorquere valeret. Qua ex re Treverenses non parum indignati, quod inde sibi haud parum incommodari existimarent, opus ejusmodi diabolicum

diabolicum appellantes, illud omnino demoliendum sibi constituerunt, eamque ob causam magno numero conglomerati ad locum accesserunt, & manum inferentes violentam castrum recens excitatum demoliti sunt, soloque adæquarunt. Offendit istud Treverensium facinus mirè Henrici Comitis animum, qui ejus ulciscendi gratia, collecta militum multitudine ingenti in Divæ Mariæ Magdalenæ profesto primum vallem Treverensem ingressus, spe lactabatur ut in brevi urbem ipsam vi, terrore, dolo, aut proditione in suam subigeret potestatem. Castra verò circa vallem, quæ adhuc hodiè Vririum nuncupatur, fixit, & domos, turresque civitati viciniores igne succendit, nulli denique rei, ac nè quidem ipsis fructuosis arboribus, & terræ frugibus parcēs, omnia circumquaque vastabat, perdebatque. Treverenses tum magis angustiis perculsi, necnon de suis ad propellendum hostem viribus diffisi, saltem eum ne ponti proximior, & urbi fieret infestior, compita viarum diligenter custodiri fecerunt. Vnde Comes Henricus propius accedere prohibitus, retro ad partes Treverensium alias depascendas sesè convertit, & juxta villam Mertzelich/ quæ vulgò Mertert/ & olim latinè Merchodichta dicebatur, Mosella

diabolicum appellantes, illud omnino demoliendum ſibi conſtituerunt, eamque ob cauſam magno numero conglomerati ad locum acceſſerunt, & manum inferentes violentam caſtrum recens excitatum demoliti ſunt, ſoloque adæquarunt. Offendit iſtud Treverenſium facinus mirè Henrici Comitis animum, qui ejus ulciſcendi gratia, collecta militum multitudine ingenti in Divæ Mariæ Magdalenæ profeſto primum vallem Treverenſem ingreſſus, ſpe lactabatur ut in brevi urbem ipſam vi, terrore, dolo, aut proditione in ſuam ſubigeret poteſtatem. Caſtra verò circa vallem, quæ adhuc hodiè *Vririum nuncupatur*, fixit, & domos, turreſque civitati viciniores igne ſuccendit, nulli denique rei, ac nè quidem ipſis fructuoſis arboribus, & terræ frugibus parcẽs, omnia circumquaque vaſtabat, perdebatque. Treverenſes tum magis anguſtiis perculſi, necnon de ſuis ad propellendum hoſtem viribus diffiſi, ſaltem eum ne ponti proximior, & urbi fieret infeſtior, compita viarum diligenter cuſtodiri fecerunt. Vnde Comes Henricus propius accedere prohibitus, retro ad partes Treverenſium alias depaſcendas ſeſè convertit, & juxta villam Mertzelich / quæ vulgò Mertert / & olim latinè *Merchodichta* dicebatur,

Moſella

Mosella trajecto, cum suorum etiam aliquo dispendio, qui fluctibus ejus fluminis obruti perierũt, Villam *Contz* nomine petiit, & quibus potuit modis cuncta per gyrum igne, & ferro devastavit. Vrbi denique appropinquans, castra in Campo spacioso circa sanctæ Crucis villam constituit, exercens interea militum suorum manu arborum, vinearum, & aliarum frugum vastationem inexplicabilem: Ipsam etiam villam (Ecclesia ipsa ob religionem servata) & torcularia quamplurima circumposita, & in Oliviæ ripa reperta, juxtaque Novum montem sita incendit, subvertit, destruxit.

Dum jam duodecimum diem ea in grassatione attigisset Henricus Luxemburgensis Comes, Deus malis tantis finem impositurus ne terra illa Sanctorum corporibus, & sanguine tincta & sacrata in exterminium daretur, permisit in ipso noctis medio, dum in Castris summum esset silentium, magnum exurgere tumultum, dissentientibus nimirum inter se Luxemburgensibus militibus, & mutuis se armorum compressionibus interimentibus. Quæ res adeò Henrici Comitis animum perculit, ut citra moram dimissis quos offendere nisus fuerat Treverensibus, solutoque exercitu ad propria remeare disponeret, Treverenses

verenses tamen non sibi ideo tutum futuro tempore confidentes quosdam ad Luxemburgensem componendæ pacis gratia destinârunt, quæ ea ratione rata & firma evasit, ut senatus populusque Treverensis Comitem Luxemburgensem in suum concivem Treverensem adsciscerent, domumque insignem ad Aquilam vulgo dictam in sua Metropoli donarent, atq; insuper trecentorum aureorum pensionem ipsi & hæredibus ejus in Comitatu Luxemburgensi annis singulis in perpetuum solvendam addixerunt, utque justo mediante precio omnium mercium in eadem urbe prostantium eis facultas foret emendarum concesserunt. Hæc inquam, inter partes ejusmodi transacta, & sigillis appensis munita & firmata fuêre anno millesimo tricentesimo secundo.

In tantum porrò successu temporis Henricus noster in virtute, prudentia, & rerum gerendarum peritia profecit, ut fama ejus usquequaque per Germaniæ fines diffusa, omnium voto in Romanorum Imperatorem exoptaretur, nec verò frustrati sunt suo desiderio. Nam etsi Philippus Valesius Caroli filius Franciæ Rex ei hanc gloriam magno molimine præripere conaretur, nullumque fiduciæ in summo Pontifice tum temporis Avinione

agente

verenses tamen non sibi ideo tutum futuro tempore confidentes quosdam ad Luxemburgensem componendæ pacis gratia destinârunt, quæ ea ratione rata & firma evasit, ut senatus populusque Treverensis Comitem Luxemburgensem in suum concivem Treverensem adsciscerent, domumque insignem ad Aquilam vulgo dictam in sua Metropoli donarent, atq; insuper trecentorum aureorum pensionem ipsi & hæredibus ejus in Comitatu Luxemburgensi annis singulis in perpetuum solvendam addixerunt, utque justo mediante precio omnium mercium in eadem urbe prostantium eis facultas foret emendarum concesserunt. Hæc inquam, inter partes ejusmodi transacta, & sigillis appensis munita & firmata fuêre anno millesimo tricentesimo secundo.

In tantum porrò successu temporis Henricus noster in virtute, prudentia, & rerum gerendarum peritia profecit, ut fama ejus usquequaque per Germaniæ fines diffusa, omnium voto in Romanorum Imperatorem exoptaretur, nec verò frustrati sunt suo desiderio. Nam etsi Philippus Valesius Caroli filius Franciæ Rex ei hanc gloriam magno molimine præripere conaretur, nullumque fiduciæ in summo Pontifice tum temporis Avinione agente

agente collocasset, & ut certius ejus in hoc favorem aucuparetur ampliorem, sex ei millia hominum in obsequium destinârat; etsi inquam Philippus prælibatus nostri Henrici promotionem impedire, suam verò istis mediis moliretur procurare, Deo aliter disponente anno Domini millesimo, trecentesimo octavo, Francfordiæ ipsis Divæ Catharinæ feriis, à septem viris Electoribus in Regem Romanorum electus est, ex quo Regis Galliæ consilia omnia in eam rem impensa in nihilum fuêre deducta, quod inter ipsum, & summum Pontificem magnæ discordiæ extitit seminarium.

Dum Romani Imperii Henricus Luxemburgensis moderaretur habenas, filius ejus natu primus Ioannes vocabulo Comitatus Luxemburgensis fasces obtinuit, prout ex ejus diplomatibus priore ex Monasterii Munsterien. archivis, altero ad Xenodochiũ Echternacense spectante, è quibus subjuncta transsumpsi, apertè constat. *Vniversis præsentium inspectoribus Ioannes Comes de Lucemburch, Excellentissimi Domini Henrici Romanorum Regis primogenitus, salutem & notitiam subscriptorum, &c. Noveritis igitur Religiosos viros Abbatem & Conventum sanctæ Mariæ in Lucemburch ordinis S. Benedicti nobis humiliter supplicasse, ut privilegia, jura, libertates & gratias*

tias ipsis à Ducibus in Lymburch sive Comitibus in Lucemburch nostris prædecessoribus aut aliis quibusq; concessa, indulta, traditas sive factas, confirmare, ratificare, innovare, & approbare vellemus &c. Datum in Lucemburch quinto nonas Iulii anno millesimo trecentesimo decimo.

Item. Nos Ioannes primogenitus serenissimi Domini Romanorum Regis, Comes Lucemburgensis, Rupensis & Marchio Arlunensis. Vniversis suis officiatis ad quos præsentes literæ pervenerint, suam gratiam. Quia summum cultum in omnibus locis terræ nostræ volumus augmentari, & semper pace gaudere tranquilla, vobis omnibus & singulis mandando præcipimus, ne rebus aut bonis pauperum hospitalis Echternacensis manum ad vexationem eorundem aliquatenus apponatis, sed potius eos defendatis à vestris subditis conservantes indemnes &c. Datum anno millesimo trecentesimo decimo. In vigilia ad vincula Petri.

Templarii toto orbe deleti sunt & facultates Rhodiis assignatæ.

Obiit circa id tempestatis VVenceslaus Bohemiæ Rex, unica filia Elizabetha Regni ejus hærede relicta. Ex quo Henricus Carinthiæ Princeps defuncti Regis sororius occasionem arripuit Regni Bohemici sibi vendicandi; qua de re infensus Imperator Albertus missis copiis eundem Regno injuste occupato exturbavit, atqu
fili

tias ipsis à Ducibus in Lymburch sive Comitibus in Lucemburch nostris prædecessoribus aut aliis quibusq; concessa, indulta, traditas sive factas, confirmare, ratificare, innovare, & approbare vellemus &c. Datum in Lucemburch quinto nonas Iulii anno millesimo trecentesimo decimo.

Item. Nos Ioannes primogenitus serenissimi Domini Romanorum Regis, Comes Lucemburgensis, Rupensis & Marchio Arlunensis. Universis suis officiatis ad quos præsentes literæ pervenerint, suam gratiam. Quia summum cultum in omnibus locis terræ nostræ volumus augmentari, & semper pace gaudere tranquilla, vobis omnibus & singulis mandando præcipimus, ne rebus aut bonis pauperum hospitalis Echternacensis manum ad vexationem eorundem aliquatenus apponatis, sed potius eos defendatis à vestris subditis conservantes indemnes &c. Datum anno millesimo trecentesimo decimo. In vigilia ad vincula Petri.

Templarii toto orbe deleti sunt & facultates Rhodiis assignatæ.

Obiit circa id tempestatis VVenceslaus Bohemiæ Rex, unica filia Elizabetha Regni ejus hærede relicta. Ex quo Henricus Carinthiæ Princeps defuncti Regis sororius occasionem arripuit Regni Bohemici sibi vendicandi; qua de re infensus Imperator Albertus missis copiis eundem Regno injuste occupato exturbavit, atque filio

filio ſuo Reginæ viduæ matrimonio conjuncto ejus gubernacula tradidit; quo è vivis eodem anno evocato abſque ſobole Henricus Carinthiæ Princeps prælibatus Regnum ſecundo invadere & ſuo dominatui adjicere appoſuit. In quem itidem Cæſar denuo validi exercitus robur direxit, & infra temporis exigua ſpacia ad manus dandas compulit. Cum deliberaretur ab Imperatore, qua pœna ob ſuam temeritatem Henricus foret afficiendus, quidam ab eo ſubornatus in Cæſaris perſonam manus nefario auſu immittere præſumpſit, unde & pius Cæſar vulnere lethali percuſſus interiit.

Cæſare igitur Alberto exempto rebus mortalibus, Henricus Luxemburgenſis pridem ad annos aliquot Regis Romanorum ſolio ſublimitatus jure ordinario in ejus ſubiit locum, obtinuitq; eam rem facili negotio à Chriſti ſummo in terris Vicario ſeſe confirmari, ea tamen lege ut pro poſſe & noſſe Italiam Guelphorum, & Gibellinorum factioſis ſeditionibus flagrantem, à pernicioſa iſthac lue repurgare ſtuderet. Iſtiuſmodi igitur ſummi Pontificis beneplacito ſeſe confirmãs Imperator magnanimus triplicem ſtatim exercitum inſtrui curavit: Et cum horum quidem primario, maximoq; ipſe perſonaliter in Italiam movens peſtilentes

lentes iſtas ſectas mira prudentiæ, & armorum dexteritate pro eo tempore ſedavit. Alterum porrò exercitum in Bohemiam Petro Moguntinorum Archipræſule Duce deſtinavit, quo ſcilicet inquilinos ad Ioannem filium ſuũ in Regem ſuſcipiendum compelleret. Tertius denique exercitus expeditus adverſus VVittenburgenſes Comites imperio rebelles extitit.

Henricus ad Imperii faſtigium ſubvectus illud in primis curavit, ut familiam unde originem ducebat amplioribus afficeret honoribus ac divitiis; eam ob cauſam Eliſabetham juvenculam Regni Bohemici hæredem Spiram ad ſe accerſitam Ioanni filio ſuo majori Luxemburgenſi Comiti deſponſavit, cui proindè jure uxorio ipſum Bohemiæ Regnum contigit; at cum quibuſdam factioſis ejus Regni indigenis minus ejuſmodi probaretur dicti Ioannis evectio, ideoque in ſeditionem verſi eum agnoſcere ſuum renuerent Dominum, per Imperatoris manum validam ductu Archiepiſcopi Moguntini, uti diximus, in ordinē fuere redacti. Henricus Carinthiæ Princeps, ut ſeſe Ioannis & Elizabethæ matrimonio Bohemici Regni adeptione fruſtratum iri perpendit, Pragenſem Metropolim occupare, & ut in eam Ioanni novello Regi aditum præ-

 terclu-

lentes iſtas ſectas mira prudentiæ, & armorum dexteritate pro eo tempore ſedavit. Alterum porrò exercitum in Bohemiam Petro Moguntinorum Archipræſule Duce deſtinavit, quo ſcilicet inquilinos ad Ioannem filium ſuũ in Regem ſuſcipiendum compelleret. Tertius denique exercitus expeditus adverſus VVittenburgenſes Comites imperio rebelles extitit.

Henricus ad Imperii faſtigium ſubvectus illud in primis curavit, ut familiam unde originem ducebat amplioribus afficeret honoribus ac divitiis; eam ób cauſam Eliſabetham juvenculam Regni Bohemici hæredem Spiram ad ſe accerſitam Ioanni filio ſuo majori Luxemburgenſi Comiti deſponſavit, cui proindè *jure uxorio ipſum* Bohemiæ Regnum contigit; at cum quibuſdam factioſis ejus Regni indigenis minus ejuſmodi probaretur dicti Ioannis evectio, ideoque in ſeditionem verſi eum agnoſcere ſuum renuerent Dominum, per Imperatoris manum validam ductu Archiepiſcopi Moguntini, uti diximus, in ordinē fuere redacti. Henricus Carinthiæ Princeps, ut ſeſe Ioannis & Elizabethæ matrimonio Bohemici Regni adeptione fruſtratum iri perpendit, Pragenſem Metropolim occupare, & ut in eam Ioanni novello Regi aditum præ-

 terclu-

tercluderet muris, turribus, & aggeribus amplioribus munire sategit; sed frustra. Nam loci cives illico Ioannis sive Cæsaris ejus parentis nomine exigentibus legatis, urbem ultrò in Regis potestatem dediderunt. Henricus verò Carinthiæ Princeps, viribus & consilio destitutus, fuga clanculum accepta, evasit.

Etsi verò Elizabetha Regni Bohemici præfata hæres forma admodum esset eleganti, corpore tamen præter ejus sexus conditionem videbatur obesiori, ventreque aliquantulum prominente, quæ res Zelotypiæ ansam præbuit, sinistramque suspicionem de castimonia ipsius ingessit, tum plurimis aliis, tum maximè ipsi Imperatori ejusque fratri Balduino Trevirorum Archiepiscopo, verentibus, ne fortassis ipsius Elizabethæ ab alio prærepta foret virginitas, unde & nuptiarum ejus cum Ioanne Cæsaris filio celebratio ad dies quamplurimos dilata extitit. Elizabeth tandem moræ impatiens longioris, eo potissimè quod ex ejusmodi de se turpi opinatione originem traxisset, suæ innocentiæ, ac integritatis optimè conscia, ad Cæsarem accessit, eumque tali sermone est affata: Cæsar clementissime, cum certò certius videam minus de mea pudicitia, & virginitate apud Majestatem

tuam esse confidentiæ, cupio, & enixissimè efflagito, ut priusquam ex hoc discedam cænaculo, ejus rei periculum faciant obstetrices, ac deniq; veritatis testimonium proferant. His verbis stupefactus Imperator, omnem statum ex animo abjecit sinistræ opinionis cogitationem, eamque amplexatus asseruit, nihil deinceps ea de re malæ suspicionis sese admissurum. At illa propositi tenax; & Imperatoris contestatione nequaquam contenta, fortius institit, ut petitionis suæ compos fieret: factum est, ut eccè obstetrices sufficienti facta indagatione juramento affirmarunt Elizabetham integro virginitatis pollere signaculò, & omnino intactam existere. Inde igitur paucis præterlapsis diebus, solemni ritu, apparatuque plane regio Ioannes Cæsaris natu maximus filius, Elizabetham Regni Bohemici unicam hæredem in conjugem duxit, atque hoc pacto Rex Bohemiæ uxorio jure evasit, necnon in Civitate Pragensi Regni metropoli diademate regali est redimitus, pridie Calendas Februarias millesimo trecentesimo undecimo.

Henricus Imperator, ut rara erat, & cana prudentia ne contigeret insequenti tempore filium suum Regni Bohemici causa quicquam molestiæ ab Henrico Carinthiæ Principe perpeti,

 eundem

tem tuam esse confidentiæ, cupio, & enixissimè efflagito, ut priusquam ex hoc discedam cænaculo, ejus rei periculum faciant obstetrices, ac deniq; veritatis testimonium proferant. His verbis stupefactus Imperator, omnem statum ex animo abjecit sinistræ opinionis cogitationem, eamque amplexatus asseruit, nihil deinceps ea de re malæ suspicionis sese admissurum. At illa propositi tenax; & Imperatoris contestatione nequaquam contenta, fortius institit, ut petitionis suæ compos fieret: factum est, ut eccè obstetrices sufficienti facta indagatione juramento affirmarunt Elizabetham integro virginitatis pollere signaculo, & omnino intactam existere. Inde igitur paucis prælapsis diebus, solemni ritu, apparatuque plane regio Ioannes Cæsaris natu maximus filius, Elizabetham Regni Bohemici unicam hæredem in conjugem duxit, atque hoc pacto Rex Bohemiæ uxorio jure evasit, necnon in Civitate Pragensi Regni metropoli diademate regali est redimitus, pridie Calendas Februarias millesimo trecentesimo undecimo.

Henricus Imperator, ut rara erat, & cana prudentia ne contingeret insequenti tempore filium suum Regni Bohemici causa quicquam molestiæ ab Henrico Carinthiæ Principe perpeti,

 eundem

eundem muneribus præclaris animo paratum reddere ſtuduit, qui ob hoc, Cæſaris cedens voluntati, nihil adverſi in Bohemię Regem poſtmodum molitus eſt.

Henricus igitur octavus poſt ſeptem menſium interregnum, 25. Decembris 1308. Imperator dictus Aquisgrani Caroli magni diademate mẽſe Ianuario per Colonienſis Archiepiſcopi manus, anno deinde ſequenti cum VValramo Comite Rupenſi fratre ſuo, & multis utriuſque ordinis Principibus viris in Italiam profectus, Mediolani ferrea, & Romæ per Cardinalem Oſtienſem, abſente Clemente quinto Pontifice maximo, aurea corona eſt inſignitus; & inter hæc Comitẽ VVirtenbergium, & Conradum OEtinganum rebelles ditione exturbavit, atq; hæc quidem in Germania. In Italia autem ſeditionibus tollendis occupatus, dum hoſtes potenti virtute ſuperaret, plurimas urbes in fidem recepit, incolis earum munera paſſim pro gratia obtinenda ad Imperatorem ſumma cum honoris & reverentiæ exhibitione deferentibus Cremonenſes quod Cæſari protervé, nimium arroganter, & contumaciter reſtitiſſent, ne in extremum per juſtam vindictam exitium devenirent, collis reſte ligatis culpam ſuam proſtrato in terrã corpore multis

tis lachrymis confeſſi ſunt, ejuſque veniam enixiſſime implorantes, eam tandem mediante centum millium florenorum aureorũ mulcta impetrarunt. Brixienſes plus juſto in ſuis confiſi viribus auſi ſunt prę reliquis ſuis vicinis Cæſareæ poteſtati obſtrepere, nullatenus in deditionem ſuæ Civitatis conſentientes, qua ex re in iram verſus Imperator collectis copiis ejuſmodi rebellentes obſidione cingere aggreſſus eſt; & cum indies utrinque atrox fieret ac identidem reperiretur certamen, VValramus Comes Rupenſis Cęſaris frater ictu ſagittæ fortuito læſus, ex vulnere accepto diem clauſit extremum. Vnde Cæſar ipſe implacabiliter iratus jurejurando interpoſito pollicitus eſt ſeſe non jam per urbis portas, ſed per muros dejectos, & ſolo adæquatos, cum ſuis turmis ingreſſurum, necemque fratris in primis vindicaturam. Quod & non ita multo poſt accidit, dum muris ſubverſis, foſſiſque complanatis in urbem præ inedia deficientem magno furore, & habitatorum cæde irruperunt.

Genuam deindè proceribus Imperii Comitatus movens inibi conjugem ſuam Margarethã morte ſolutam offendit. Qua ex cauſa citius contendit Piſas, ubi Ioannem, qui Albertum Auſtriacum prædeceſſorem ſuum in Hel-

tis lachrymis confeſſi ſunt,ejuſque veniam enixiſſime implorantes,eam tandem mediante centum millium florenorum aureorũ mulcta impetrarunt. Brixienſes plus juſto in ſuis confiſi viribus auſi ſunt prę reliquis ſuis vicinis Cæſareæ poteſtati obſtrepere,nullatenus in deditionem ſuæ Civitatis conſentientes, qua ex re in iram verſus Imperator collectis copiis ejuſmodi rebellentes obſidione cingere aggreſſus eſt; & cum indies utrinque atrox fieret ac identidem reperiretur certamen, VValramus Comes Rupenſis Cęſaris frater ictu ſagittæ fortuito læſus, ex vulnere accepto diem clauſit extremum. Vnde Cæſar ipſe implacabiliter iratus jurejurando interpoſito pollicitus eſt ſeſe non jam per urbis portas, ſed per muros dejectos, & ſolo adæquatos, cum ſuis turmis ingreſſurum, necemque fratris in primis vindicaturum. Quod & non ita multo poſt accidit,dum muris ſubverſis, foſſiſque complanatis in urbem præ inedia deficientem magno furore, & habitatorum cæde irruperunt.

Genuam deindè proceribus Imperii Comitatus movens inibi conjugem ſuam Margarethã morte ſolutam offendit. Qua ex cauſa citius contendit Piſas,ubi Ioannem,qui Albertum Auſtriacum prædeceſſorem ſuum in Hel-

vetia occiderat in carcerem retrusit, quo diutius obstrictus infœlicem tandem emisit animam. Exindè Romam petens diademate aureo Imperiali, uti præfatus sum, est cum omnium acclamatione & congratulatione insignitus; statimque ex urbe solvens Florentinos eatenus rebelles bellorum stratagemate domaturus, & in ordinem redacturus, illò cum armatorum frequentia penè innumera iter arripuit; quò deveniens cives Florentini parere & submittere sese spernentes, omnibus honoribus, Iuribus, privilegiis, & quibuslibet immunitatibus tanquam indignos, perduelliones, ac læsæ Majestatis reos per sententiam definitivam privavit. Circa id temporis Cæsar ipse filiam suam Beatricem nomine Ioanni Henrico in uxorem tradidit, eidemq; dotis vice Apuliam addicit.

Dum verò gravissima obsidione Florentiam premere, & ad deditionem cogere niteretur Cæsar Henricus, in Assumptionis divæ Virginis sacra die accidit, ut devotè admodum Eucharistiæ sacramento accepto in gravem incideret corporis infirmitatem, ex qua liberari cupiens de medicorum suorum consilio ad balnea sese contulit Maceretensia; sed cum thermis istiusmodi nihilo melius haberet, Me-

dicis

dicis nihilominus consulentibus Beneventum purioris fruendi auræ & aëris gratia sese contulit, ubi paulò post vitam cum morte commutavit, corpus verò ejus Pisas devectum ibidem sepulturæ illud mandarunt.

Signa veneni in defuncti cadavere apparuisse, multi scripserunt, unde nonnulli eum à fratre Prædicatorii ordinis ob venenum porrectum, quod sub panis specie in sacratissimo Dominici corporis sacramento absconderat, necatum fuisse autumant: alii febre, causa dissimili & incomperta correptum, discessisse scribunt. Quibus ego equidem magis adstipulor; Ecquis enim ullum non dico professione religiosum, ut hunc: sed cujusvis etiam perditissimæ alioquin vitæ hominem adeò perversum putarit, ut rem adeò horrendam, & sacrilegam, qua nulla alia scelerātior ne cogitari quidē posset inter Christiani nominis professores reperiri posse arbitretur? Nam quod quidam Fr. Clemens Religiosus nostro sæculo anno scilicet Domini 1590. Henrico Valesio Regi Francorum ejus nominis tertio, cultro in ventrem ejus infixo necem attulerit; longè hoc facto minus habet atrocitatis, ob tanto sacramento, angelicis etiam ipsis potestatibus magna cum reverentia, & tremore suscipiendo il-

 latam

dicis nihilominus conſulentibus Beneventum purioris fruendi auræ & aëris gratia ſeſe contulit, ubi paulò poſt vitam cum morte commutavit, corpus verò ejus Piſas devectum ibidem ſepulturæ illud mandarunt.

Signa veneni in defuncti cadavere apparuiſſe, multi ſcripſerunt, unde nonnulli eum à fratre Prædicatorii ordinis ob venenum porrectum, quod ſub panis ſpecie in ſacratiſſimo Dominici corporis ſacramento abſconderat, necatum fuiſſe autumant: alii febre, cauſa diſſimili & incomperta correptum, diſceſſiſſe ſcribunt. Quibus ego equidem magis adſtipulor; Ecquis enim ullum non dico profeſſione religioſum, ut hunc: ſed cujuſvis etiam perditiſſimæ alioquin vitæ hominem adeò perverſum putarit, ut rem adeò horrendam, & ſacrilegam, qua nulla alia ſceleratior ne cogitari quidẽ poſſet inter Chriſtiani nominis profeſſores reperiri poſſe arbitretur? Nam quod quidam Fr. Clemens Religioſus noſtro ſæculo anno ſcilicet Domini 1590. Henrico Valeſio Regi Francorum ejus nominis tertio, cultro in ventrem ejus infixo necem attulerit; longè hoc facto minus habet atrocitatis, ob tanto ſacramento, angelicis etiam ipſis poteſtatibus magna cum reverentia, & tremore ſuſcipiendo il-

latam contumeliam. Vt ut ſit, dum Religioſus iſte ſeſe iſtius nefandi criminis inſimulari paſſim audiret, veritus ne ideò in certum vitæ ſuæ diſpendium incurreret, illinc ſeſe proripere & ad loca tutiora profugere feſtinavit, utque famæ ſuæ eatenus plurimum lęſæ recuperaret integritatem, literas innocentiæ ſuæ teſtificatorias, à diverſis diverſorum ſtatuum. Summatibus petiit, & accepit, quarum duas treſve veritatis aſtruendæ, tum etiam inſontis à columnia eximendi gratia hic libuit ſubjungere.

Nos Ioannes Dei gratia Epiſcopus Argentinenſis ad univerſorum notitiam cupimus pervenire. Quod nos vidimus & perlegimus literas miſſas per fideles Imperii de partibus Tuſciæ Reverendo Domino Cardinali Oſtienſi ſub ſigillis duorum Pœnitentiariorum, quarum tenor ſequitur & eſt talis. Venerabili patri ſuo Domino ſpeciali, Domino Nicolao Oſtienſi Epiſcopo. Guido miſeratione divina Epiſc. Aretinus, cum recommendatione ſeipſum ad vota pacatum. *Noverit R.V. per præſentes quod poſt turbationem, quam fideles Imperii maximè per Italiam receperunt de morte sereniſſimi Principis Domini Henrici Romanorum Imperatoris, in quo ſpes omnis noſtræ ſalutis & pacis, quaſi certa & infallibilis quieſcebat, alia ſurrexit ab ipſis fidelibus non utique contemnenda, eo quod in totius Italiæ*

Italiæ redundat injuriam, nec non & ordinis ſancti Prædicatorum, quem ob Dei & veſtram Reverentiam præcipuè diligo & amplector. Nam cum ſolus Italicus Religioſus vir frater Bernardinus de Monte Politiano ordinis memorati, eidem Domino in camera miniſtraret, eum informaverunt, quod cum Sacra Hoſtia (quod auditu horrendum eſt) præfatum Dominum veneravit. Ego autem, & cæteri fideles Imperii, qui fidem & ſanctitatem novimus dicti fratris, certa fide tenemus dictum fratrem nequaquam tantum facinus admiſiſſe, nec quiſquam ſani capitis unquam poſſet fidem credulam adhibere, quod homo prudens, religioſus, ſacerdos de claro genere natus, cum proprio damno, ſui ordinis injuria, ſui generis dedecore, ac patriæ infamia tantum facinus perpetraſſet, & illum interimere voluiſſet, a qua honor, vita, ſalus ſua, ſuorumque pendebat, qui eo vivente in honore etiam principibus viris æquabatur, cui cameræ patebant, oſtia, cui acceſſus ad Principem ſine cujuſquam prohibitione patebat. Nunc autem poſt Domini ſui necem, cum aliis fratribus ex more, pro victu & veſtitu mendicare tenetur. Non enim tanti ſceleris conſcius fugit ad inimicos, ſed cum amicis & devotis Imperii trahit moram, paratus pro veritate ſua & ſinceritate tuenda cum magna ſpe & fiducia reſpondere & inter tales ſe reputat eſſe tutum. Quod ſi ad credulitatem hujus ſceleris ex modica circumſtantiâ

Italiæ redundat injuriam, nec non & ordinis sancti Prædicatorum, quem ob Dei & vestram Reverentiam præcipuè diligo & amplector. Nam cum solus Italicus Religiosus vir frater Bernardinus de Monte Politiano ordinis memorati, eidem Domino in camera ministraret, eum informaverunt, quod cum Sacra Hostia (quod auditu horrendum est) præfatum Dominum venenavit. Ego autem, & cæteri fideles Imperii, qui fidem & sanctitatem novimus dicti fratris, certa fide tenemus dictum fratrem nequaquam tantum facinus admisisse, nec quisquam sani capitis unquam posset fidem credulam adhibere, quod homo prudens, religiosus, sacerdos de claro genere natus, cum proprio damno, sui ordinis injuria, sui generis dedecore, ac patriæ infamia tantum facinus perpetrasset, & illum interimere voluisset, à qua honor, vita, salus sua, suorumque pendebat, qui eo vivente in honore etjam principibus viris æquabatur, cui cameræ patebant, ostia, cui accessus ad Principem sine cujusquam prohibitione patebat. Nunc autem post Domini sui necem, cum aliis fratribus ex more, pro victu & vestitu mendicare tenetur. Non enim tanti sceleris conscius fugit ad inimicos, sed cum amicis & devotis Imperii trahit moram, paratus pro veritate sua & sinceritate tuenda cum magna spe & fiducia respondere & inter tales se reputat esse tutum. Quod si ad credulitatem hujus sceleris ex modica cir-

cumſtantiâ ducerentur, eum dentibus laniarent. Faveat igitur ſupplicio paternitatis veſtræ favor atque induſtria, & patria & ordo, & fratris perſona de tanta infamia liberati veneranda Dominationi veſtræ, uberes gratiarum referant actiones. Datum Arecii xiiij. die Septembris.

Item aliæ literæ Venerabili in Chriſto Patri Domino fratri Nicolao Oſtienſi & Vercellenſi Epiſcopo, eorum Domino & benefactori, Fredericus Comes Feltri poteſtas, concilium & communitas civitatis Arecii cum recommendatione ſeipſos.

Nuper audivimus quod in pleriſque locis Religioſus vir frater Bernardinus de Mõte Politiano ordinis fratrum Prædicatorum de morte inclitæ recordationis, Domini Henrici olim Imperatoris Domini noſtri contra veritatem eſt multipliciter diffamatus, & quod ejus occaſione tam Vltramontani quã Italici, fratres dicti ordinis, & Religioſos cæteros, & eorum Eccleſias crudeliter perſequuntur. Verum ſi nobilitatem generis ipſius fratris, nec non ſcientiam, honeſtatem, & fidem, quam ad Dominum noſtrum habebat, diligenter attenderent, de dicto fratre tam horrendum facinus non proferrent. Nam vita ſua, & ſuorum à Domini noſtri vita merito dependebat, & ſua mors ipſum, & ſuos continuè cruciat, & tormentat. Non enim fuiſſet Religioſus ſed diabolus, qui ſacratiſſimum Dominum noſtrum in perniciem

ciem totius Chriſtianitatis ſic inhumaniter occidiſſet. Veſtræ ergò Reverendæ Paternitati ſupplicamus, ut Dei intuitu non ſinatis dictum fratrem de tanto facinore diffamari. Ipſe enim frater eſt in Civitate Arecii, & ſeveriſſime puniremus eundem, ſi ipſum culpabilem putaremus. Scitis enim quòd error cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas opprimitur, cum minimè defenſatur. Datum Arecii xiiij. Septembris. xi. Indictione. Item Venerabili Patri Domino Nicolao de Prato Oſtienſi, & Vercellenſi Epiſcopo Cardinali, Capitanei Imperialis partis quæ extra Florentiam, eorumque concilium, cum debita reverentia ſeipſos ad vota paratos.

Quanta ſimus conturbatione conterriti, & damnis expoſiti propter mortem Sereniſſimi Domini noſtri Henrici ſanctæ memoriæ Romanorum Imperatoris; quia calamus non ſufficeret explicare, veſtræ diſcretioni relinquimus æſtimandum. Licet autem veritas ſeipſam ſua aliquando fortitudine manifeſtet, decet tamen bonos dare operam efficacem, ut veritas producatur in lucem, & falſitas deſtruatur. Quia igitur vir Religioſus frater Bernardinus de Monte Politiano, Ordinis fratrum Prædicatorum, inſtigante humani generis inimico, ab aliquibus invidis & facinoroſis de venenatione Sereniſſimi Domini noſtri quondam Romanorum Imperatoris prædicti extitit diffamatus,

ciem totius Christianitatis sic inhumaniter occidisset. Vestræ ergò Reverendæ Paternitati supplicamus, ut Dei intuitu non sinatis dictum fratrem de tanto facinore diffamari. Ipse enim frater est in Civitate Arecii, & severissime puniremus eundem, si ipsum culpabilem putaremus. Scitis enim quòd error cui non resistitur, approbatur, & veritas opprimitur, cum minimè defensatur. Datum Arecii xiiij. Septembris. xi. Indictione. Item Venerabili Patri Domino Nicolao de Prato Ostiensi, &Vercellensi Episcopo Cardinali, Capitanei Imperialis partis quæ extra Florentiam, eorumque concilium, cum debita reverentia seipsos ad vota paratos.

Quanta simus conturbatione conterriti, & damnis expositi propter mortem Serenissimi Domini nostri Henrici sanctæ memoriæ Romanorum Imperatoris; quia calamus non sufficeret explicare, vestra discretioni relinquimus æstimandum. Licet autem veritas seipsam sua aliquando fortitudine manifestet, decet tamen bonos dare operam efficacem, ut veritas producatur in lucem, & falsitas destruatur. Quia igitur vir Religiosus frater Bernardinus de Monte Politiano, Ordinis fratrum Prædicatorum, instigante humani generis inimico, ab aliquibus invidis & facinorosis de venenatione Serenissimi Domini nostri quondam Romanorum Imperatoris prædicti extitit diffamatus,

tus, quæ fama apud multos fuit, & est mendaciter evulgata, vestram dominationem reddimus certiorem, quod dictus frater nullam culpam habuit in prædictis, sed eidem Domino semper devotus extitit, & fidelis. Est enim dictus frater in Aretio paratus pro sua innocentia & veritate propugnanda omni homini respondere, & nos suam sinceritatem & fidem semper fulcire ac defendere testimoniis veritatis: Hoc enim Paternitas vestra plenè novit, quod si culpabilis in hoc facinore, possemus ex quacunque circumstantia suspicari, eum tanquam nostri, nostrorumque destructorem, & hostem atrocissime puniremus. Benè semper valeat vestra Dominatio veneranda. Datum Aretii, decima quarta Septembris. In testimonium ergò visionis harum literarum nos prædictus Ioannes Argentinensis Episcopus sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum, datum Argentinæ, millesimo trecentesimo decimo quinto 3. Iduum Februarii.

Sic igitur in ejusmodi scriptis quanquam neglectu scriptorum mendosis, unde probabiliter admodum colliquescit rumorem eum, qui de commisso per dictum Religiosum flagitio passim apud quosdam volabat, commentatitium esse, & nullo inniti certitudinis fundamento.

Ioannes Henrici Imperatoris filius primogenitus Regno Bohemico triginta

ginta quinque annis ingenti cum laude & gloria præfuit. Patre etiam in Italia occupato, ipse apud Germanos vicario nomine Imperium egregiè administravit. Cæsare porrò è vivis sublato, urbes ab eo partas in Italia, armorum vi ad annos perplures propugnavit. Brixiam videlicet, Bergamum, Lucam, Parmam, Regionem, atque Mutinam quibus in tutelam suam susceptis, eas & arcibus, & mœnibus prævalidis communivit. In Bergamo siquidem arcem hodieque extantem ipse à fundamentis excitavit. Habuit autem jam indè ab ipsis sui Regni primordiis æmulos sibi infestos, qui livore nimio stimulante toxico clam porrecto, eum è medio tollere sunt annisi. Et parum quidem abfuit, quin veneno exhausto ad extrema deduceretur. Verum divina in primis ope confortatus Rex, nec non peritissimorum medicorum adhibita summa diligentia, etsi non planè in pristinam redierit valetudinem, vita tamen diuturniore, quam invidi optassent, est gavisus. Interim cum in morbi remedium sumpta ab ipso antidota, veneni infectiones per oculorum loca propellerent magnum cum dolore vehementi visus est perpeti detrimentum, adeò ut præ nimia doloris acrimonia, dum ei cum hominibus esset sermo, solere

ginta quinque annis ingenti cum laude & gloria præfuit. Patre etiam in Italia occupato, ipſe apud Germanos vicario nomine Imperium egregiè adminiſtravit. Cæſare porrò è vivis ſublato, urbes ab eo partas in Italia, armorum vi ad annos perplures propugnavit. Brixiam videlicet, Bergamum, Lucam, Parmam, Regionem, atque Mutinam quibus in tutelam ſuam ſuſceptis, eas & arcibus, & mœnibus prævalidis communivit. In Bergamo ſiquidem arcem hodieque extantem ipſe à fundamentis excitavit. Habuit autem jam indè ab ipſis ſui Regni primordiis æmulos ſibi infeſtos, qui livore nimio ſtimulante toxico clam porrecto, eum è medio tollere ſunt annisi. Et parum quidem abfuit, quin veneno exhauſto ad extrema deduceretur. Verum divina in primis ope confortatus Rex, nec non peritiſſimorum medicorum adhibita ſumma diligentia, etſi non planè in priſtinam redierit valetudinem, vita tamen diuturniore, quam invidi optaſſent, eſt gaviſus. Interim cum in morbi remedium ſumpta ab ipſo antidota, veneni infectiones per oculorum loca propellerent magnum cum dolore vehementi viſus eſt perpeti detrimentum, adeò ut præ nimia doloris acrimonia, dum ei cum hominibus eſſet ſermo, ſoleret

ſoleret clauſis eis oculis colloqui, ex quo etiam Regis Cœci apud quoſdam vocabulum eſt ſortitus, quod ad vitæ uſque terminum ſuæ debiles eoſque lippientes habuerit oculos.

Prætendebat & hic Ioannes Ius in Regno Poloniæ, ideò, ut reor, quod poſtremi ejus Regni Reges Pater & Avus uxoris ſuæ Elizabethæ extitiſſent, undè & ſibi conſequenter ſucceſſionis titulo idem competere volebat: verum Poloni antiquæ ſuæ conſuetudini inhærentes non hunc fruſtra Ius hæreditarium prætexentem, ſed Vladiſlaum Lokleck in ſuum elegerunt Regem, qui forti admodum & conſtanti animo adhibitis militaribus copiis robore prævalidis tam Regni ſolium contra quoſcunque æmulos ſibi vendicavit, quam ad terram Pomerianam de manu occupantium eruendam egregiè laboravit. Ioannes è diverſo Bohemiæ Rex Magiſtri magni Pruſſiæ, & generalis ordinis militum Crucigerorum ſuaſu, itemq; ſuorum rogatu Bohemorũ permotus Regem ſe Poloniæ indigetabat, adeò ut in diplomatibus à ſe expeditis, utriuſque Regni titulos ordinariè adſcriberet, prout exemplo patet ex Archivis Monaſterii Munſterienſis prolato ſub his verbis: *Nos Ioannes Dei gratia Bohemiæ & Poloniæ Rex, Luxemburgenſis Comes, Marchioque Budiſſinenſis ac Dominus. Ad universorum notitiã volumus pervenire, Quod nos ſaluti animæ noſtræ, & animarum prædeceſſorum noſtrorum fœlicis recordationis providere cupientes, &c. In cujus rei teſtimonium, præſentes literas fieri, & ſigillo majeſtatis noſtræ juſſimus roborari: Datum in Camerico in die Beatæ Elizabeth, &c. Anno 1321.*

Nicolaus Lyranus, Bartholomæus Vrbinas, Petrus Aureolus, Guilielmus Occanus, Nicephorus Gregoras Scriptores Theologici florent.

Vladiſlaus à Polonis in Regem electus propoſitum ſuum proſequens, quibus poterat modis terræ Pomerianæ à Magno Magiſtro Pruſſiæ nec non ordine Cruciferorum prælibato occupatæ urgebat reſtitutionem fieri; verum illi non diſſimili animorũ conſtantia huic refragabantur, Ioannis Bohemiæ Regis opem & auxilium implorantes. Hujus porrò altercationis certior effectus Pontifex Maximus tum tempeſtatis Avinione reſidens, cupiens inter Chriſtiani nominis tantos Principes pacem, & concordiam potius quam lites, & diſſidia vigere, Epiſcopo Vladiſlavienſi vices ſuas commiſit, quatenus partibus ambabus diligenter auditis diſcuſſiſque utriuſque cauſæ meritis, ſecundum Iuris & æqui rationem, ſententia lata contro-

chioque Budiſsinenſis ac Dominus. Ad univerſorum notitiā volumus pervenire, Quod nos ſaluti animæ noſtræ, & animarum prædeceſſorum noſtrorum fœlicis recordationis providere cupientes, &c. In cujus rei teſtimonium, præſentes literas fieri, & ſigillo majeſtatis noſtræ juſsimus roborari: Datum in Camerico in die Beatæ Elizabeth, &c. Anno 1321.

Nicolaus Lyranus, Bartholomæus Vrbinas, Petrus Aureolus, Guilielmus Occanus, Nicephorus Gregoras Scriptores Theologici florent.

Vladiſlaus à Polonis in Regem electus propoſitum ſuum proſequens, quibus poterat modis terræ Pomerianæ à Magno Magiſtro Pruſſiæ nec non ordine Cruciferorum prælibato occupatæ urgebat reſtitutionem fieri: verum illi non diſſimili animorū conſtantia huic refragabantur, Ioannis Bohemię Regis opem & auxilium implorantes. Hujus porrò altercationis certior effectus Pontifex Maximus tum tempeſtatis Avinione reſidens, cupiens inter Chriſtiani nominis tantos Principes pacem, & concordiam potius quam lites, & diſſidia vigere, Epiſcopo Vladiſlavienſi vices ſuas commiſit, quatenus partibus ambabus diligenter auditis diſcuſſiſque utriuſque cauſæ meritis, ſecundum Iuris & æqui rationem, ſententia lata

contro-

controversiā ejusmodi dirimeret. Fecit ille ut ab Apostolico imperatum extiterat, præcipiens ex parte summi Pontificis, Prælatis, Principibus, & aliis Proceribus, subditisque Regni, quatenus ad Regis ab ipsis electi coronationem progrederentur, quod & in ipsis Sanctorum Fabiani & Sebastiani feriis est summo triumpho perfectum. Hinc multo magis indignatus Bohemiæ Rex, cum electorum militum robusta manu, ac magno Prussiæ Magistro in unum coacta, castrū Dobzinense obsedit, quod in brevi adeò machinarum projectionibus quassavit, ut in ejus illud compelleret potestatem. Exindè totam terram Dobzinensem in Magni Magistri Prussiæ itidem adegit transire possessionem. Hac deinde obtenta victoria Plocensem civitatem obsidione cinxit, Mozaviam spoliis & incendiis vexavit, unde Dux Mozaviæ ejus vires & atrocitatem expavescens, supplex sese ilicò in ejus dedidit arbitrium.

Rex Bohemiæ posthæc nonnihil à belli tumultibus sese subduxit, & aliquantulū temporis VVratislaviæ quiete transegit. Magnus verò Prussiæ Magister cum suis cruciatis bellandi propositum prosequens indefessè urbes plurimas Regi Polonorum vi abstulit, nec non castra quædam diruit, Monasteria

steria item & Ecclesias expilans, calices, cruces, alias imagines, ornamenta sacra, & Reliquias sanctorum sacrilegè nīmis est prædatus. Rex Poloniæ Vladislaus cum ingenti bellatorum exercitu hosti regnum depopulanti appropinquans, in eum inpavido corde irruit, & dum ille insigniter itidem suas se defendendo partes obiret, cedentibus tandem Crucigeris & terga vertentibus, Rex campum obtinuit; atque in eo conflictu quadraginta circiter hominum millia corruisse inventum est.

Ioannes Bohemiæ Rex tanta Prutenorum cæde audita, mora omni seposita, undequaque collectis armatorum copiis civitatem Posnaniensem ditionis Polonicæ obsedit, quo paulò post Vladislao Rege comparente cum exercitu etiam prævalido Bohemus ipse re infecta discessit, quem Polonus celeri gressu à tergo insequens, ex hostium phalange ad quingentos pedites prostravit, & captas quasdem machinas ædificiis diruendis aptas, abduxit.

Anno Christianorum millesimo, trecentesimo, trigesimo tertio Poloniæ Rex Vladislaus Cracoviæ in fata concessit, relicto filio Cazimiro, hunc Regni ejus Prælati, & Proceres in patris locum delegerunt, atque in ejus constituerunt solio eodem anno, cum

ſteria item & Eccleſias expilans, calices, cruces, alias imagines, ornamenta ſacra, & Reliquias ſanctorum ſacrilegè nimis eſt prædatus. Rex Poloniæ Vladiſlaus cum ingenti bellatorum exercitu hoſti regnum depopulanti appropinquans, in eum inpavido corde irruit, & dum ille inſigniter itidem ſuas ſe defendendo partes obiret, cedentibus tandem Crucigeris & terga vertentibus, Rex campum obtinuit; atque in eo conflictu quadraginta circiter hominum millia corruiſſe inventum eſt.

Ioannes Bohemiæ Rex tanta Prutenorum cæde audita, mora omni ſepoſita, undequaque collectis armatorum copiis civitatem Poſnanienſem ditionis *Polonicæ obſedit*, quo paulò poſt Vladiſlao Rege comparente cum exercitu etiam prævalido Bohemus ipſe re infecta diſceſſit, quem Polonus celeri greſſu à tergo inſequens, ex hoſtium phalange ad quingentos pedites proſtravit, & captas quaſdem machinas ædificiis diruendis aptas, abduxit.

Anno Chriſtianorum milleſimo, trecenteſimo, trigeſimo tertio Poloniæ Rex Vladiſlaus Cracoviæ in fata conceſſit, relicto filio Cazimiro, hunc Regni ejus Prælati, & Proceres in patris locum delegerunt, atque in ejus conſtituerunt ſolio eodem anno, cum

ngratulatione & applau-
e regio redimitum.
ohemiæ Rex interea abſ-
ſſione Poloniæ Regnum
infeſtabat, quod ad ſe
pectare opinaretur. Ca-
, pacis quam belli aman-
æ Regi pacandi ejus ani-
carum auri viginti millia,
i graſſatione ceſſaret, ob-
Ioannes acceptis ab om-
npetitione, & circa Re-
æ prætenſione abſtinere

Cruciferi pacem inter
es coaluiſſe inaudientes,
iribus, & ipſi in gratiam
redire volentes, ea quæ
ctare cœperunt, & Rege
annuente controverſię
m in arbitrium Hun-
iæ Regum rejecerunt.
rbitros à partibus inſti-
ura deliberatione inter
bitrati ſunt, ut Polono
iæ & Dobzzinenſis a-
itio autem Pomeriana
ordini appropriaretur;
odi Regum arbitratio
nitatem perpetuis ob-
bus, literas ſuis ſigil-
tenore ediderunt, è
erba tranſumpſimus.

Nos

Nos Carolus, & Ioannes Dei gratia Hungariæ & Bohemiæ Reges, perpetua memoria tenore præſentium notum facimus univerſis. Cum magnificus Princeps Dominus Cazimirus eadem gratia Rex Poloniæ ex una, & Religioſi viri Generalis, Præceptores, & fratres univerſi Ordinis Cruciferorum de domo Teutonica, parte ab altera, ſuper Terris & diſtrictibus Culmenſis, Dobzinenſis, Cujaniæ, Pomeraniæ, & Thornienſis &c. Datum & Actum Viſſegrad. in Hungaria. Anno Domini milleſimo trecenteſimo, trigeſimo quinto. His itaque expletis Reges ipſi, cum Magiſtris & ordine Cruciferorum militum in pace mutua vixerunt.

Inita igitur & ſacramentis firmata pace inter Reges præfatos Ioannes Bohemiæ Rex quo regno ſuo ſecuritatem in poſterum ab hoſtibus majorem afferret, Caſtrum quoddam Mielicq nuncupatum natura loci munitiſſimum & quaſi inexpugnabile, ad Epiſcopatus VVratiſlavienſis Iura pertinens, ſuum fieri via permutationis ab Epiſcopo Nankero inſtanter petiit. At Epiſcopus nullis precibus, monitis aut terroribus flecti potuit, ut Regis ad mitteret petitionē, aſſerens ſeſe nunquam aſſenſurum, ut adeò præſtans & inſigne, antiquumque Eccleſiæ ſu membrum à ſuo divelleretur Dom nio. Iſthac Epiſcopi negatione, ira gr

Nos Carolus, & Ioannes Dei gratia Hungariæ & Bohemiæ Reges, perpetuæ memoriæ tenore præsentium notum facimus universis. Cum magnificus Princeps Dominus Cazimirus eadem gratia Rex Poloniæ ex una, & Religiosi viri Generalis, Præceptores, & fratres universi Ordinis Cruciferorum de domo Teutonica, parte ab altera, super Terris & districtibus Culmensis, Dobzinensis, Cuyaniæ, Pomeraniæ, & Thormiensis &c. Datum & Actum Vissegrad. in Hungaria. Anno Domini millesimo trecentesimo, trigesimo quinto. His itaque expletis Reges ipsi, cum Magistris & ordine Cruciferorum militum in pace mutua vixerunt.

Inita igitur & sacramentis firmata pace inter Reges præfatos Ioannes Bohemiæ Rex quo regno suo securitatem in posterum ab hostibus majorem afferret, Castrum quoddam Mieliczq nuncupatum natura loci munitissimum & quasi inexpugnabile, ad Episcopatus VVratislaviensis Iura pertinens, suum fieri via permutationis ab Episcopo Nankero instanter petiit. At Episcopus nullis precibus, monitis aut terroribus flecti potuit, ut Regis admitteret petitionẽ, asserens sese nunquam assensurum, ut adeò præstans & insigne, antiquumque Ecclesiæ suæ membrum à suo divelleretur Dominio. Isthac Episcopi negatione, ira gra-

, quod exiſtimaret id
bi debita obſervantia
propoſuit animo, ut
, nec pretio obtinere
, & armis extorquere
mora, exercitu nam-
nato, caſtrum obſide-
ccepit. Et quia pluri-
s in eo ſuperando ſe-
verebatur, ejus Capi-
n ſuas partes flectere
m enim ſciret homi-
erquam deditum, la-
ni optimi ad eum do-
ogans ſimul & com-
us in Caſtri deditio-
. Capitaneus dono,
ſſis Regis illectus, ter-
omo erat pavido ſa-
uſſus, Caſtrum ſtatim
rodidit detinendum.
us Epiſcopus pluri-
, à Rege in primis ſi-
ſiæ ſuæ factum reſti-
it. Rex ejuſmodi ver-
planè Epiſcopo mo-
t. Epiſcopus itaque
ualem ſibi concredi-
ens, dioceſim totam
ſub Interdicto po-
, divina inibi officia
ns, verum Rex in
ns Caſtrum Mielicq
reſtituere

reſtituere abnegat, unde Epiſcopus majori pro Eccleſiaſticis Juribus defendendis accenſus zelo, aſſumptis ſecum quatuor Canonicis Ioannem Regem tum apud Minores in Monaſterio Sancti Iacobi agentem intrepidè adiit, circa collum ſtola indutus, & cruce ad pectus appenſo, eumque ejuſmodi eſt affatus ſermonibus: Moneo te Domine Rex, primo & ſecundo, item tertio & peremptoriè, ut Caſtrum Mielicq à te violenter occupatum mihi & meæ Eccleſiæ reddas: ut verò, quemadmodum prius, hanc Epiſcopi petitionem ſurda prætermitteret aure, ſubjunxit Epiſcopus: Auctoritate Dei omnipotentis te velut Eccleſiaſticorum bonorum invaſorem excommunico, & excommunicatum denuncio, In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Ioannes Rex, Epiſcopum in his adeò cordatum, & inpavidum cernens ipſe miratus, imò & graviter iratus, Quan temerarius (inquit) eſt iſte POP. (quo ea lingua ſacerdotem denotat.) Quærit profectò ſui interfectorem; at e ab ejus me continebo ſanguine, c verò à Rege Epiſcopus recederet, cideret autē in VVratiſlavienſes c ſules, ab his reprehenſus eſt acri quod Regem alia potius mitiori ad ſaniorem mentem reducere

 ſtudi

reſtituere abnegat, unde Epiſcopus majori pro Eccleſiaſticis Iuribus defendendis accenſus zelo, aſſumptis ſecum quatuor Canonicis Ioannem Regem tum apud Minores in Monaſterio Sancti Iacobi agentem intrepidè adiit, circa collum ſtola indutus, & cruce ad pectus appenſo, eumque ejuſmodi eſt affatus ſermonibus: Moneo te Domine Rex, primo & ſecundo, item tertio & peremptoriè, ut Caſtrum Mielicq à te violenter occupatum mihi & meæ Eccleſiæ reddas: ut verò, quemadmodum prius, hanc Epiſcopi petitionem ſurda prætermitteret aure, ſubjunxit Epiſcopus: Auctoritate Dei omnipotentis te velut Eccleſiaſticorum bonorum invaſorem *excommunico*, & *excommunicatum* denuncio, In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Ioannes Rex, Epiſcopum in his adeò cordatum, & inpavidum cernens ipſe miratus, imò & graviter iratus, Quam temerarius (inquit) eſt iſte POP. (quod ea lingua ſacerdotem denotat.) Quærit profecto ſui interfectorem; aſt ego ab ejus me continebo ſanguine, cum verò à Rege Epiſcopus recederet, incideret autē in VVratiſlavienſes conſules, ab his reprehenſus eſt acriter, quod Regem alia potius mitiori via ad ſaniorem mentem reducere non

ous ille respondens. Et
;) Consiliarios & Co-
eadem Dei omnipo-
te, qua & Regem ve-
inico, & vos excom-
erno. Sed neque Rex
ur Regem, cum potius
lus sit. Hæc Episcopi
m delata in tantum e-
t animum, ut vix sui
ompos, ideò videlicet
iratus, quod Regulus
quod Ecclesiæ censu-
s. Missis igitur Rex
nariis aulæ suæ viris ad
copum, eum interro-
ob causam Reguli no-
ns Regem esse negas-
Episcopus, minimè
pollere eum qui in
tropolitanum Præsu-
& qui pro inaugura-
& pretio aliunde sibi
oiscopos, quod cum
nullus ignoret, me-
sed per diminutivum
oellandum Regulum
stianorum Regū mi-
t. Magis quam antè
atus Rex, & ratio-
d se expendens pro-
successu temporis E-
Regni aliquis in Ar-
chiepis-

chiepiscopatum provehi curaret, prout postea de Ecclesia Pragensi per Clementis ejus nominis sexti Pontificis auctoritatem factum esse constat.

Cum enim Ludovicum quartum Bavarum Imperatorem ideò, quod Mediolanenses, & sectas, seditiososq; contra Ecclesiæ tranquillitatem tutatus esset; idem Pontifex censura anathematis innodasset, à quo vinculo liberari cum frustra petiisset, & idcircò novis se Imperator criminibus implicaret; Ioannes Carinthiæ Ducem inter cætera, fortunis omnibus præter jus fasque exuendo, uxoremque unam illi per vim ademptam filio suo nuptui tradendo; ipse Imperator cum annos jam triginta duos imperasset exauctoratus est. Cum verò Maguntinus Archipræsul Augusti partibus adhæresceret, cum excommunicatione majori à Pontifice est percussus, tum etiam honoribus omnibus privatus, subrogato ejus in locum alio per sedem Apostolicam.

Ex hisce itaque Pontificis, Cæsarisq; gravissimis dissidiis Ioannes noster Bohemiæ Rex sese in summi Christi Vicarii amicitiam insinuandi occasionem capessens; eum eam ob rem cum filio suo majore Carolo accessit Avinion agentem. Tum exhibita sedi Apostoc... cæ debita reverentia, osculatisq; ...

 mili

chiepiſcopatum provehi curaret, prout poſtea de Eccleſia Pragenſi per Clementis ejus nominis ſexti Pontificis auctoritatem factum eſſe conſtat.

Cum enim Ludovicum quartum Bavarum Imperatorem ideò, quod Mediolanenſes, & ſectas, ſeditioſoſq; contra Eccleſiæ tranquillitatem tutatus eſſet; idem Pontifex cenſura anathematis innodaſſet, à quo vinculo liberari cum fruſtra petiiſſet, & idcircò novis ſe Imperator criminibus implicaret; Ioannes Carinthiæ Ducem inter cætera, fortunis omnibus præter jus faſque exuendo, uxoremque unam illi per vim ademptam filio ſuo nuptui tradendo; ipſe Imperator cum annos jam triginta duos imperaſſet exauctoratus eſt. Cum verò Moguntinus Archipræſul Auguſti partibus adhæreſceret, cum excommunicatione majori à Pontifice eſt percuſſus, tum etiam honoribus omnibus privatus, ſubrogato ejus in locum alio per ſedem Apoſtolicam.

Ex hiſce itaque Pontificis, Cæſariſq; graviſſimis diſſidiis Ioannes noſter Bohemiæ Rex ſeſe in ſummi Chriſti Vicarii amicitiam inſinuandi occaſionem capeſſens; eum eam ob rem cum filio ſuo majore Carolo acceſſit Avinione agentem. Tum exhibita ſedi Apoſtolicæ debita reverentia, oſculatiſq; hu-

militer successoris Divi Petri pedibus, Cæsaris Ludovici necnon Maguntini Archiepiscopi causam tanquam juri repugnantem incessere gravi sermone cæpit, & tum deniq; instanter efflagitavit, quatenus Ecclesia Pragensis eatenus tantum simplicis Episcopatus titulo decorata, ab omni Metropolitana Maguntinensis sedis jurisdictione eximeretur & ipsa in Archiepiscopalem sublimaretur sedem, cujus deinceps Archipræsuli Ius Regum Bohemiæ inungendi & consecrandi competeret, quod antea ad prælibati Maguntini munus exspectaverat. Accesserunt ad hæc apud Apostolicum Præsulem preces Regis Franciæ Philippi ferventes. Quibus omnibus & eorum rationibus perpensis, cum consilio & consensu Senatus Cardinalitii, de plenitudine potestatis Apostolicæ Clemens Sextus Romanus Pontifex, Regum præfatorum precibus inclinatus, Pragensem Ecclesiā uti erat postulatum, in Archiepiscopalem Cathedram evexit: eique Episcopatum Olonumcensem in suffraganeum assignavit; prætereaque Abbatiam Luthomisliensem ordinis Divi Benedicti novo Archiepiscopatui incorporavit. Eximens hunc denique ab omni Maguntinensis Metropolæa potestate, in ipsum insuper Iura inaugurandorum Regum

Bohemiæ transtulit. Quæ omnia ritu solemni peracta fuerunt.

Nankerus Episcopus (ut, undè paululum digressus sum, denuò me convertam) assumpto secum suo Clero post tridui exactionem, Ecclesia sua Episcopali relicta, in alium secessit locum, omnes interea Ecclesias obserari mandans, quo Ecclesiasticum interdictum per eum indictum realiter & de facto servaretur in confusionem eorum qui ejus censuræ interminandæ causam præbuerant. At Rex discessu Episcopi ac Cleri nihilo effectus mansuetior, ipsas Ecclesias interdicto submissas reserari fecit, procurans ut levioris notæ quidam sacerdotes inibi sacris operarentur, cogens vi immissa invitos cives ejusmodi officio interesse. Indè Episcopus fulmen excommunicationis in Regem & asseclas innovavit aggravavitque; ex quo Rex furore quodā percitus in Episcopi & Canonicorum, idemque Monasteriorum & aliarum Ecclesiarum fortunas, & bona temporalia involavit, eaque ingenti temeritate per suos milites diripuit. Interea Episcopus Nankerus vitam cum morte commutavit in Nissea urbe, anno millesimo trecētesimo quadragesimo primo, atque in ejus locum Cathedrales Canonici de more electionem celebrantes Pizeczlaum

Bohemiæ transtulit. Quæ omnia ritu solemni peracta fuerunt.

Nankerus Episcopus (ut, undè paululum digressus sum, denuò me convertam) assumpto secum suo Clero post tridui exactionem, Ecclesia sua Episcopali relicta, in alium secessit locum, omnes interea Ecclesias obserari mandans, quo Ecclesiasticum interdictum per eum indictum realiter & de facto servaretur in confusionem eorum qui ejus censuræ interminandæ causam præbuerant. At Rex discessu Episcopi ac Cleri nihilo effectus mansuetior, ipsas Ecclesias interdicto submissas reserari fecit, procurans ut levioris notæ quidam sacerdotes inibi sacris operarentur, cogens vi immissa invitos cives ejusmodi officio interesse. Indè Episcopus fulmen excommunicationis in Regem & asseclas innovavit aggravavitque; ex quo Rex furore quodã percitus in Episcopi & Canonicorum, idemque Monasteriorum & aliarum Ecclesiarum fortunas, & bona temporalia involavit, eaque ingenti temeritate per suos milites diripuit. Interea Episcopus Nankerus vitam cum morte commutavit in Nissea urbe, anno millesimo trecẽtesimo quadragesimo primo, atque in ejus locum Cathedrales Canonici de more electionem celebrantes Pizeczlaum

ſubrogarunt, qui à Pontifice maximo confirmatione, & ejuſdem juſſu conſecratione Epiſcopali haud difficulter obtento, Niſſeam urbem petiit: Quo loci Ioannes Rex filium ſuum Carolum Moraviæ Marchionem deſtinans, ei de nova inauguratione congratulari fecit: ubi & pace ſub æquis conditionibus per eos compoſita, Epiſcopus interdictum à prædeceſſore poſitum ſuſtulit, & pœnitentia condigna injuncta ab excommunicationis vinculo pœnitentes abſolvit, ac denique ad ſedem ſuam Vratiſlaviam, comitante ſe Carolo, regreſſus eſt.

Sub idem tempus Ioannes Rex Regni ſui amplificandi cupidus ac ſtudioſus, Imperiale oppidum Eger à Ludovico Cęſare quadraginta marcorum millibus hypothecæ titulo accepit. Quo facto illud idem in hæc uſq; tempora Regum Bohemiæ poteſtati ſubjacuit.

Patravit inſuper egregia admodum, eademque numero ſat frequenti opera Ioannes Bohemiæ Rex, quæ omnia huc conferre ſi anniterer, nimium hoc meum excreſceret Chronicum, quod tamen contractum malui & in compendium redactum in publicum emittere.

Huic ex uxore prodierunt filii duo, unicaque filia. Illi Carolus in Regno

3 ſucceſſor

ſucceſſor Romanorum In
annes Moraviæ Marchio,
tha de Tyrole uxor accidi
docum & Procopium fili
hæc denique Bonna Regis
annis conjunx, quæ & ip
ſam utriuſque ſexus ſol
marito peperit.

Porrò dum annus Chriſt
retur Elyzabetha Ioannis
thoralis præfatę naturę de
vit, quæ res non exiguu
Regi, filiiſq; ejus ac inſ
pulo attulit; hoc poſt al
poris luctu remiſſo, Ph
rum Regis ſuaſu, Ioan
mię Beatricem Ludovic
cis filiam in conjugem
cujus geniali thalamo
VVenceſlaus Comes Lu

Ioannes trigeſimum
num jam in Regni ſ
miniſtratione agens à
tacto Rege Philippo a
in auxilium vocatus
atroci filio ſuo majori
ercitu Bohemico ſat
patus; data autem
pugna longè cruen
gè ab *Abbeville* ſexto
D.Rufo ſacro, in qua
bentibus, Philippus
una cum ſibi adſiſten

successor Romanorum Imperator, Ioannes Moraviæ Marchio, cui Margaretha de Tyrole uxor accidit, ex qua Iudocum & Procopium filios suscepit; hæc denique Bonna Regis Franciæ Ioannis conjunx, quæ & ipsa numerosam utriusque sexus sobolem Regi marito peperit.

Porrò dum annus Christi 1333. ageretur Elyzabetha Ioannis Regis conthoralis præfatę naturę debitum exolvit, quæ res non exiguum mœrorem Regi, filiisq; ejus ac insimul toti populo attulit; hoc post aliquantū temporis luctu remisso, Philippi Francorum Regis suasu, Ioannes Rex Bohemię Beatricem Ludovici Borbonii Ducis filiam in conjugem sibi sociavit, ex cujus geniali thalamo prosiliit filius VVenceslaus Comes Luxemburgensis.

Ioannes trigesimum quintum annum jam in Regni sui Bohemici administratione agens à Francorum prętacto Rege Philippo adversus Anglos, in auxilium vocatus sese immiscuit atroci filio suo majori Carolo cum exercitu Bohemico sat frequenti constipatus; data autem inter partes fuit pugna longè cruentissima non longè ab *Abbeville* sexto calen. Septemb. D. Rufo sacro, in qua Francis succumbentibus, Philippus quidem ipse Rex una cum sibi adsistente Navarræo Re-

ge,

ge, atq; Carolo Ioannis Bohemiæ Regis filio fuga arrepta sibi con'uluêre; Rex verò Ioannes Bohemiæ unà cum Lotharingiæ Duce, nec non Flandriæ Comite casu funesto occubuêre, atq; præterea eodem in prælio ad viginti millia hominum cæsa fuisse memorantur. postridie ut Angliæ Rex de parta adeò celebri victoria gloriabundus in loco pugnæ cæsorum corpora perlustratum isset, dum inter cætera cadaver Regis Bohemiæ jacere conspiceret exanime, inquit: Mi affinis tibi merito lectus debebatur ab isto longè diversus, ferenda tamẽ est fortuna. Corpus idem exindè loculis impositum nec non aromatibus decenter conditum, transferri fecit honorificè Rex Angliæ Luxemburgum, quatenus, uti vivens præordinaverat, in monasterio Benedictinorum juxta posito collatum, communem cum reliquo humano genere præstolaretur resurrectionem. Processerunt autem ei obviam Abbas ejus cœnobii cum Monachis, congradiente tum ex Magnatibus, tum ex vulgo omnis ætatis & sexus turba plurima: & ad locum destinatum ritu solemni deportarunt. Ioanne igitur Bohemiæ Rege vita defuncto, Carolus ejus ex Elyzabetha primogenitus filius fasces paternos adiit, resignato in Ioannem fratrem suum germanum

manum Moravię Marchionatu: VVenceslaus verò ex altero connubio Regis dicti filius, prout ipse vivens instituerat, Comitatum obtinuit Luxemburgensem.

Exortum est id temporis in Germania schisma maximum, huic originem dedisse ferunt quod Ludovicus Cæsar ante coronationem Imperiali auctoritate usus fuisset in Italia, quod Apostolicæ sedi præjudicare censens summus Pontifex Ioannes ejus nomine vicesimus secundus, in Cæsarem excommunicationis fulmen emisit, eoq; ob hoc & ejus alia facta exauctorato quantumvis veniam deprecante, alium subrogari jussit.

Hinc Comitia ordinum Imperii celebrari in Luxemburgensi oppido decretum est, quo ex condicto comparentes Archiepiscopi Maguntinensis, Coloniensis, Treverensis, Rex item Bohemiæ & Saxoniæ Dux, sacri Romani Imperii Electores Principes, Carolum Ioannis Bohemiæ Regis filium in Cæsarem, fatis consentientibus, elegerunt.

Carolus itaque hic, idemque Bohemiæ Rex Ioannis filius & Henrici octavi Imperatoris nepos, Imperator 11. Iulii 1346 ejus nominis quartus institutus est superstite adhuc Ludovico Bavaro. At vero cum id factum quibusdam

buſdam minimè probaretur mortuo ſequenti anno Ludovico dicti ſunt à Moguntino Palatino, Brandeburgenſi, & Saxone Electoribus ex ordine Cæſares, Eduardus Anglus Rex, Fredericus Myſinus Comes, & his recuſantibus Guntherus Nigrocaſtrinus. Carolus quo Ius in Imperio ad ſe delatum modis quibus poſſet optimis tueretur, Romam ſtatim ab ipſa ſui electione profectus, confirmationem à ſede Apoſtolica expeditam obtinuit, indeque citra moram reverſus, cum Colonienſes Aquiſgranenſeſque comperiſſet partibus ſuis minimè faventes Bonnam concedens, ibidem inſigniis Imperii eſt redimitus. Defuncto autem Ludovico Cæſare, Carolus Cæſar è Bohemia ſolvens, feſtinato Ratisbonam venit, ubi cum ultrò in Auguſtum receptus foret Nuremburgam petens, idem ab ejus incolis non difficilius obtinuit.

Cum verò Guntherus Nigrocaſtrinus ſive Schvvartzenburgenſis Comes electionem de ſe ad Imperii faſtigium celebratam conarentur tanquam legitimam defendere, Carolus ex adverſo, viros undequaque congregans, forti animo illi reſiſtere ſatagebat. Cœpit autem non longo poſt tempore Guntherus morbo laborare periculoſo, quam hauſto veneno acquiſiſſe dicebatur.

batur. Dum igitur cum adversa valetudine sic conflictaretur, pacem cum competitore Imperii ejusmodi iniit, ut abdicato omni quod in eo prætendebat Iure, pensionem pecuniæ certam, quoad vita hac frueretur, perciperet, quæ eo sexto exinde mense in fata concedente finem similiter obtinuit.

Hæc, ubi eum cepêre exitum, Carolus citissimè Francofordiam versus iter apparatu constipatus admodum celebri in Cæsarem à loci inquilinis est acceptus. In Italiam inde post mensium paucorum curriculum profectus, Romæ ipso sacro Dominicæ Resurrectionis die, anno millesimo, trecentesimo, quinquagesimo quinto à duobus Illustrissimis Cardinalibus, mandante Innocentio sexto Pontifice, diademate Imperii est insignitus; statimque Germaniam repetens munus sibi incumbens egregiè obivit. uxores idem Imperator successivè quatuor habuit, Elyzabetham nimirum Ducissam Stetinensem, Agnetem Rudolphi Comitis Palatini Rheni filiam, Blancham Philippi Regis Francorum sororem, & Ioannam, ex istarum tribus prioribus nullas omnino sustulit proles; at ex quarta VVenceslaus, Sigismundus, Ioannes Gorlitius, & Anna Regis Angliæ uxor sibi progeniti sunt. Horum primogenitum

mogenitum VVenceslaum Regis Romanorum titulo tertio ante obitum suum anno curavit insigniri, idq; non potens persuasione ulla ab Imperii Electoribus assequi, muneribus amplis, utpote singulis eorum centum millibus aureorum promissis flectere valuit, summam verò hanc ingentē cum solvendo de præsenti non esset, publica Romani Imperii vectigalia eis obligavit, damnum hoc profectò irrecuperabile extitit Imperio, quod deinceps caput in altum eam ob causam attollere vix potuit.

Sancta Birgitta regiis natalibus ex Suedia illustris, vitam illustriorem ex virtutum divinarum studio effecit, ordinem Birgittarum instituit, miraculorum prophetiæ, revelationumque gratia à Christo castimoniæ amatore dotata. S. item Catharina Senensis, admirabilis sanctitatis virgo repudiatis hujus vitæ illecebris, continentia, victus parsimonia, & in proximum charitate plurimum excelluit.

Annis aliquot priusquam fato solveretur Carolus Cæsar, Christi videlicet incarnati anno millesimo, trecentesimo, septuagesimo tertio, Marchiam Brandemburgensem bis centum coronatorum millibus à Bavariæ Duce coemptam, Dominiis suis hæreditariis adjecit. Cum verò medietatem

tem tantum pretii iſtiuſmodi in promptu exſolviſſet; pro altera Regni ſui oppida nonnulla oppignoravit: Lauffen videlicet, Herßpruck/ Richenfeldt/ Sultzpach/ Roſenburgh/ Hirſaw/ hac lege, ut altera medietate pretii ex integro eidem perſoluta redirent, eo ipſo oppida ejuſmodi in poſſeſſionem primævi ſui Domini Bohemiæ Regis. Quod quidem utrum in hunc uſque diem acciderit, mihi minime conſtat. Marchia porrò ſic ut præfertur per Carolum Cæſarem conquiſita, eo mortuo, in Ioannem ſecundo natum filium ſuum devoluta eſt, à quo deinde ad filios ejus Procopium & Iodocum pervenit; qui fratres inter ſe ſummè ſemper diſſidentes extiterunt. Sed cum tandem Iodocus ipſe à fratre Procopio foret ſupra quam ulterius ſuſtinere valeret bello laceſſitus, neceſſitate urgente Ius ſuum in Marchionatu, mediante pecuniæ certa ſumma, in Guillelmum Myſniæ Marchionem reſignavit, ſucceſſu tandem temporis dictis duobus fratribus ex hac vita evocatis, Sigiſmundus Imperator Caroli quarti filius Marchiam iſtiuſmodi ſibi jure proximitatis vendicavit, ac denique in Concilio Conſtantienſi Burggravio Nuremburgenſi in feudũ perpetuum ſolemni ritu conſignavit.

Fuit inſuper Carolus Imperator

ſumma laude dignus Princeps, Imperiumque omnium calculo egregiè moderatus eſt, & Comitiis actis, pulcherrimas Imperio leges dedit, quæ aurea bulla ab ipſo edita continentur. Nec illud de ipſo reticendum venit, quod ſingulari admodum affectu, miraque animi devotione erga Chriſtianam Religionem extiterit, quod vel hoc argumento perſpicuum evadere poteſt, quod frequens fuerit admodum in ſacrorum locorum per diverſas Chriſtiani orbis partes devota viſitatione. obibat autem potiſſimum libentius eas Eccleſias ubi Sanctorum Reliquias cultu religioſiori honorari intelligebat; particulas ex ſingulis dum commodè fieri poſſet ſibi donari efflagitans. undè voti in hoc compos effectus, plurimas undequaque Sacras Reliquias in Bohemiam tranſtulit, loculis ex auro, argento, & gemmis pretioſis affabrè factis recondidit, & inde ſuam novam Archiepiſcopalem Pragenſem Eccleſiam mirè condecoravit.

VVenceſlaus porro Imperatoris Caroli quarti ex parte patris frater, Comitatus Luxemburgenſis, prout eorum pater Ioannes Rex Bohemiæ prçordinaverat, Comes & Dominus deſignatus eſt, & ætatis factus ad id idoneæ, cum Ioanna Ducis Brabantiæ filia

matrimoniale iniit fœdus, accipiens dotis nomine agri Brabantini proprietatem. Ejus autem mater Beatrix Borboniæ Ducis filia, vidualem agebat vitam Dampvillerii; ipse verò ut Brabantini Ducatus fasces uxorio jure obtinuisset, per se ipsum tanquam nobile, amplum & potens Dominium idem administrare voluit, atque cum eam ob causam à Comitatu suo Luxemburgensi abesse compelleretur, ejus gubernaculum vice sua obeundum Domino in Rodenmacher perquam nobili suo Vasallo commisit.

Hujus VVencessai Brabantiæ Ducis tempore, res Bruxellæ accidit horrore plena; Iudæus etenim quidam Ionathas nomine, Christiani nominis impiissimus hostis, ut animi sui malitiam adversus Christum Dominum aliquo usq; explere posset, à Sacerdote Christiano data pecunia pixidem, ubi aliquot sacræ Dominici corporis hostiæ continebantur, sibi tradi obtinuit. Cum verò sacrosanctum hoc sacramentum domi suæ donec opportunitas, concepto sacrilegio committendo apta adveniret, impius homo, teneret, justa animadversione à Deo percussus, & in iisdem suis ædibus gladio confossus infaustam animam ad tartara misit. Vxor ejus perverso æque in Christum animo mulier, mari-

to jam mortuo pixidem Abrahamo suo filio tradidit, qui paterni conscius sceleratissimi propositi, illud ipse in effectum deducere constituit. Adventante igitur tempore quo in Ecclesia Christi Domini sacratissima passio devotè recolitur, ipso die Parasceves convocatis aliquot ejusdem nationis, & consimilis affectus hominibus, Corpus Dominicum in medium protulit, cumque illud ad satietatem usque manibus sacrilegis irreligiosissime attractassent, & ore blasphemo ingenti contumelia affecissent, cultris insuper & pugionibus (ô scelus inauditum) furenti odio percusserunt, perfoderunt, perforarunt, undè ilicò divina ordinatione ingens miraculum obtigit, sanguine tanto ex confossionibus istis emanante ut in rivulum exiguum pavimentum domus madidantem excresceret. Miraculum isthoc ut mulier Iudæa prælibata vidit, & expendit, de proditione Corporis Dominici filio facta, pœnitens, ad Pastorem loco vicinum cum clamosa voce accurrit, & sacrilegium suum propalans, Iudaismumque abjurans, Christo, cujus magnalia viderat, nomen dare se velle edixit, quæ res tum Pastori ipsi, tum aliis Christianis qui catervatim ad rem ejusmodi certius intelligendam confluebant, magnam attulit cum

cum admiratione lætitiam, unde & Christo Domino, qui hoc etiam signo divinitus ostenso, veritatem sacrosancti istius mysterii contestari, itemque Iudaicam perfidiam ab omnibus execrandam demonstrare, satis evidenter dignatus fuerit, gratias egêre. Dux VVenceslaus in eadem tum urbe cum uxore & familia constitutus, sacrilegium Iudæorum Divinumque miraculum inaudiens, statim Iudæos criminis reos, conjunctos ad unum omnes igne cremari fecit; ad locum autem, ubi Corpus Christi tantis fuerat contumeliis affectum, ipse & uxor cum tota aula imò & tota urbe advenientes, summa cum animi compunctione Deum sub sacramento latitantem adorarunt, ac denique sacerdotum ministerio ad Divæ Gudulæ virginis magnificum templum deportari fecerunt, ubi in hunc usque diem perseverantibus visibiliter puncturis in tribus hostiis juxta se invicem decenter in monstrantia (quam dicunt) pretiosa repositis, Christus Dominus in sacramento verè, & realiter præsens à populo ingenti frequentia, & devotione adoratur, & muneribus infinitis quotidie oblatis honoratur, quod & à me non semel, sed sæpe pro modulo factitatum esse gaudeo, Deoque gratias ago.

Carolus Imperator eodem fermè tempore ex Italia (in quam nimirum ſecundo penetraverat, & Pontifici maximo tanquam Romanæ Eccleſiæ ex officio tutor, defenſor, & aſſertor, rebelles civitates fortiter expugnatas reſtituerat) ſolvens Germaniam repetiit, ac deinde in Metenſi civitate maximum ordinum Imperii conventum celebravit. Huc autem præſentes comparuerunt præter illos ſeptem ſacri Imperii Electores, Principes reliqui ejuſdem Imperii penè omnes, Tuſculanus item Cardinalis Senenſis, & Rotomagenſis Archiepiſcopi: Delphinus Dux Vienenſis, Dux Britanniç, Comes Pictaviæ, cum multis aliis notæ primariæ viris, in his autem Comitiis Guillelmus ex Marchione Iuliacenſis Dux eſt creatus, Cæſaris etiam frater VVenceſlaus Brabantiæ Dux & Comes, in Ducem primum Luxemburgenſem eſt ſublimatus. Barrenſis verò Comes Pontionis, Montionis Marchio effectus eſt. Inde Cæſar Avenionem profectus & ibidem cum ſummo Pontifice aliquamdiu commoratus, plurima à ſe in Reipublicæ utilitatem conſtituta Chriſti Vicarii calculo obtinuit confirmari.

Anno Domini milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo octavo, Carolus Imperator VVenceſlao filio ſuo Romanorum

manorum Rege, & amplissimo procerum Comitatu constipatus, profectionem Brabantiam versus VVenceslai Ducis fratris sui invisendi gratia, instituit, à quo Bruxellæ pro utriusq; sublimitatis exigentia exceptus fuit, & habitus perquam honorificentissimè. Inde Hannoniam peragrando Cameracum cum apparatu eodem venit; atque tum in ejus occursum Franciæ Rex Carolus Quintus quamplures suos misit proceres, ut eum debito cum honore statim Parisios adducerent. Quo jam cum suis perductus Carolus quartus Cęsar Augustus à Rege Christianissimo Carolo quinto multa cum gratulatione susceptus est. in quam rem omnia illa accuratè observata sunt, quæ in tantorum Monarcharum mutua solent exhibitione servari. Hæsit porrò Carolus Cæsar apud Regem Galliæ Parisiis ad mensis Februarii finem usque, atque interea quantis sit cum suis amicitiæ, & denique munificentiæ officiis honoratus, operis nostri non est vel tenuiter enarrare: proficiscente tandem indè Principum & aliorum Regni Magnatum, & Nobilium catervam jussit Rex ad terminos usque Franciæ ductum præbere, suppeditatis toto itinere omnibus necessariis expensis, Regis Franciæ sumptibus. Vt verò Mou-

ſonum attigerunt Francos ipſos eo undè venerant cum gratiarum actione & ſalutatione Regi dicẽda redire permiſit. Et cum Luxemburgum veniſſet, inibique ad dies paucos moram traxiſſet, Imperator cum ſuo Comitatu in Bohemiam rediit, ubi anno eodem circa menſis Novembris initium, viam ingreſſus eſt univerſæ carnis, atque in ejus locum filius ejus natu maximus VVenceſlaus Bohemiæ Rex, & jam Romanorum Rex patris procuratione ab annis aliquot exiſtens, eſt ſuffectus: & viceſima ſexta Februarii milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi noni, in Comitiis Imperator eſt appellatus: de quo plerique ſcriptorum habent, quod dum non niſi otium ferè, & voluptates ſectaretur cum imperaſſet annos viginti unum, menſes quinque, dies viginti octo, à Principibus per conſenſum Pontificis abire Imperio coactus ſit, indeque in Bohemia adhuc per annos viginti regnavit.

Anno milleſimo, trecenteſimo, octuageſimo tertio in conceptionis Divæ Deiparæ pervigilio, VVenceſlaus primus Luxemburgenſis Dux & Brabantiæ Princeps optimus & Catholicus, prole nulla ſibi ſuperſtite (cum antea filius ejus Ioannes quondam Argentinenſis Epiſcopus, ac deinde Maguntinenſis Archiepiſcopus laudatiſ-

ſimus

ſimus humanis jam rebus eſſet exemptus) morte ſolutus nec non in Aureæ vallis Ciſterciẽſis ordinis præclaro Monaſterio ſepulturæ eſt traditus, cui ejuſmodi Epitaphium Gallico idiomate appoſuerunt, ut ſequitur.

Cy gyſt le treſexcellent & vaillant Prins VVencelaus dẽ Boheme Ducq de Luxembourg, Brabant, de Lembourg, de Lothier & Conte de Chiny, qui treſpaſſa L'an 1383. la nuict de Conception de noſtre Dame, prie pour luy que Dieu en a l'ame.

Hoc etiam eodem anno morte ſoluta eſt Beatrix Borbonia mater ejuſdem Dampvillerii. Mortis prædicti VVenceſlai Ducis cauſam conjiciunt quidam in hoc, quod cum Bruxellæ ſeſe in luſu pilæ palmariæ, quo admodum, utpotè agili admodum, & dexteritate pollens oblectabatur, immodicè cum alio Principe exerceret, ſemel adeò efferbuerit, ut in gravem incideret ægritudinem, à qua cum minimè relevaretur, Medicorum ſuaſu Luxemburgenſis aëris fruendi gratia eo devehi ſe curavit, ſed ingraveſcente indies nihilominus morbo, ad extrema tandem deductus, atque uti præmiſimus defunctus, & ſepultus eſt. Vxor verò ejus Ioanna Brabantiæ Duciſſa cælebs in viduitate reliquum vitæ tranſegit, quæ tandem anno milleſi-

mo quadringentesimo sexto, mortis itidem debitum exolvit.

VVenceslao igitur Duce Luxemburgensi è vivis absque liberis sublato, Ducatus ipse jure hæreditario ad nepotem suum VVenceslaum Romanorum Imperatorem devolutus est. At cum rarius ipse iis in partibus ageret, magis Bohemico natali suo delectatus, ea de causa Ludovico Galliæ Regis fratri, Duci Aurelianensi consanguineo suo, Ducatus Luxemburgensis gubernacula vice sua obeunda concredidit, atque insuper pro summa quinquaginta sex millium trecentorum & triginta septem aureorum, quam Ludovicus ei mutuo dederat, oppida Ivodium, Montemcdiū, Dampvillerium, & Orcimont cum appendicibus eidem in pignus dedit.

Hinc autem liquet rem uti descripsimus sese habere, quod auctenticum scriptum ex Archivis Abbatiæ Munsteriensis depromptum illud manifestè demonstret, cujus hæc sunt verba:

Ludovicus Regis quondam Francorum filius, Dux Aurelianensis, Comes Valesii, Blesensis, & Bellimontis, ac Dominus Conciaci Mamburnus & Gubernator Ducatus Luxemburgensis: Vniversis & singulis Capitaneis, Militibus, Nobilibus, Scutiferis, & Gentibus armorum &c. Datum in Theonisvilla, die nona Octobris, Anno 1402.

VVen-

VVenceslaus Rex Ducatu integro Luxemburgensi gavisus ad annos aliquot, eundem postmodum in Iudocum nepotem suum, aut totum resignavit, aut certè sibi eum in consortem ascivit, quod ex verbis literarum dicti Ludovici Gubernatoris huc transumptis colliquescet: *Nos Ludovicus Regis Franciæ filius Dux Aurelianensis, Comes Valesii, Blesensis, & Bellimontis ac Dominus Conciaci Mamburnus & Gubernator Ducatus Luxemburgensis, & Comitatus Chinensis, omnibus & singulis præsentes literas visuris, & legi audituris. Quod ad preces amicabiles, & sinceram requisitionem nostri charissimi & amicissimi nepotis Marchionis, Iodoci de Brandenb. Marchionis, & Domini Moraviæ, recepimus, & omnino retinuimus gubernamentum territorii, & Ducatus Luxemb. & Comitatus Chinensis &c. Datum Mouson decima quinta Septembris, 1412.* Hæc ibi. Item ex aliis literis similiter ex Archivis Abbatiæ Luxemburgensis acceptis, & ab ipsomet Iodoco Marchione profectis idem evidenter docetur. *Iodocus Dei gratia Marchio Brandenburgensis, Marchio & Dominus Moraviæ, sacri Romani Imperii Archicamerarius ad perpetuam rei memoriam &c. Et paulo post. Nos igitur attendentes quod excellentissimus quondam Princeps, Dominus Ioannes Rex Bohemiæ, avus noster charissimus in eodem Monasterio corporaliter jacet tumulatus,*

tumulatus, nec in remedium animæ suæ per provisionem anniversarii, & alia pietatis opera eidem Monasterio ob ejusdem Avi nostri jugiter habendam memoriam, si non ad plenum, aliqualiter providere, ad laudem nihilominus intemeratæ Dei genitricis Mariæ, cujus titulo dicti Monasterii decoratur Ecclesia, præfato Tilmanno Abbati & ejus successoribus, nec non fratribus & Conventui, & Monasterio Sanctæ Mariæ Luxemburgensis; non per errorem aut improvidè, sed animo deliberato, sano, fidelium nostrorum accedente consilio, ex certa nostra scientia tanquam Luxemburgensis Dux, infra scriptus gratias duximus faciendas & facimus per præsentes, &c. Datum Berlyn *in Marchia Brandenburgensi, Anno Domini 1398. sexta die mensis Octobris.* Hæc ibi. Item alio diplomate ita loquitur idem Iodocus: *Iodocus Dei gratia Marchio & Dominus Moraviæ Duxque Luxemburgensis. Notum facimus, quod pro parte oppidanorum fidelium dilectorum nostrorum, oppidi nostri de Montmedi serenitati nostræ extitit humiliter explicatum &c. Datum Brunnæ 1392 sexta die mensis Maii.* Eccè igitur ubi Iodocus iste non nomine tenus tantum sed reipsa est Dux Luxemburgensis concedens ejus Provinciæ subditis gratias & privilegia, quibus hodieque gaudent sicuti patet ulterius ex sequentibus Abbatiæ Luxemburgensis literis ita habentibus: *Nos Tilman-*

Tilmannus permissione divina Abbas Monasterii beatæ Mariæ in Luxemburch, ordinis Sancti Benedicti Treverensis diocæsis, totus Conventus ejusdem loci, notum facimus universis quod nos renunciamus Iuri nostro, quod habemus, & habere possumus in & super furnis oppidi Luxemburgensis, quod Abbatibus, & Monasterio, à fundatoribus nostri Monasterii datum fuit, & concessum, & reddimus idem Ius in perpetuum Ducibus & Principibus Ducatus Luxemburgensis, rationalibus causis nos ad hoc moventibus. Nam metuendissimi, & excellentissimi Domini nostri, Dominus VVenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex & Dominus Iodocus Marchio Brandenburgensis & Moraviæ, ampliores, & utiliores gratias, & donationes prædicto Iure furnorum nobis fecerunt, &c.

His satis superque demonstratum est VVenceslaum Regem, & Marchionem Iodocum nomen & rem Ducis Luxemburgensis æqualiter, aut quasi habuisse.

Theologi florebant tum Thomas Kempensis spirituali doctrina plurimum præstans, Ioannes Capreolus, Petrus Alliacus, Cardinalis & Episcopus Cameracensis, Bartholomæus Vrbinas Episcopus, Ioannes Gerson, Thomas VValdensis, Anthonius Panormitanus, ad hæc sanctitatis laude celebres S. Bernardinus, & S. Vincentius Valentinus, aliiq; complures.

Anno

Anno Domini 1418. Ludovicus Aurelianensis Dux, Gubernatorque, & Mamburnus Luxemburgensis Parisiis proditoriè sumpta cœna fuit occisus, cujus facti occasione cum Ducis Burgundiæ Ioannis instigatione perpetratum existimaretur, atrox inter Francum & Gallum exortum est bellum. VVenceslaus vero Rex & Iodocus Marchio prospicientes minimè expedire ut eorum Luxemburgensis Ducatus Gubernatore careret, huic muneri præfecerunt Simonem Comitem in Spanheym & Catzenellenbogen: graviter hoc tulit occisi Ducis Aurelianensis relicta vidua, opponens sibi titulo oppignoratitio oppida Ivodiū, Montemadium & alia supra narrata competere. Controversia hæc porrò arbitrorum interventu dirempta est eo modo, ut donec summam pro pignore isthoc datam ex integro illa percepisset, oppida illa omnia cum cæteris fortalitiis, & appenditiis custodiæ Hugoni de Elter nomine, Ducissæ committerentur.

Hæc tandem ut effectum fuere sortita, Ducissa eadem pecunia accepta in Franciam rediit.

VVenceslaus Rex & Iodocus Brandenburgensis Marchio, Luxemburgenses Duces omni spe prolis suscipiendæ destituti (VVenceslai enim

uxores

uxores ambæ, id eſt, Ioanna Comitis Hannoniæ filia, & Sophia Ducis Bavariæ gnata ſteriles deceſſerant) Elyzabetham Gorlytiam neptem Anthonio Brabantiæ Duci nuptui tradiderunt, illique centum & viginti millia florenorum aureorum Rheni, dotis nomine promiſerunt. Hac verò ſumma præ manibus non exiſtente Ducatûs Luxemburgenſis cum uſuario Anthonio Duci, Elyzabethæ ſponſo à præfatis VVenceſlao & Iodoco eſt impignoratus, donec ſumma prætacta numerata ſuis Dominis reſtitueretur. Interim tamen Comitatus Rupenſis, & Durbutenſe Dominium hoc pignore non comprehendebantur, &c.

Anthonius itaque Brabantiæ Dux ſponſæ ſibi addictæ contubernio frui cupiens, ejus ducendæ gratia profectionem verſus Bohemiam adornavit, unde ipſam Elyzabetham Gorlytiam ad Belgium perducens ſibi eam in urbe Bruxellenſi, maxima cum nuptiarum pompa matrimonialiter copulavit, applaudentibus & triumphum ingenti lætitia agentibus omnibus ſubditis. Præfecit autem Ducatui Luxemburgenſi Gubernatorem VValramum à Luxemburgo, Sancti Pauli & de Ligny Comitem, nec non Franciæ Coneſtabulum.

Denique annis aliquot evolutis, idem

dem Dux Anthonius circa Morinum Galliæ Regi in bello contra Anglum aſſiſtens in atroci conflictu occubuit, prole nulla ex Elizabetha conjuge ſuſcitata: Ducatum tamen Luxenburgenſem eo deinceps titulo oppignoratitio retinuit, quanquam ejus Provinciç ſubditi potius ſeſe ad Sigiſmundum ejuſque hæredes quam ad hanc de jure ſpectare proteſtarentur. Qua in controverſia potiores ſemper partes (uti ſubtus habebitur latius) obtinuêre Burgundi.

Ioannes Bavarus Eccleſiæ Leodienſis Antiſtes, poſtquam ei functioni annos circiter viginti ſeptem præfuiſſet, diaconatu licet initiatus Summo Pontifice diſpenſante, Epiſcopatu abdicato Elyzabetham Ducis Anthonii viduam in conjugem ambivit, ex qua tamen nec per ipſum ulla proles profluxit. Fuit interea eo modo quo anteceſſor ejus Anthonius, Ducatus Luxemburgenſis Sigiſmundo Hungariæ Duce conſentiente, poſſeſſor.

Anno eodem videlicet 1419 in Praga Bohemiæ Metropoli, grandis derepentè inter cives oborta eſt ſeditio, quæ eo uſque prorupit ut Conſulum nonnulli è prætorio per feneſtras projicerentur. Res verò iſta VVenceſlaum Regem in tantum contriſtavit, ut ſtatim paralyſi correptus, die Mercurii,

quæ

quæ erat mensis Augusti decima sexta vitam cum morte commutaret, postquam videlicet quinquaginta quinq; integros annos Regni ejus moderatus fuisset habenas. Tumulatus est autem sub noctis silentio absq; funerali pompa propter VVicklephistarum id loci, & temporis grassantium insolentias evadendas.

Feru t quidam VVenceslaum hunc, dum Imperii sceptra teneret, Ioannem Galeacem primum Mediolani Ducem ordinasse, & id quidem non nisi cum notabili Imperii Romani detrimento. Prius namque Mediolanenses Domini ejusdem Imperii habebantur ministri, à quo onere (magna pecuniæ vi mediante) hic eos VVenceslaus dicitur absolvisse.

Nec desunt qui Iodocum Brandeburgensem, & *Moraviæ Marchionem*, præmemoratum VVenceslao eidem, dum Imperio exauctoraretur, subrogatum per Electores Imperii extitisse asserant; quodque dum ea de re Francofurti seriò tractaretur, Iodocus quadam die VVenceslaum ejus salutandi gratia accesserit; & sub colloquio ultro citroque habito, remotis arbitris Regem hisce verbis ad Iodocum fuisse usum. Etsi satis sciam non esse è dignitate mea, quod Electores Imperii me Regno Romanorum destituant,

 solatio

ſolatio tamen mihi eſt, quod ex familia mea hoc decus minimè excidat: Ego igitur te lubens volenſque ſucceſſorem mihi datum accepto. Iodocus ad hos expaveſcens Regis ſermones, ilicò ſeſe ad ejus provolvens pedes obteſtatus eſt, ne id facti ſibi ullatenus imputaret, utpote cujus opera aut ſtudio nequaquam contigiſſe. Ad hæc, Pone metum, ait Rex, ô patrue, nam neque Imperium invitus depono, neque ſi illud retinere cupiam, jura ſanguinis violare auſim; bono itaque eſto animo, Imperium tibi eſt demandatum. Quibus verbis recreatus Iodocus, lætus abceſſit, veruntamen Imperii inſigniis nunquam fuit ornatus. Nam cum nonagenarius eſſet, ſex tantum indè menſes ſupervixit. Indè defunctus Brunæ in Monaſterio Divo Apoſtolo Thomæ ſacro, quod pater ejus fundârat, juxta eundem fuit tumulatus.

In Iodoci porrò locum Rupertus Bavarus, Comes Palatinus Rheni, anno Chriſti milleſimo, quadringenteſimo ab Electoribus Imperii Rex Romanorum eſt declaratus, homo ſanè Chriſtianiſſimus, Iuſtitiæque cultor ſtudioſus, atque in belli gerendi peritia præſtantiſſimus, orphanorum denique, viduarum, pauperum, & oppreſſorum patronus ſingularis. Hic dum à

Boni-

Bonifacio nono Pontifice maximo confirmationis munus impetraſſet, ab Epiſcopo Colonienſi, diademate Cæſareo inſignitus fuit. Præfuit autem annos novem, menſes octo, dies viginti duos, & tum in Oppenheym oppido fato ſolutus Heydelbergam vectus, & ibidem in Sancti Spiritus Monaſterio ſepulturæ mandatus eſt.

Sigiſmundus Caroli quarti filius, natione Bohemus, origine Luxemburgenſis, Hungariæ & Bohemiæ Rex, mortuo Ruperto, menſe Martio, Francofurti electus, & Imperator conſalutatus eſt anno 1411. Princeps fuit virtute, ſapientia, & animi fortitudine plurimum excellens, nullamque non in muneris ſui perfunctione laudem promeruit, tametſi pacis quam belli artibus fælicior extitit. Hic contra Turcorum impreſſionem, maximis cum Principum auxiliaribus copiis in Hungaria bis pugnavit, ſed in fugam actus eſt: dein Germanorum robore ſtipatus in Ziſcam Bohemum Principem hęreticum exercitum duxit, nullo tamen ſucceſſu, quod malum cum jam nimis invaluiſſet; Provincias Europæ Galliam, Hiſpaniam, Angliam & alias triennio ipſe obivit ad conciliandam Eccleſiæ pacem, quam & in Concilio Conſtantienſi ad unitatem coegit, ubi Ioanne vigeſimo tertio cedente Bene-

dicto nono & Gregorio duodecimo Pontificali functione non legitimè accepta abire jussis, Martinum quintum Canonicè electum, & in *Petri* cathedra collocatum manutenuit, & defendit. Interfuêre *huic universali* Concilio ejusdem Imperatoris hortatu, anno millesimo, quadringentesimo, decimo quarto, & deinceps per quadriennium celebrato, Patriarchæ quatuor, Cardinales viginti novem, Archiepiscopi 47. Episcopi 160. Abbates & Doctores 560. simulque ipse Sigismundus Imperator piissimus, Ludovicus Dux Saxoniæ, Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Ludovicus Dux Silesiæ cum cæterorum Principum legatis frequentissimis.

Habuit autem Imperator successivè duas uxores, quarum prior Hungariæ Regis filia, illi Elyzabetham peperit *Alberti* Austriæ Ducis, & Augusti postea conjugem: posterior verò *Barbara* nomine Regis Siciliæ filia extitit. Generavit autem dicta Elyzabeth viro suo filias binas, priorem quidem Guilelmo Saxoniæ Duci nuptui datam, alteram verò Cazimiro *Poloniæ Regi* in matrimonium collocatam. Hi ambo junctim sibi Ducatum Luxemburgensem jure uxorio competere prætendebant, eademque ex causa non parum molestiæ Elyzabethæ Gorlitiæ quæ il-

lum

lum pignoris loco detinebat facessebant. Illa duobus jam orbata maritis, ut istorum evadere posset impetitiones, graves apud Philippum Burgundię Ducem nepotem suum deposuit querimonias, adjutrices manus providè sibi porrigi enixè postulans. Hujusmodi querelis commotus valdè Philippus Dux opem promittit, & auxilium laturum sese ad illatas Elizabethæ injurias depellendas. Et initió quidem priusquam vi & armis negotium aggrederetur, viros quosdam primariæ nobilitatis ilicò Luxemburgum destinavit, hortans incolas quatenus dictæ Elyzabethæ tanquam veræ Dominæ & Principi suæ honorem debitum, atque obsequium præstare non omitterent; aut ipse alioquin manu armata illos in ordinem redacturus brevi foret expectandus; contestans insuper sese dictæ Elizabethæ proximum & unicum existere hæredem. Luxemburgenses ante horum legatorum adventũ jam à Saxoniæ Duce præoccupati, octingentos ejus milites in oppidum præsidio futuros intromiserant, quare Burgundos contumeliosis verbis affectos eo undè venerāt redire jusserunt, quod Saxonię Duci potius quam Burgundio sese essent submissuri, asserentes. Comes autem de Clito aut Click Saxonię Ducis affinis in idipsum à Duce con-

 stitutus,

ſtitutus, ejus partes agere cœpit, quanta potuit induſtria, atque in primis univerſis propugnaculis atque caſtellis, quæ adhuc in Elyzabethæ Gorlitiæ fide perſiſtebant, ducto exercitu bellum intulit.

Burgundiæ Dux Luxemburgenſium averſos animos perſpiciens, ad eos quos adhuc à parte Duciſſæ ſtare cognoverat Robertum videlicet Comitem de Virneburgh Ducatus Gubernatorem, Henricum de Solubrio, & Henricum de la Tour, aliosque nobiles feſtinanter literas dedit, quibus hortatur ex animo rogatq; eoſdem ut conſtanter in hac mente perſeverent, hoſtileſque vires pro poſſe reprimere, & diſſipare contenderent, pollicens ſeſe brevi cum frequenti militum manu adventaturum, promittenſque inſimul quadringentos egregiè inſtructos milites, quibus Ivodio, Montemadio, aliiſque circum vicinis locis provideretur. Hi ſtatim qui Burgundis parebant Arlunum aſtu ceperunt, ibiq; de Theoniſvilla rebellante obſidenda tractârunt. Comes de Click iſtiuſmodi conſilium impediturus nocte intempeſta cum militibus Arluno propinquavit, quo oppidum iſtud ex adverſariorum poteſtate per inſidias ex improviſo eriperet. At cives de eis adventu certiores effecti correptis armis ad obſiſtendum

dum Clitonis Comitis molimini, sese cum militibus præsidiariis præparârunt. Quo cognito Clito ipse aggredi paratos non audens, urbem castris militaribus cingere se velle simulavit. Arlunenses verò obsidionis ejusmodi impatientes sæpius excursiones in hostes fecerunt, undè tandem cum dedecore Comes de Click sese exindè proripere & Luxemburgum recipere coactus est.

Philippus Dux posthæc uti pollicitus fuerat ex Bungundia cum frequenti, eodemque valido exercitu adventans, Ioannem Stampanum Comitem cum plurimis aliisque nobilibus necnon mille octingentis levis armaturæ cataphractariis, & quingentis deniq; lancëariis, quos omnes ex Ambianis, Atrebatibus, atque Morinis idem Stampanus adduxerat, apud Sanctum Manachauldum repperit Ducis obsecuturos imperiis.

Clitanus Burgundum appulisse intelligens, Luxemburgi ad tempus delitescere studuit, at Burgundus in Ivodium gratulantibus civibus ingressus, statim de modo hostem impugnandi cum suis tractare cœpit: Et quia castrum de Villy munitissimum ab adversariis partes circumpositas incessanter vastantibus, & populantibus occupatum, non parum incommodi erat negotio allaturum, de eo ante

omnia in poteſtatem ſuam redigendo conſilium pariter inierunt. Et poſtquam Elyzabetham Duciſſam Maziriæ agentem ſalutatum iiſſet, eandemque indè Bruxellam deduci juſſiſſet, ſexcentos pedites, & ducentos equites egregios arcem prælibatam tentaturos iſtuc deſtinavit. Ipſe verò cum Stampano Comite Martiſvillam, indè Vertonum, hinc Arlunum omnium inexplicabili exultatione acceptus proficiſcitur. At Luxemburgēſes & Theoniſvillani conſtanter in Comitis de Click obedientia perſiſtebant, quibus etiam adhęrebant viri nobiles Domini de Rodenmach & Commercy.

Burgundiæ Dux exploratas jam penè totius adverſariorum phalangis habens vires, eorumque in ſingulis locis conſtitutionem, animo intrepido totum Luxemburgenſem Ducatum peragrare conſtituit. Cumque ea in profectione verſaretur, vicini Principes ejus magnitudine animi illecti obviam procedentes, amicitiam cum illo facere poſtulabant, at verò Ducatus Vaſalli numero frequenti ad eum convolantes, genu flexo conſuetum fidelitatis ſacramentum, quod vulgò Homagium dicitur, ei deferunt. Cum porrò aliquantiſper Arluni quieviſſet, ad Florengiam Caſtrum loci natura & ædificiis fortiſſimum ſeſe contulit, ibique

bique de mediis disquirere incœpit, quibus vicinā Theonisvillam in suam redigeret potestatem. Ejus interim milites Chavancii Castrum, in Comitatu Chinensi itidem valde munitum non cessabant, quibus valebant modis, urgere ad deditionem, & cum obsidione cinctum subinde conarentur admotis scalis, aliisve belli actibus adhibitis conscendere, repulsam ab adversa parte identidē graviter locum propugnante patiebantur. Comes Clitanus metuens ne tandem Burgundi incessanter tanti momenti locum impugnando, sibi eum eriperent, Dominum de Commercy cum militum mediocri caterva eo misit, ut obsessis præsidio esset, quo ab angustiis eximerentur. Vt verò adversariorum aspectum fallere possent, cruce Burgundica eosdem desuper insigniri curavit. Burgundi fraudem subodorantes eo usque dissimularunt, donec opportunum foret illos invadere, & temeritatis pœnas ab eis exigere. Permissi igitur dum fuissent aliquousque, & non procul à Castro procedere, Stampanus cum Burgundo milite è latibulis exiliens de repente in istos milites miseros Clitanos irruit, & penè omnes ad internecionem delevit. Quæ res adeò constitutos in Castro exterruit, ut mora seposita sese, & locum in manus

Burgundorum dederent. Iacobus autem Bellimontanus Castri Gubernator, Burgundorum furori parum fidens, per fenestram fune emissus fuga clandestina sese salvavit.

Dum arcis de Chavancy & reliqui municipii conquisitio Duci Burgundię Philippo innotuisset, civibus quidem vita & fortunis concessis, ejus jussu ipsum Castrum dirutum soloq; æquatum fuit; milites verò præsidiarios à strage edita superstites, ex vicinis arboribus suspendi fecit. Mox Ivodium petens uxorem suam eo recenter è Burgundia appulsam excepit.

Erat & Duci eidem filius naturalis sivè nothus Cornelius nomine, belli gerendi scientia admodum peritus, quem proindè exercitus sui Capitaneum generalem constituit, singulariter ei mandans, ne occasionem ullam Oppido Luxemburgensi in suam potestatem redigendo idoneam negligeret. Hic igitur parentis imperio pro virili satisfacturus assumpto secum Stampano Comite ad oppidulum Esch bino miliari Luxemburgo distans, se contulit, necnon circum circa militum copias paratas esse interim jubens, exploratores Luxemburgum versus direxit, qui Luxemburgensium circà oppidi sui custodiam, & propugnationum referrent sollicitudinem,

à quibus

à quibus porrò redeuntibus intellexit Cornelius à Burgundia ſeſe citrà magnam difficultatem ſuorum adminiculo militum voti ſui fieri poſſe compotem. Imperat his compertis belli Dux Cornelius, Roberto de Miramont Comiti in Rouſſy & Bravia, & Guillelmo de Creut, quatenus cum robore exercitus ad locum tenderent, & hoc quidem intempeſtæ noctis ſilentio, ipſe verò manè ſummo infallibiliter foret ſubſecuturus. Hi præcipientis juſſa adimplentes, de nocte iter carpere cœperunt, & ſub diei crepuſculo ad terminum deſtinatum pertingentes, ſcalas & machinas urbi capiendæ opportunas admoverunt, nulloque obſiſtente mœnia & muros urbis ipſius plerique animoſiorum tranſcenderũt. Tum portis vi effractis toti exercitui ingreſſum liberum, ac facilem fecerunt, clamantes iteratis vocibus, *Ville gaignée, Ville gaignée*. Cives clamore iſtiuſmodi ipſis inuſitato attoniti magna ex parte ad Caſtrum profugerunt, aliis ſeſe contra irrumpentium vim defendere fruſtra conantibus, at milites Burgundi primas obtinentes igne jacto per diverſas partes, plurimas ædes incenderunt, cum quibus & Divæ Virginis, quod nunc à Sancto Michaële nuncupationem habet, templum, & Benedictinorum Munſterienſe Cœnobium

bium

bium maximum indè retulerunt detrimentum.

Furore militum hinc nonnihil sedato, civibus vita & domicilio donatis; supellex eorum in militum spolia & prædam concessit. In qua direptione dissidium grave inter nobiles, & gregarios milites exortum est, quod illi præ his contra condictum spoliis gauderent opimioribus. Cives deniquè de Burgundorum diffisi promissis sensim inde per inferiorē urbis partem Theonisvillam versus fugientes sese proripuerunt.

Reliquum erat, ut Castrum itidem in potestatem Burgundi adigeretur. Stampanus proindè Comes ea arte usus est & industria, ut intra trium septimanarum spatiũ, vix ulterius se propugnādi, præsidiariis Castri quicquam virium suppeteret, atq; in primis Comes de Clito animo deficiens, clam ex alto in imum, fune demissus Theonisvillam confugit, quo cives & milites prospecto citra moram se & Castrum in Burgundorum potestatem tradiderunt, Elizabetæque Ducissæ obedientiam debitam, & fidelitatem promiserunt. Comes de Clito ejusmodi eventus certum cum accepisset nuncium, advertens insuper quam exiguo commeatu, & milite imbelli Theonisvillæ foret prospectum, de sua

persona

persona asserenda, paceque cum Burgundis ineunda cogitare cœpit, quo extremo usus remedio, urbe etiam isthac sola sibi eatenus restante in manus persequentium resignata, ad suum natale solum Saxoniam regressus est, Dominis suis relaturus quam iniqua sorte fortuna secum lusisset.

Bello istiusmodi insigniter à Burgundis exacto, Philippus Dux Elyzabethæ Gorlitiæ consanguineæ suæ, cujus gratia & nomine eam susceperat expeditionem, Ducatum Luxemburgensem ex integro tanquam veræ & proprietariæ Dominæ restituit. Illa grati animi significationem in cognatum adeò beneficum vicissim ostendere volens, cum nulla esset sobole fœcundata, eidem Duci Burgundiæ Philippo & suis successoribus hunc ipsum Ducatum Luxemburgensem, & Comitatum Chinensem ultrò donatione irrevocabili contulit, in ea forma & conditione, qua ei competebat, ut nimirum ubi VVenceslai Romanorum Regis posteri summam dictæ Elyzabethæ loco dotis addictam, prout præfertur, numeraverint, eisdem per ipsum Philippum Ducem, aut ejus in dictis Ducatu & Comitatu successorem, citra tergiversationem illi restituantur, atq; interim ipsa quoad viveret, ratione hujus cessionis decem millium floreno-

cum

rum pentionem in singulos annos perciperet. Obiit porrò ipsa Ducissa anno 1437.

Hæc igitur via, & ratio fuit qua Philippus Burgundiæ Dux ejusq; successores Dominium Luxemburgensis Ducatus, & Comitatus Chinensis perceperunt. Id autem cum adeò fœliciter ei obtigisse percepisset, inter cæteros Archipræsul Treverensis, Metensis, item Verdunensis, & Tullensis Episcopi, congratulandi gratia legatos suos cum muneribus ad eum destinarunt, prospera illi de cætero omnia in futurum exoptantes.

His ita constitutis Philippus Dux filium suum Cornelium Ducatui Luxemburgensi Gubernatorem dedit, qui sese tali designabat titulo: *Corneille Bastard de Bourgoigne, Lieutenant, Gouverneur & Capitaine general du Duché de Luxembourg & Conté de Chiny.* Verum cum hujus operam admodum desideraret Dux, eundem ad se revocavit, ejusque loco Anthonium à Croyo substituit, cui ejusmodi adaptabatur titulus: *Anthoine S. de Croy, Conte de Porcien & Seigneur de Renty, Chamberlain de mon tresredoubté Monsieur le Ducq de Bourgoigne & son Lieutenant, Gouverneur & Capitaine general es Duché de Luxembourch & Conté de Chiny.* Fuerunt autem successivè Philippo Duci duæ uxores, prior Michaëla

Michaëla Caroli ſexti Francorum Regis extitit filia, altera vero Iſabella, Regem Luſitaniæ habuit patrem, peperitque marito filios tres, Anthonium, Iodocum, & Carolum, quorum poſtremus tantum, reliquis in pueritia è vita præſenti eductis, vitam in longius protraxit.

SanctusAnthoninus Archiepiſcopus Florentinus, Ioannes Turrecremata Cardinalis, Ioannes Indagmæus Carthuſianus, Theologi florent.

Anno 1467 Philippus Dux annum ætatis habens ſeptuageſimum tertium Brugis in Flandria è vivis exceſſit, atq; corpus ejus indè Hallas Hannoniæ oppidulum devectum in Divæ Virginis templo terræ reconditum eſt, cor verò ejus aromatibus conditum, Divionum detulerunt, & in Carthuſia (ab eo vivente fundata) cum debito honore, loculis abſconderunt.

Hinc filius ejus unicus Carolus prælibatus Ducatus & Comitatus prædictorum faſces titulo oppignoratio (uti pater) adeptus eſt, uxoreſque ternas thalamo ſuo induxit, quarum prima Catharina vocabulo Caroli ſeptimi Francorum Regis gnata abſque liberis mortem obiit, altera Iſabella dicta Borbonii Ducis filia, filiam illi unicam nomine Mariam peperit. At tertia Catharina Regis Angliæ ſoror, quemad-

quemadmodum prima infœcunda ex hac mortalitate migravit.

Dux iste Carolus agnomine Audax, cum rarenter partes Luxemburgenses per se incoleret, iis Marchionem de Retteleis & Hoegenbergh in Gubernatorē constituit. Interea verò cum graves querimonias à Sigismundi hæredibus propter Ducatus Luxemburgensis, quem Iuris sui esse contendebant, detentionem sustineret, ut ejusmodi sese extricaret clamoribus, finemque ea omnis altercatio acciperet, aliquot florenorum millium summam dictis hæredibus numerari fecit, ea conditione, ut juri ad redimendum à dicto Carolo, & suis successoribus Ducatum, quo eatenus fuerant gavisi, renunciarent, atque Burgundis ipsis non jam impignoratitio titulo, sed Iure hæreditario tanquam veris, & absolutis Dominis ipse Ducatus in posterum cederet. Quod & pacto inter partes solemniter inito ratum, fixum, & confirmatum est.

Etsi verò Carolus Dux Religionis avitæ cultor esset plurimum devotus, atque Ecclesiarum benefactor satis liberalis, fuit tamen multorum judicio, ad retaliandum propensior & nimium iracundo ingenio, atque ideò bellum suscepisse ajunt eum non raro in vicinos Principes, ac populos ex causis non

non omnimodè probandis & legitimis. Hinc ab eo Leodienſes & alii graviter fuerunt infeſtati. Ludovicum etiam Galliæ Regem undecimum bello acerrimo divexavit; Reinhardum Lotharingiæ Ducem principatu expulit, indè tamen in Helvetiam ducens, aliter quam putarat exceptus, primum apud Granſonem collatis ſignis fugatus, & caſtris exutus eſt, ſpoliis opimis relictis; revertens deindè cum centum millibus ad locum Murtenſem amiſſis ſuorum triginta millibus, iterum profligatus eſt. Anno 1476. tertiò apud Nanceam Lotharingiæ, quò profectæ erant Helvetiorum octo millium auxiliares copię, cæſus eſt. Ejus tum monile ingentis pretii, quo adamas gemma prægrandis auro in emblemate multis unionibus & margaritis cincta continebatur, Helvetius quidam repertum vendidit aureo floreno: alter itidem Helvetius aureum illius torquem aurei velleris auguſtiſſimum apud Nanceam ex ſpoliis nactus, ut carius eum venderet, Mediolanum trans Alpes pertulit, pro quo acceptis duobus aureis domum contentus repetiit.

Treverim dum idẽ Carolus ad Imperatorẽ, vice quadam ſplendidiſſimo apparatu veniſſet, regiũ ambivit nomen, quod nulla potuit inſtantia obtinere.

Carolo igitur Burgundo rebus humanis (uti prænarratur exempto,) Principes vicini , ſcilicet Ludovicus Burbonius Leodienſium Epiſcopus, David Burgundus Vltrajectenſium Antiſtes, Ioannes Cliviæ Dux, Adolphus Dominus in Ravenſtein , una cum aliis pleriſque ſummæ auctoritatis viris, conſenſu unanimi Gandavum verſus profecti ſunt, cum ut Mariam Caroli ejuſdem filiam ſuper patris exitio conſolarentur , tum verò ut de publicis patriæ negotiis cum ea tractarent. Interea à Flandriæ Proceribus , necnon populo univerſo unica , ac legitimà in eo Comitatu hæres patris , Domina ac Comitiſſa Flandriæ cum omnium acclamatione eſt declarata. Quæ in ſe grato ſubditorum affectu permota , necnon Principum prælibatorum ſuaſu inducta, privilegia dicto Comitatui, & inquilinis reſtituit , quæ ipſis pater ejus dum viveret, ademerat. Extitiſſe id temporis Regi Franciæ familiarem præ ceteris intimū Oliviarium nomine, tonſorem regium ferunt, qui ad Mariam Gandavum à Rege ablegatus, ut ei privatim remotis arbitris loqueretur , poſt dies aliquot perfungendæ legationis copiam , ſibi poſtulavit ; ſed cum nulla ratione obtinere poſſet ſuæ petitionis effectum , audiretque minimè eſſe conſuetudinis , ut

quis

quis virorum præſertim externorum ſolus cũ ſola tantæ majeſtatis puella colloquiũ miſcere permitteretur, tandem ipſe negationis ſibi factæ pertæſus, ludibrio, & minis (niſi à propoſito deſiſtat) affectus, re infecta cum rubore unde venerat, rediit.

Cum verò huic Mariæ ingens bonorum hæreditariorum ſucceſſio competeret, plurimorum Principum oculi ad ejus conjugium expetendum erant intenti. Hos inter Cliviæ Dux, ætate gravis, filium ſuum vinculum conjugale cum ea contrahere maximè cupiebat, alii Regis filium licet ſeptennem præferendum ajebant; ex Anglia alii ſponſum aſciſcendum volebant; nonnulli autem Maximilianum Auſtriacum Frederici Cæſaris filium omnibus anteponendum affirmabant. Quid plura? Inter has opinionum diverſitates, cum quid facto opportunius eſſet dubitaretur, nobilis quædam Mariæ domeſtica, & admodum grata matrona ſententiam ſuam ejuſmodi conteſtata eſt: Expedire omninò, ut non puer aliquis, & ad copulam immaturus in conthoralem ſuæ Dominæ aſſumeretur, ſed talis omninò qui & ad conſummandum matrimonium, & ad prolem generandam, rem utique iſtis provinciis perneceſſariam, aptus eſſet, quandoquidem & ipſa Domina

Maria ea esset annorum maturitate, ut ad eam functionem nihil omninò ei deesse arbitraretur. Quæ istius matronæ verba omnibus adeò placuêre, ut rejectis omnibus, qui ob ætatis defectum ad mariti munia, & reipublicæ administrandæ Provinciam obeundam censerentur inepti, hominem potius virilis ætatis, corporis simul, & animi maturitate pollentem Mariæ maritum fieri debere proclamarent.

Dux igitur Cliviæ conditionem adeò opimam & sublimem, filio suo perquam avidè exoptans, omnem movit lapidem, ut suo potiri posset desiderio. Tandem ejus in nihilum abivit sollicitudo, declarante nimirum ipsa Maria ejusmodi sese nullatenus inituram conjugium. Dum verò Austriacus Maximilianus sibi proponeretur meminissetque patrem suum dum viveret cum Imperatore Frederico ejus parente, eodem de negotio alias, id est anno 1474. tractasse Treviris in Comitiis, imò & sese super hac re ipsi Maximiliano literas consensus sui testificatorias jussu patris olim destinasse, ipsius Frederici Cæsaris legatos eam ob causam Gandavum advenientes placidè admisit, & se promissis pridem editis stare velle contestata est. Hanc ejus dum magno applausu percepissent voluntatem legati Cæsaris, ad

ad Dominum suum regressi, ei itineris totum exposuere processum, & exitum; quo ipse Maximilianus audito, circa Divi Ioannis festum, sumptis secum præter suorum & Cæsaris aulicorum nobiliumque, ac militum copiosám multitudinem Principibus & Proceribus Imperii maximis & plurimis. Duce scilicet Saxoniæ, Marchionibus Brandenburgensi, & Badensi, Lantgravio Hassiæ & aliis, in Belgium profectionem adornavit, & per Bruxellas, nec non Teneramundam, aliaque loca (*ubi honorificentissimè*, prout decebat exceptus & habitus est) Gandavum perveniens, primo quidem hospitio sibi præparato susceptus est, qua autem id magnificentia, & apparatu gestum sit, meæ opis non est vel tenuiter enarrare. Ejus autem Comites sparsim per urbem prefatam *hospitia* juxta status uniuscujusque exigentiam sortiti sunt: ut autem tempus præstitutum invicem conveniendi advenit, ad Mariæ palatium finita cœna maximo cum splendore, & Comitatu nobilissimum deductus est Maximilianus, ubi ipsam una cum Tornacensi Episcopo, Comitibus de Ravenstein / Gruyhuys & Romont / aliisque magnis viris invenit. Cum verò salutationem mutuo, prout decebat, impendissent, accedens Tornacensis E-

 piscopus,

piſcopus, ambobus in vicinam aulam deductis, & dextris eorum junctis, ſive combinatis, ac ſtola ſacra colligatis, ſolemni ritu matrimonium ab iis initum per verba Eccleſiæ confirmavit, & ex tunc in unum eundemque thorum ſociati ſunt. Prodierunt autem ex hoc connubiali thalamo liberi, Philippus, Margaretha, Franciſcus & Georgius. Quorum duo poſtremi obiêre parvuli. Ipſa autem Maria dum quadriennium tantummodò à contracto matrimonio exegiſſet, è vivis exceſſit. Quæ res, cum virtute præſtanti, elegantique forma fuiſſet mulier, plurimum mœroris cùm ipſi Maximiliano ejus marito, tum ſubditis ſuis, quibus ſemper gratiſſima extiterat Princeps, attulit.

Anno 1485. poſtulante, & annuente Frederico Cæſare, Maximilianus ejuſdem unicus filius Belgicarum Provinciarum Iure uxorio Princeps, ac Dominus à ſeptem viris in Romanorum Regem eſt electus, necnon Blancham Galeatii, Ducis Mediolanenſis filiam connubiali fœdere ſibi ſociavit. Anno verò 1493. cum humanis rebus 19. Auguſti Fredericus Imperator exceſſiſſet, Maximilianus iſte filius in ejus locũ ſuffectus eſt, qui Ducatui Luxemburgenſi nepotẽ ſuum Chriſtophorum Marchionem Badenſem præfixit.

Angelus

Angelus Politianus, Gabriel Biel, Ioannes Picus Mirandula, Baptista Mantuanus, Raphael Volateranus, Ioannes Trithemius Abbas, & alii viri eruditissimi celebres habentur, & simul Laurentius Valla Lutheri prodromus.

Imperator Maximilianus post variam fortunam in adolescentia expertam magnanimitate, prudentia, & in Deum confidentia clarus effectus, bello Belgas rebellare conantes, Vngaros, & Helvetios tentavit, à Brugis in perduellionis sibi à civibus loci illatę pœnam, mercium emporium toto orbe celeberrimum Antverpiam transtulit. Rupertum Palatinum Comitem fortunis omnibus privatum in Bavaria fudit. Inde Geldriæ Duce in ordinem redacto, fœdere cum Pontifice & Gallis icto in Venetos exercitum duxit, quibus plerasque civitates ademit, præcipue Veronam, Paduam, Tervisium. Iulii Cæsaris exemplo suas ipse res gestas descripsit. Imperavit annos viginti quinque, menses quatuor, dies viginti quinque, mortuus Vvelsiæ in Austria 1519. 12. Januarii.

Hujus primogenitus Archidux Philippus, Regis Navarræ filiæ fidem addicit maritalem, quæ ex Hispaniis Lyram Brabantiæ urbem pervecta, in Principis thalamum inducta nuptias

cum eo apparatu planè Regio celebravit; ex quorum complexu prodière liberi, Carolus poſtea Imperator ejus nominis quintus, Ferdinandus itidem Romanorum Imperator, Leonora Emanuelis Regis Portugalliæ uxor, Iſabella Regis Daniæ ſponſa, Maria Regis Hungariæ conjunx, & Catharina Ioannis Regis Luſitaniæ conthoralis.

Horum primogenitus Carolus octodecim menſes natus Gandavi baptiſmi gratiam ſuſcepit, ac ſimul aureo decoratus vellere Carolus, Duxque Luxemburgenſis eſt nuncupatus.

Martinus Lutherus Iſlebinus, homo Aquilonaris, novum, ſeu quintum ſuum Euangelium primo promit anno 1517. in Saxonia: Cum enim eſſet Auguſtinianus Monachus eruditione inflatus, ægrè ferens ſibi ad promulgandas Indulgentias Ioannem Tetzelium concionatorem percelebrem eſſe prælatum, ut erat animi impotens, admirator ſui ipſius, lingua petulans, & ſermone per omnia obſcœnus, ſtylum contra ipſas indulgentias initio vertit; tum progreſſus ulterius, ſub prætextu Euangelii, & verbi Dei, quod identidem ingeminabat, plura fidei dogmata oppugnavit. Nec antè deſtitit, quam ſurſum deorſumque omnia miſcendo, Germaniæ magna ex parte Eccleſias ſubvertit. Euangeliſtam ſe Dei

Dei palam venditabat, indicio tamen aut ſigno non alio, quam ſcripturæ depravatæ jactantia, & inſolentia intollerabili, quam ſuprà mortales univerſos, ſupraque cælorum Angelos efferebat: ait enim in hæc verba libro adverſus ſtatum Eccleſiaſticorum: *Doctrinam meam ego nolo judicari à quocunque, nec ab Angelis omnibus, cum enim certus de ea ſim, volo per eam, & veſter & Angelorum judex eſſe.* Et libro contra Regem Angliæ: *hic ſto inquit, hic ſedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic inſulto Papiſtis, & nihil curo ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent.*

Amita Caroli (poſtmodum ejus nominis quinti Cæſaris) Margaretha Chriſtophoro Badenſi prælibato Ducatum Luxemburgen. titulo impignoratitio occupanti, ſummam Maximiliano Cęſari mutuo datam reſtituit, ejuſque adminiſtrationem Marchioni de Monte deinceps commiſit.

Carolus porrò Maximiliani nepos, Philippi Auſtrii Hiſpaniæ Regis filius, ſexto interregni menſe, 28. Iunii anno ætatis 19. Imperator electus, ſequenti anno Aquiſgrani coronatus, necnon Iſabellæ Portugalliæ Regis filiæ matrimoniali vinculo copulatus eſt: unde temporis ſucceſſu proles ſuſcepit, Philippum, Ferdinandum, Ma-

riam, Maximiliani ſecundi Imperatoris uxorem,& Ioannam, Ioannis quarti Luſitaniæ Regis ſponſam. Deinde anno 1530. Bononiæ à Clemente ſeptimo Pontifice diademate Romano inauguratus, rerum geſtarum, virtutiſque gloria magnus, animo excelſo, par priſcis Romanis, pietate, clementia, ſapientia, fortitudine, æquitate nulli ſecundus, expeditiones varias, graveſque è Germania in Italiam, Angliam, Hiſpaniam, Galliam, Belgium, Africam, pro temporum ratione terrâ marique ſuſcepit; primus ipſe ubique belli Dux, præclaras de Turcis, Gallis, & Germanis rebellibus reportavit victorias. Turcam Viennam obſidentem anno 1529. abſens tum in Hiſpania per Fredericum Palatinum repulit, cæſis octoginta millibus Barbarorum: ac redeuntem cum quingentorum millium exercitu, ſolo nominis metu iterum repreſſit; In Africa munitiſſimam arcem Guletam,& Tuniſium Regnum cepit, Romamq; in reditu cum triumpho ingreſſus eſt. Trajecto iterum mari Algerium tentavit, verum tempeſtatis vi prohibitis per Proregem Neapolitanum poſtea Aphrodiſium occupavit. Decertavit porrò contra Proteſtantes Germaniæ Principes, Lutheri dogmate excitatos, quos (quum ſervare, quam perdere cives mallet) cun-
ctando

ſtando potius, & parcendo, quam cæde vicit, licet copiis viribuſque longè ſuperiores; recepitque in gratiam Fredericum Palatinum, Ducem VVirtenbergicũ: unaq; Vlmam, Auguſtam, Argentinam, aliaſq; nobiles civitates, perſeverantib⁹ verò obſtinato in bello Saxoniç Duci Ioãni Friderico, & Landgravio Heſſiæ, victis, fuſiſq; prælio & captis, vitam donavit. Hujuſmodi in rebus dexterè cum infidelibus ac hæreticis gerendis, impedimenti plurimum illi perpetuò objecit Franciſcus Galliæ Rex, magnanimus ille quidem, ſed æmulus gloriç importunus, contentione inauſpicato ſuſcepta, ſummoq; cũ diſpendio rerũ Chriſtianarum. Vnde illa inter utrumq; Optimatem Chriſtianũ bella apud Mediolanũ & in Gallia Ciſalpina, in Belgio, in Provincia Neapoli; hinc claſſem Carolo in Africam transferente, Gallorum infeſtæ irruptiones in Hiſpaniam, Luxemburgum, in Picardiam, Inſubriam, & in Brabantiam, unde tamen brevi rejecti ſunt; & Dux Gelriæ atq; Cliviæ ob præſtitam Gallo opem fortunis omnibus exutus. Hinc etiam profectus eſt ſuccedentis Henrici ſecundi Galliæ Regis, dum Mauritius Saxo Imperatorem armis laceſſeret, in Germaniam cum ingenti manu adventus, qui ſimul atque occupaſſet civitatem Metenſem, invitatus Prote-
ſtantium

ſtantium motibus, ſeſe Germanicæ libertatis vindicem dixit; majore profecto Gallorum incommodo, qui hac ratione viam iiſdem Proteſtantibus monſtrarunt in Galliam ſuccedente tempore, pari cum Gallici Regni diſpendio irrumpendi; cum interea Caroli nomen tam non obſcuraretur, quam ſummè illuſtraretur, non ſolum his adverſis propulſandis, & veteri Romanorum orbe plurimis victoriis exornando, verumetiam novo orbe perluſtrando, & ad Chriſti Regis Regum ſolum imperium adducendo: ubi per Duces, & Legatos multa præclare perfecit, infideles & barbaras gentes latè ſubjugavit: Arces & Oppida excitavit; quibus Proreges duos Auſtralibus & Borealibus ſingulos præfecit. Toto itaque terrarum orbe cum clariſſimus celebraretur, Legatis ad eum ex Africa Maurorũ & Æthiopum, ex Aſia Perſarum & Tartarorum ſæpe adventantibus, Turco ingentem terrorem ſui incuſſit, venerantibus eum, ac prædicantibus ut Monarcham univerſis. His nihilominus diſtrictum curis, religionis amor ſemper captum tenebat, inſumentem perpetuo manè & veſperi horas aliquot precationibus, & commendationibus divinis, ac perſolventem quotidie ſeptenas precum, laudumque horas,

ras, Davidis Regis exemplo. Postremò Imperii sceptris fratri Ferdinando permissis, in Philippum autem filium suum resignatis possessionibus à se bello patrimonioque partis, in Monasterium Sancti Iusti in Hispania Toletanæ diocesis concessit, ubi ablegatis curis omnibus, totum se divini amoris exercitiis & pœnitentiæ mancipavit, migravitque ad Dominum S. Matthæi festo, ætatis suæ anno 58.

Carolo quinto Imperio Romano præeminente, simul & successivo tempore Theologi egregii qui ab initio Lutheri & sequentium motibus, se murum pro domo Israel opposuerunt, hi inter plurimos numerantur præcellentissimi. Thomas Cajetanus Cardinalis, Laurentius Campegius Cardinalis, Hieronymus Alexander Archiepiscopus Brundeusinus, Hieronymus Gemitius Episcopus Asculanus, Sylvester Pierio, omnes ordine Apostolici Legati ad Lutherum: Ad hæc Ioannes Eckius athleta fidei incomparabilis, Ambrosius Catarinus, Ioannes Cochlæus, Iacobus Catonius, Ioannes Driedo, Bernardus Luxemburgius, Franciscus Titelmannus & alii. Ignatius Loyola Hispanus per novemdecim annos à prima conversione vita sanctissimè acta, Sacerdotum nominis Iesu societatem, piam illam,

doctam, laborum patientem ac sinceram cum decem sociis incœptam Apostolica auctoritate cõfirmari à Pontifice curat, anno 1540. Cernens namque Dominus messis, quod messis esset multa, operarii pauci, misertus palantis turbæ, plures emittere operarios in messem suã voluit, per quos odorem notitiæ suæ manifestaret in omni loco, confirmaretque eam fidem, quam ab Apostolis acceptam Ecclesia confirmabat. Primi Ignatii fuere socii Petrus Faber, Franciscus Xaverius, Iacobus Laines, Alfonsus Salmeron, Simon Rodericus, Nicolaus Babadilla, Claudius Iajus, Ioannes Codurius, Paschasius Proëtus, & Hosius, quibus se ex Germanis primus adjunxit Petrus Canisius. Reliquos hinc usq; ad præsens tempus in hac societate & extra illam præstantissimos vita & sapientia viros, hæresum passim grassantium impugnatores acerrimos, cùm propè innumeri sint, prætereo.

Suffectus igitur Philippus in Caroli patris Regnis & Dominiis amplissimis, simul cum reliquis Ducatus Luxemburgensis apicem obtinuit, ejusq; gubernacula prius à patre commissa, Petro Ernesto Comiti in Mansfeldt eidem dimisit, quæ in hunc usque diem summa cum laude, & famæ nunquam intermoritura gloria moderatur. Quẽ ob

ob rerum tam bello, quam pace præclarè gestarum merita, Cæsar Rodolphus secundus Principatus titulo adauxit, & Rex Catholicus Philippus prælibatus totius Belgii mortuo Parmensi Duce administrationi generali præfecit, donec Cæsaris frater Ernestus Archidux Austriæ in id muneris anno 1594. asciseeretur.

Sunt qui affirmare ausint scriptores minimè contemnendi, quod ab orbe condito nulli Imperatori, Regi, vel Principi majus Imperium contigerit unquam, ex quo ipse Philippus ecundus Hispaniarum, & Indiarum Regnis, dum viveret, potiebatur, maximè postquam Lusitaniæ amplissimum Regnum ei tandem adjectum esset. Amplissimas enim Europæ Provincias, quin etiam nobilissimas Asiæ Regiones,& Africę complectebatur. Novum denique orbem, qui Europa, Africaq; latius patet, pacificè possidebat. E quibus quidem omnibus si Belgium nostrum cum Bungundiæ, & Charrelois Comitatibus excipiamus (hæc enim ut paulo post enarrabimus Claræ Eugeniæ Isabellæ filiæ ejus majori in dotem & hæreditatem perpetuam obtigerunt) Philippus tertius superstes unicus ejus filius successit, cui tituli omnes Regnorum, Principatuum, & quarumcunque possessionum pridem

Patri

Patri suo excelsissimæ memoriæ competentes etiam conveniunt, ut hic oculis lectoris subjiciemus, Rex Castiliæ, Legionum, Navarræ, Neapolis, Siciliȩ utriusque, Hierosolymorum, Portugalliæ, Granadæ, Toleti, Valenciæ, Galiciæ, Majoricæ, Sivillæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Iaen, Algarbes, Algeryæ; Griballas, Insularum Canariæ, Indorum tam orientalium quam occidentalium, Insularum terræ firmæ & maris Oceani; Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiȩ, Limburgii, Luxemburgii, Geldriæ, & Mediolanensis; Comes Habsburgii, Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Zelandiæ, Hollandiæ, Namurcensis, Zutphaniæ; Princeps Svvaviæ, Marchio sacri Imperii, Dominus Frisiæ, Salinarum & Mechliniæ, Dominus Civitatum, Oppidorum, & Provinciæ Vltrajectensis, Transisularum & Groningæ; Dominator denique in Asia & Africa. Hi inquam tituli & nomina jure competentia utrique Philippo secundo & tertio Regibus potentissimis, quorum prior & posterioris pater quatuor successivè uxores sibi matrimoniali vinculo sociavit, Mariam videlicet Ioannis tertii Portugalliæ Regis filiam, unde ei profluxit Carolus anno ætatis 19. absq; liberis morte abreptus, Ma-

riam

riam Henrici octavi Regis Angliæ filiam, Regnique ejus hæredem, quæ nulla prole fœcundata, vitæ hujus usura est privata anno 1554. Deinde Elizabetham Valesiam Henrici secundi Franciæ Regis filiam in conthoralem Philippus Rex accepit, ex qua filias duas procreavit, priorem scilicet Isabellam Claram Eugeniam natam anno 1566. 10. Augusti Archiduci Austriæ Alberto Imperatoris Maximiliani secundi filio, eidemque Cæsaris Rodolphi secundi fratri nuptui traditam, posteriorem vero Catharinam natam 10. Octobris Madridii, anno 1567. Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci anno 1568. connubiali fœdere conjunctam. Quarum matre anno 1569. defuncta, Rex quartam accepit uxorem, Annam Maximiliani prælibati Imperatoris filiã ex cujus geniali thalamo plures fluxêre filii, utpote Ferdinandus pridiæ Nonas Decemb. 1571. in lucem editus, infansque extinctus, Iacobus sive Didacus ejus frater, qui novennis obiit 11. Calend. Decemb. Carolus Laurentius infans defunctus. eorum soror Maria septennis è vivis abrepta, & horum omnium frater germanus Philippus natus anno Domini 1578. nunc Regnorum paternorum sceptra obtinens, qui ut fæliciſsimè antecessorum suorum vestigiis insi-

 stens

ſtens vivat ad annos Neſtoreos, & Regia ſua Majeſtate in Eccleſiæ, Reique publicæ ſalutem utatur, ardentibus & intimis precamur & optamus votis.

Ivit autem Philippus ſecundus Hiſpaniarum, Indiarum, & ter excelſæ memoriæ Rex, gravitate, eruditione, religione, ſapientia eximius, cujus in id præcipuè ſtudia & ſummi conatus jamindè à primo regiminis ſui exordio uſque ad finem collimabant, ut religionis avitæ in una Catholica & Apoſtolica fide, ſub Romani Pontificis ſupremi in terris Chriſti Ieſu Vicarii obedientia cultus vigeret, creſceret, conſervaretur. Qua ex re ſuſceptis quamplurimis expeditionibus per diverſas orbis partes, variis item temporum intervallis, & ſpaciis tum paganis, & infidelibus, tum hæreticis bella intulit acerrima, in quibus Deo ipſi auxilium ferente, adeò proſperè egit, ut tantarum, prout dixi, evaderet regionum Dominus, nec ullus ab orbe condito ipſi fuerit, æquiparandus. Hæreticis tam in Belgio ſibi rebellibus, quam alibi graſſantibus à Catholicis in auxilium vocatus ſemper fuit infeſtiſſimus, nec ullis unquam parcendum ſibi ſumptibus duxit, ſi quando rei, & religionis Chriſtianæ fuiſſet occaſio. Cum igitur adeo amplis potitus ſit divitiis, & has eaſdem libe-

raliſſimè

raliſſimè eum in uſum ſemper expendere ſtuduerit, quis dubitet hunc Regem primas inter ſui ſæculi Catholicæ fidei propugnatores, & aſſertores obtinuiſſe? Et certè ſi id quod ſentio proferre liceat, dico quod ſi ipſe tam puro & ferventi zelo Chriſtianæ Religionis cauſam minimè ſuſcepiſſet defendendam, neſcio an in hiſcè aliiſque diverſis partibus Chriſti in vera & Apoſtolica fide cultus veſtigium exiſteret. Sed Deo Optimo Maximo, imprimis acceptũ referre oportet, quod in graviſſimis, quibus Eccleſia agitata fuit periculis, hic præſtantiſſimus ejus propugnator nobis contigerit, qui omnium hæreſium (noſtro ſæculo valde multiplicium) aliorumque errorum, atque totius perfidiæ & infidelitatis perſecutor acerrimus extitit.

Hic idem Philippus ſecundus Rex potentiſſimus ſenio cum ſe confectum exacto ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo conſpiceret, indeq; ſeſe ad res gerendas indies fieri minus idoneum exiſtimaret, Deo deinceps, & ſibi vivere reliquo tempore intendens, de abdicanda à ſe omni ſæculari cura cogitare cœpit, priuſquam mortis certæ hora illum præoccuparet incerta: quo ſcilicet in luctu pro peccatis ſuis, & pietate in Deum ferventiori, peractis, qui ei ad operandum reſtabant vitæ mor-

talis diebus, divinam miſericordiam, gratiam denique & gloriæ immortalitatem confidentius expectare poſſet: tum etiam, ut cunctis (circa res ſibi à Deo concreditas) ritè diſpoſitis, eiſdem in futurum, quoad fieri poſſet, foret proſpectum. Corpore igitur nihil adhuc impedimenti per alicujus morbi vehementiam afferente, ſano itidem, ac præſenti animo, habita præmeditatione rei tam arduæ neceſſaria, habito inſuper Procerum ſuorum ubivis gentium quantum ejus conficiendi negotiis exigebatur, conſilio, & aſſenſu Philippum filium ſuum unicum inſtituit, & dixit omnium Regnorum ſuorum hæredem univerſalem: filiam verò ſuam Iſabellam Claram Eugeniam cui hæc tria nomina impoſita eſſe voluit, quod mater ejus Iſabella nuncuparetur, quod die Sanctæ Claræ xı. Auguſti in lucem producta fuerat, quodque D. Eugenio noviter ex Pariſiis ad Hiſpanias tranſlato ſumma devotione ipſe Rex eſſet affectus: hanc inquam Iſabellam Claram Eugeniam Hiſpaniarum Infantem irrevocabili ac in perpetuum valitura traditione omnibus Belgii Provinciis, & Dominiis una cum Burgundiæ & Charrelois Comitatibus Philippus Rex ejus pater donavit atque dotavit, necnon aſſentiente Philippo filio, ejuſmodi fa-

ctum solemni ritu & firmissimis sacramentis ratum & inviolabiliter fore declaravit; utque hæc vim sortirentur, & effectum, nullis obnoxium cavillis, Principum insuper ipsius Belgii sive patriæ inferioris, ordinumque & statuum ejusdem expetitus & obtentus fuit assensus. Ea dote itaque Isabellæ Claræ Eugeniæ Hispaniarum Infanti firmiter constituta, sponsus præterea ei addictus est Albertus prælibatus Austriç Archidux trium Imperatorum respectivè nepos, filius, & frater, qui Cardinalatu & Archiepiscopatu Toletano, eodemque Primatu totius Hispaniæ Summi Pontificis permissu resignato, matris suæ Imperatricis, pariterq; fratris sui Cæsaris Rudolphi accedente consensu, matrimonii oblati conditionem lubens acceptavit: priusquam verò nuptiarum per verba de præsenti dies celebris duceretur, dum adhuc Albertus ipse sub Gubernatoris generalis titulo Belgicas administraret provincias, procuratorio à sua futura sponsa super hoc accepto, ejus nomine dictarum provinciarum, ditionumque Belgicarum, simulque Burgundiæ & Charrelois Comitatuum realem, & corporalem apprehendit possessionem: absolutis antea per Regem Philippum quibuscunque in dictis provinciis utriusque sta-

tus Principibus, Episcopis scilicet, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Abbatibus, Prælatisque aliis, Baronibus, Equitibus, Nobilib⁹, Gubernatoribus, item Præpositis, Capitaneis, Iudicibus, Consiliariis, Civibus, & omnibus ad unum cujuscunque nominis & dignitatis subditis à Iuramento obedientiæ & subjectionis, quo illi eatenus fuerant obstricti; ac consequenter ipsam deinceps Isabellam Claram Eugeniam, in suam veram propriam, & naturalem Dominam suscipientibus, admittentibus, & recognoscentibus, Iuramentiq; fidelitatis, obedientiæ, & subjectionis, eò sese astringentibus circa mensis Augusti finem, anno 1598.

Hinc, *Archidux Albertus* cognato suo Andreæ Cardinali Austriaco administratione Provinciarum prædictarum commissa, *profectionem* suscepit suæ sponsæ accipiendi gratia in Hispaniam versus & decima quarta Septembris Luxemburgum veniens, per Lotharingiæ partes, à Duce, & suis magnificè exceptus, Germaniam petiit, quatenus indè Serenissimam Catharinam Caroli quondam Archiducis Austriæ filiam, Regi Philippo tertio uxorem futuram secum abduceret. Hoc verò tam prolixo itinere quanto fuerint splendore, apparatu, ac magnificentia

centia à diversis Germaniæ Principibus, per quorum terras transeundum fuit, præsertim Palatino Comite Electore, Duce VVittembergensi, Duce Bavariæ excepti, enarrare nec meæ opis est, nec instituti, cum hoc abundè factitatum à præclaris non ignorem scriptoribus, & tantum obiter historiam Luxemburgensium Principum contexere proposuerim. Relicta porrò Germania, Italiam ingressus, effatu impossibile reor, quam splendido apparatu, & sumptibus exquisitissimis inter cæteros Dux Mantuæ eos cum comitatu suo honorarit, à quo & decem integros dies liberaliter, & magnificè tractati fuerunt. Pontum de lacu obscuro dum attigissent, à Cardinalibus Illustrissimis Aldobrandino, & S. Clementis, multisque aliis summæ dignitatis viris, ac Principibus Regina futura, honorificentissimè fuit, decentique ritu consalutata, ac ipsis Cardinalibus nomine S. D. N. Clementis, ejus nominis octavi Pontificis Maximi carocha auro, gemmisque præfulgida, multumque pretiosa, & miro artificio fabricata ei extitit dono oblata. Vt autem ad Palatium, ubi Summus Pontifex erat, pervenerunt, Regina futura unà cum matre sua, & Alberto Archiduce ejus sandalia humilitate Christiana exosculati sunt. Sequenti

vero Dominica die decima quinta Novemb. in Pontificis Maximi, plurimorum item Cardinalium, & Principum aliorum frequenti concessu lectũ fuit, clara voce, procuratorium, quo Rex Hispaniarũ Philippus tertius despon-sandi vice sua, Serenissimam Catharinam prælibatam munus committebat. Statimque dum sese in ejusmodi connubium consentire fassa esset ipsa Serenissima Catharina, Summus Pontifex contractum inter eas partes matrimonium solemni data benedictione ratificavit, atque exindè tanquam Regis vera, ac legitima conjunx Serenissima Catharina, Reginæ Hispaniarum &c. nomen est sortita. Tum cantatus melodia musicali fuit psalmus, Beati omnes qui timent Dominum; qui ambulant in viis suis.

Cumq; hoc modo inter Regem absentem, & Reginam præsentem verum coaluisset matrimonium, secedente illa ad insigne tabernaculum sibi eo loco paratum remansit. Archidux Albertus ante suæ Sanctitatis conspectum, ut ipse non jam vicario nomine, sed proprio matrimonium cum absente Serenissima Isabella Clara Eugenia Hispaniarum Infante, necnon totius Belgii suprema Domina contraheret, Sessanus Dux tum juxta constitutus procuratorium protulit, quo sibi hac

in-

in parte vicesipſius Sereniſſimę ſponſæ ſubeundas eſſe affirmabat, forma igitur ſacramenti contrahentium de præſenti voluntatem deſignante ultrò citròque expreſſa, eiſdem quo prius in Regio connubio, cęremoniis, & verbis ſubjunxit Summus Pontifex preces & benedictionem Apoſtolicam; finito hinc Miſſæ Sacrificio, magna cum pompa, & incredibili apparatu itum eſt ordine decenti ad locum convivio ſervando deſtinatum. Vbi reliquum diei hilari duxerunt animo, vultuque; petita poſtmodum acceptaq; ſuæ Sanctitatis benedictione, & recedendi poteſtate, eo unde venerant regrediētes Regina & Archidux cum ſplendidiſſimo numeroſoq; comitatu Mantuam vigeſima ejuſdem menſis contingunt, & à Duce non minori quam prius magnificentia, & congratulatione ob celebratas nuptias ſuſcepti fuere, & habiti duobus diebus, quibus exactis cœpto pergentes itinere, Cremonam 25. menſis appulerunt, excepti ſimiliter maxima cum magnificentia, ut & deindè Londinum attingentes: dum verò Mediolanum contigiſſent, dici non poteſt quanta pompa, ſplendore, necnon apparatu, tormentorum bellicorum fragore, honoriſque exhibitione Regina fuerit ſuſcepta, ac denique ſolemniter & honorificè ad Metropoli-

tanam Ecclesiam deducta, ubi canticum *Te Deum laudamus* (cujus cum Divo Augustino auctor extitit D. Ambrosius Mediolanensium Antistes) musici arte miranda omnibus prę gaudio stupentibus cantatum fuit. Hic dum dies aliquot exegissent in Hispaniam navigaturi, mari sese commiserunt, & quanquam id non sine ingenti periculo, Deo tamen benigno fluctus freti mitigante omnem difficultatem superarunt. In portum igitur Hispaniæ Rosas dictum, mari transmisso delati, mox cursorem inde ad Regem, Valentiæ agentem, direxerunt, qui lætum de Reginæ adventu nuntium suę majestati perferret. Lętus admodum, ut par erat istiusmodi nuntio, Rex, nihil negligendum ratus, quod ad condecentem Reginæ exceptionem opportunum foret, Principes omnes Proceresque, & alios præ manibus constitutos præsto esse voluit, partim ut Reginæ obviam procederent, atque ad suum inducerent thalamum; partim ut sibi eam excipienti congruo cum splendore assisterent. Veruntamen, cum id temporis festa Paschalia imminerent, & Christianus populus in Christi servatoris nostri passione amarissima devotis officiis recolendo versaretur, non putavit Rex Catholicissimus sic carni & sanguini acquies-

acquiescendum, quin omnium bonorum auctori & salutis humanæ vindici Iesu gratus in primis exhibendus foret animus, unde & placuit Regi ad Reginæ cubile non accedere, donec Domino Deo universorum pro posse humanæ fragilitatis Christianis & piis officiis esset satisfactum. Transactis itaq; passionis & resurrectionis Christi Iesu celebritatibus, Regii conjuges invicem eodem convenêre thalamo, nuptiæque ingenti cum omnium lætitia, splendore, & magnificentia incredibili ductæ fuerunt celebres, indeque post dierum aliquot curriculum Rex & Regina valedicto sorori suæ Serenissimæ Isabeliæ Claræ Eugeniæ, nec non recenti ejus marito Serenissimo Alberto Archiduci, iter Madridium versus arripuerunt: Hi verò mari conscenso & fausta navigatione trajecto per Burgundiam in Belgium devenerunt, quo in itinere dum singulas civitates, & oppida præterirent nihil omisêre locorum incolæ, sive majores sive infimos spectes, quod ad honorem novæ suæ Dominæ ac supremæ Principi exhibendum, & ingentem animi, ob ejus adventum lætitiam demonstrandam facere posse putabant. Hinc igitur per campos, urbiumque mœnia, & civitates equitantium armatorum innumeræ phalanges; hinc

tormen-

tormentorum, bombardarum item,& omnis generis apparatuum bellicorum crepitus, fragor: nobilium præterea, civium, & aliorum ſubditorum cujuſque pro ſua qualitate in habitu militari, & aliis modis oſtentatio. Sed nec Eccleſiaſtici ſtatus viri ſuo defuêre muneri, occurrentibus nimirum in habitu Pontificali aut alio decenti, per loca diverſa Prælatis, & notæ inferioris Sacerdotibus, Principibus ſuis, longè clementiſſimis. Emenſo tandem fœliciter itinere ſuſcepto Bruxellam Brabantiæ nobiliſſimum oppidum totius iſtius peregrinationis ſcopum pertingentes ab omnibus tum ſummatibus, tum infimatibus, utriuſque etiam ſexus, & cujuſvis ætatis hominibus, prout unumquemque decebat triumpho pluſquam credi poteſt magnifico, & cæremoniis ſummam lætitiam & honorem evidenter deſignantibus fuêre excepti; & tum ipſam Sereniſſimam Iſabellam Claram Eugeniam Hiſpaniarum Infantem, ſupremam, veram, legitimamque ac naturalem Inferioris Germaniæ, ſivè Belgicarum provinciarum, Comitatuumq; Burgundici & Charrelois Dominam & Principem eſſe, & una cum Sereniſſimo conjuge Alberto Archiduce ea omnia eo nomine vendicare poſſidereque debere, omnes quorum intererat,

tererat, acclamârunt, & professi sunt. Concedat Deus Optimus Maximus, per divinam suam inexhaustam misericordiam, dictis Serenissimis Alberto & Isabellæ Archiducibus conjugibus, supremis Belgicarum ditionum Principibus prole fœcundatos, optata ea mentis & corporis sospitate perfrui, itemque virtutum ornatu fulgere, nec non potentia, & viribus ad annos valere quamplurimos, undè domitis ac in ordinem redactis, & subactis rebellibus, honoris, gloriæ & laudis indies accrescat ipsis apud mortales gloria, & apud cælestes favor & meritum: utque eorum auspiciis, & fausta amplissimarum, nobilissimarumque istarum Provinciarũ administratione subditi, longissimis jam bellorum malis & tumultibus affecti, vitam tranquillam in Dei obsequio, & Principum suorum Serenissimorum famulatu degere possint, & simul cum eis immortalitatis coronam à bonorum remuneratore Deo exspectare, & percipere valeant. Amen.

Ducatu igitur Luxemburgensi unâ cum cæteris Belgii provinciis eo, ut præhabitum est modo, in Serenissimam Isabellam Claram Eugeniam à patre Philippo secundo magno Rege, filii Philippi tertii moderni consensu, nec non procerum, & omnium tam

in

in Hiſpaniis, quam Belgio, quorum intereſſe poterat conſilio, & aſſenſu, dotis nomine in perpetuum dominum tranſlato, Sereniſſimus Albertus Archidux Auſtriæ ejus maritus uxorio jure Dux Luxemburgenſis effectus, in ordine Principum à Luxemburgo titulum ac nomen ducentium, poſtquam Comitatus ac deindè Ducatus præfulſit nuncupatione ſcilicet à Sigifrido primo Comite viceſimus quartus numeratur: aut ſi inter eos Iodocum Marchionem qui non tam per ſe ſeparatim, quam VVenceſlao Bohemiæ Regi eodem tempore aſſociatus, ei Ducatui principatus fuiſſe exiſtimandus eſt, Sereniſſimus Albertus viceſimus quintus eo in numero conſtituetur. Quod vero ad innumeros alios ex eadem ſtirpe progenitos utriuſque ſexus ſpectat, nec dicere quicquam in animo eſt, nec ſi vellem, maximeque conarer, id ſatis dignè præſtare valerem, quippe quod numero vix finiantur, & pene per totum orbem Chriſtianum diſperſi, æquè cum longe remotis, & à noſtra notitia alienis affinitatem & connubia junxerint, atque cum propinquis, ut affirmare auſim vix inveniri ſub ſole Chriſtianorum proſapiam ullam quæ hanc magnorum multorumque Principum propagine aut affinitate exuperet, petitis nimirum

nimirum indè & acceptis ab omnibus penè pro diverſorum temporum ſtatu, & perſonarum qualitate conjugibus. De Principibus proinde Luxemburgenſibus eorumque ortu, progreſſu, ac regimine ex profeſſo tantum dixiſſe ſufficiat.

DE

DE MORIBVS, ALIISQVE QVALITATIBVS POPVLI LVXEMBVRGENSIS.

QVemadmodum regio hæc, quæ Ducatus Luxemburgenſis & Comitatus Chinenſis appellatione deſignatur, vaſtiſſima eſt, & ampliſſima; adeò ut pluſquam ſeptuaginta milliarium ſpatia ambitu ſuo contineat, atque ita neceſſum ſit terminos ipſos extremos longo adinvicem intervallo diſtare, ſic non unam apud omnes inquilinos vivendi conſuetudinem eſſe, ſed aliam atque aliam veriſimiliter conſequitur; Quam etiam varietatem naturali quodam inſtinctu, idiomatum diverſitas ſimiliter inducit. Qui enim Germanicè loquuntur, linguæ ſuæ magis congruentes mores uti & qui Gallicè, cum aliis Gallis ſympathiam majorem habere videntur. Luxemburgi enim, quod totius provinciæ hujus caput eſſe diximus, idioma commune eſt Germanicum, quod idem etiam eſt Arlunenſibus, Theoniſvillanis, Epternacenſibus,

bus, Macherentinis, Vitensibus, Viendanis, & aliisquibusdam oppidulis, una cum circumiacentibus vicis & pagis. At verò qui Bastoniam, Marchiam Rupem Arduennæ, Novum castrum, Houffaliziam, Durbutum, Ivodium, Dampivllerium, Montmedy, Chiny, Vertonum, & circumvicinas partes, sive rura inhabitant, Gallicam linguam sibi vernaculam habent. Itaq; ut Germani à Gallis, quoad usum, & mores ut plurimum dissidere solent, sic inter hos unius provinciæ diversi idiomatis populos usuvenire contingit. Quocirca qui Germanicè tantum loquuntur, gravitatis plus aliquid, Galli verò levitatis amplius habere feruntur: attamen neutrobique desunt, qui liberalius educati utriusque qualitatis optimum temperamentum retinēt, quorum numerus haud exiguus in oppidis muratis, tam metropoli scilicet, quam quibusdam proximioribus, uti sunt Theonisvilla, & Arluno, reperitur. Horum mores ad urbanitatem quandam, & decentem honestatem, propius quam reliquarum Germaniæ partis urbium accedunt, ea ut existimo ratione, quod continuam habeant cum Gallis vicinis, nobilibus, aulicis & militaribus viris conversationem, quo fit ut etiam eorum mores indies magis magisque politiores reddantur.

His tamen vix cedere in minimo se fatebuntur, Gallicæ puræ regionis cives prius designati, Bastonienses, & alii, qui tum à naturali sua propensione, tum etiam ex perpetua cum aliis bene moratis consuetudine, videntur aulicam quandam sive urbanam vitam præ Germanis profiteri. Quod quidem intellectum velim de iis maximè qui æquè muris aut mœnibus urbium ad Mosam constitutarum sunt inquilini. Nam quod ad rusticos, qui rure sive in pagis degunt, attinet, utrobique minus habent in moribus civilitatis, qua tamen ut plurimum magis carent Germani, quam Galli, stupidæ nimirum & agresti antiquæ avorum suorum vivendi consuetudini inhærentes. Veruntamen hoc unum in omnium hujus provinciæ incolarum laudem encomii vice palam fateri cogeris, omnes pariter & Germanos & Gallos fidei Deo & Principi suo naturali semel datæ esse, & fuisse semper quam tenacissimos, à qua reliquis penè provinciis aut in totum aut ex parte corruentibus, hæc una nullis machinis sese unquam dimoveri vel in minimo est passa. Quin etiam forti semper animo, hanc fidelitatem, quantumcunque adversitatibus multum quoque diuque agitata, retinuit: & omnibus casibus evidenti argumento demonstravit: Sic

quod

quod nulli ſciſmati, hæreſi, rebellioni, aut cuivis id genus nævo locum unquam dederit. Quæ certè, una ſumma & præſtantiſſima, in ſimplici & Catholico populo gloria eſſe poteſt.

Conſtat autem gens Luxemburgenſis, Eccleſiaſticis, nobilibus, oppidanis ſive civibus, atque ruſticis, de quibus ſigillatim ſtrictimque dicendum. Eccleſiaſticorum ordo, Prælatos quoſdam cum ſuis conventibus, & alia diverſi ordinis atque utriuſlibet ſexus collegia, itemque Sacerdotes ſæculares, tam parochialib⁹ Eccleſiis præfectos, quam non præfectos, itemq; eorum Archipresbyteros, quos Decanos Chriſtianitatis ſive rurales vocant, comprehendit: hi omnes ubicunque conſtituti, ſuæ vocationi conformiter, prout par eſt, vivere ſtudent.

Nobilium autem maximus in hoc Ducatu numerus invenitur diverſis inter ſe gradibus diſtinctorum: ſunt namque Comites, Barones, & alii ex perantiqua nobilitate, eademque magnæ æſtimationis progeniti, atque alii item non adeò ſublimis notæ, quanquam veræ & indubitatæ nobilitatis familiis oriundi, ad quos & accedere conantur alii divitiis pollentes, quarum ſubſidio ſenſim in nobilium claſſem irrepunt. Habent tamen veri & antiquo ſtemmate nobiles id animis

suis firmiter impressum, ne connubia facile jungant cum his, quibus noviter nobilitatis titulus contigit, verentes scilicet, hac mixtione, quicquam suo generi indecentiæ aut dedecoris afferri: adeò quidem, ut si quis forte, sive libidine carnis, sive opum splendore allectus, eò se induci passus fuerit, proximorum sui sanguinis gravissimam, ac penè irreparabilem incurrat ipse indignationem. In nuptiis porrò contrahendis tantus est rerum omnium apud nobiles ipsos apparatus, ut etiam principibus ad talia par esse posse, à quolibet non immerito putentur, adeò nihil eorum quæ ad pompam, sive concurrentium maximam multitudinem, horumq; in vestimentis pretiosis ornatum spectes, sive ferculorum & potuum exquisitorum curiosam varietatem, ne dicam vanitatem attendas, sive instrumentorum musicalium harmoniam, ac denique quicquid ad hujuscemodi magnificentiam facere posse videtur, consideres, deesse patiuntur. Vnde fit quosdam, quibus res est angusta domi, ne generis sui notam incurrere turpem, præ aliis sibi æqualibus videantur, sæpenumero æs alienum contrahere nec multis post annis illud idem solvere valere. In puerperiis itidem, & parvulorum suorum baptismatibus, atque

item

item defunctorum
equiis nobiles huju
tudine sumptuum,
cem certare vident
sunt hac in parte
dum plerique om
his aliisque modis
tendunt: malè inte
reliquorū magnifi
eis præripiat, qui
rius abusus ad me
tem, reducendus
meritò videretur.
subditos jus, ut pl
modo fundalis (q
nii, sed etiam bass
risdictionis: sic u
meliori ordine ju
ti judices, morti
tormenta violent
exerceant, utiqu
patriæ hujus per
cendum compete
Cæterum oppid
ratarum cives exi
titulo glorientur
gradibus etiam di
rum alii aliis tanc
dices præeminen
tanta est imperan
troversiis aliisq;
di, & judicandi p
sis Princeps patr

item defunctorum propinquorum exequiis nobiles hujus patrię de magnitudine sumptuum, & splendoris invicem certare videntur, adeò nimirum sunt hac in parte indiscretè zelosi; dum plerique omnes stemmati suo his aliisque modis sese adæquare contendunt: malè interim ferentes si quis reliquorũ magnificentia sua palmam eis præripiat, qui certè usus, seu verius abusus ad mediocritatem decentem, reducendus, à legitima potestate meritò videretur. Nobilibus porrò in subditos jus, ut plurimũ competit, non modo fundalis (quam vocant) dominii, sed etiam bassæ, mediæ, & altæ jurisdictionis: sic ut de criminosis salvo meliori ordine judicia per se constituti judices, morti per diversi generis tormenta violenter etiam addicendo exerceant, utique jus æquè *Prælatis* patriæ hujus per suos officiatos exercendum competere dignoscitur.

Cæterum oppidum, qui urbium muratarum cives existunt, nec nobilitatis titulo gloriantur: distinctis inter se gradibus etiam differunt. Quippe quorum alii aliis tanquam rectores, ac judices præeminent; quibus in subditos tanta est imperandi, & de causis controversiis aliisq; negotiis cognoscendi, & judicandi potestas, quantum ipsis Princeps patriæ suo speciali conces-

sit indulto: quos limites, nulli impunè licet prætergredi. Qui inter cives majoribus pollent facultatibus, atque simul industria aliquid valent, pro majori parte negotiationi, sive mercaturæ dant operam, res nimirum diversas humanis usibus accommodas, hinc atq; indè conquirendo; easdemque tempore & loco congruis, lucro competenti, distrahendo. Alii autem, quorum fortunę angustiores existunt, diversis opificiis diligenter intendunt, quo familias suas honestè ac decenter sustentare valeant. Vnde & illud in rempublicam commodi resultat, quod ejus omnibus membris, quæ necessaria & apta sunt, ad manum semper habeantur: sic nimirum suas singuli sibi invicem operas communicant, ut verbi gratia, à lanificibus pannus, à pastoribus panes, à cerdonibus calcei, & sic de reliquis, pecunia parata, aut certè credito, dum res fert, indigentibus subministrentur.

Verum si qui (quales non pauci ubique hoc calamitoso inveniuntur sæculo) tenuioris sunt fortunæ, victum sibi oneribus ferendis comparare solent, dicunturque mercenarii diurni, quorum satis dura, & difficilis est conditio, quibus videlicet præter labores continuos & gravissimos, vix panis siccus, in cibum quotidianum aqua maceratum

ceratum ſuppetit, vel ideo maximè quod hi tales, plerique omnes prole multa, inſtar Hebræorum apud Ægyptios magnis olim oppreſſorum luti & laterum laboribus, ſint onerati. Vt vero fortunarum in cujuſq; Reipub. corpore magna eſt diverſitas, ſic victus & veſtium, itemq; ædificiorum, non una eſt apud omnes conſuetudo & modus, lautius ſcilicet aliis epulantibus, ſplendidiorique veſtitu amictis, & domibus magnificentioribus utentibus, aliis verò in his omnibus multum deficientibus, & quo minus ſunt opibus inſtructi, eo etiam minus in earum uſu gaudentibus. Ejuſmodi etiam proportio ſervari ſolet, in celebrandis nuptiarum conviviis quanquam meo judicio, quemadmodum de Nobilibus attigi, rationis metas in ſuis apparatibus excedant maximè, dum videlicet ultra quam earum facultates patiuntur exquiſitas tam in cibo quam potu epulas conſtruunt, & innumeros pene ad duos treſvè dies convivandum convocant amicos ac vicinos; qui tamen donariis ſuis (quæ certa hora ad tympani & fiſtulæ ſonitum ſponſo & ſponſæ menſæ cum parentibus aſſidentibus offerunt) utrumque ſumptus ejuſmodi ſublevant. Veruntamen non tam planè quin amplius graventur nuptiarum inſtructores,

ſtructores, multo maximè ob ſponſalium, & contractuum matrimonii præcedentes impenſas æque in eundem finem factas.

Similiter dum puerperia ſervant mulieres, & proles recens natas baptizari curant, earum parentes apparatus faciunt ſubinde ſplendidiores: hac tamen moderatione ſervata, ut vicinæ fœminæ eo convenientes ad hilaritatem convivantes, ſymbolis à ſe collatis, vinum quod exhauſerunt parata pecunia exſolvant, ac domum deindè ſæpiuſculè nonnihil temulentæ revertantur, qui mos maximè Luxemburgi & in vicinioribus oppidis vigere cognoſcitur.

Dum quiſquam hujus alteriuſvè ſexus ętatis jam maturę vita defungitur, ſtatim atque ab officio funeris reditur, accedunt vicini ultrò ad defuncti ędes, atque pretio ad vinum & eſcas comparandas propoſito, ſuperſtites conſanguineos, combibendo, ſuper morte amici ſolari conantur, quod mihi quidem ſatis inconveniens videtur, temporique incongruum. Nam *Muſica*, & ſi placet, etiam epulæ, *in luctu importuna narratio eſt*, ut inquit Salomon.

Exequias porrò pro defunctorum animabus piè admodum & devotè in Eccleſia Vigiliarum, & Miſſarum com-
plurium

plurium officiis ad du
continuatos celebrare
ac præterea largas prop
ëmoſynas cibi & potus i
ſtribuere, inſimulque p
pali die cum Sacerdotil
ſui operas impenderur
modum & ſilenter præ
quo & gratiis peracti
ejus vices ſubit, bre
habet ad præſentes
menſa ſurgant, regra
precibus & ſacrifici
cti ſubvenire conte
æqui bonique conſu
prandium precatur,
nibus defuncti requi
tè poſtulantes ſurgu
tias dicentes pro li
ſibi impenſa.

Ruſtici tandem, ru
bitantes, toti in agro
ſummæ eorum ſunt
tur, quo miſeram ſ
tare, atque Domini
gum cenſum pend
enim pro maxima
pore quam rebus
ceps ſit patriæ,
quiſpiam Eccleſiaſ
Dominus propriè
hæreditatem alii
migrare, aliiſque

plurium officiis ad duos tresvè dies continuatos celebrare consueverunt, ac præterea largas propter Deum eleëmosynas cibi & potus in pauperes distribuere, insimulque prima & principali die cum Sacerdotibus, qui officii sui operas impenderunt, modestè admodum & silenter prandium sumere, quo & gratiis peractis Pastor, quivè ejus vices subit, brevem orationem habet ad præsentes, priusquam de mensa surgant, regratiaturque, quod precibus & sacrificiis animæ defuncti subvenire contenderint, utque æqui bonique consulant moderatum prandium precatur, tum denique manibus defuncti requiem, à Deo devotè postulantes surgunt & abeunt, gratias dicentes pro liberali refectione sibi impensa.

Rustici tandem, rure ac in pagis habitantes, toti in agrorum cultura (quę summæ eorum sunt delitiæ) occupantur, quo miseram suam vitam sustentare, atque Dominis suis annuum frugum censum pendere valeant. Sunt enim pro maxima parte hi tam corpore quam rebus ad alios, sive Princeps sit patriæ, sive subalternorum quispiam Ecclesiasticus, aut sæcularis Dominus propriè, spectantes, ut nec hæreditatem aliis vendere, nec alio migrare, aliisque sese submittere Do-

nis citra licentiam Dominorum suo-
n valeant : quibus & in recognitio-
n ejusmodi subditionis partem a-
ialem rei venditæ numerare to-
s quotiens coguntur.

Iodus autem rusticorum in omni-
agendi, præter nutrimenti (quod
a, pane atro, offis, pisis, larido,
muniter constat) vilitatem, est,
nadmodum supra insinuavi, ad-
lum in plerisque simplex, & ad
orem usque agrestis; quamvis in-
os non desint quamplurimi pru-
ia quadam pollentes innocentia
nplicitate ornata; adeo ut verius
tiosi dici queant, à quibus nisi
decipi velit, maximè cavendum.
lemnitates quasdam diligenti ob-
ntia colere solent; uti nimirum
esiarum suarum Dedicationes, quo
traneos amicos convocare, &
illis hilariter convivari, & com-
e, atque etiam choreis vacare, ad
tionem usque contendunt; ubi
æ, contentiones & pugnæ raro
t. Pervigilia denique nonnulla
mpli causa Epiphaniarum, Divi
ni, Sanctæ Crucis, ex antiquo-
raditione potibus indulgentes
tam noctem deducunt, qui mos
apud ipsos urbanos (superius
itos) etiam inolevit.

FINIS.